ALPHONSI PANDVLPHI

Epiſcopi Comaclenſis

DISPVTATIONES DE FINE MVNDI

IN QVIBVS

Quæcunque à varijs Philoſophorum Sectis in hoc argumento naturali lumine ſunt conſtituta, refelluntur.

Euangelica, Propheticaque doctrina vnicè recipitur, & propugnatur.

Opus poſthumum omnigena eruditione refertiſſimum.

Cum duplici Indice copioſiſſimo.


ILLVSTRISS. ET REVERENDISS. D.

D. PETRO DE BARGELINIS

Vtr. Sign. D. N. Referend. & Protonot. Apoſt. de numero Participantium, Ciuitatis Aſculanæ Gubernatori, &c.







BONONIÆ MDCLVIII.

Ex Typographia Ferroniana. Superiorum permiſſu.



ILLVSTRISSIME
ET REVERENDISSIME
DOMINE.





IRTVS, & ea Nobilitas, quam præſertim vltrà maiorum antiquitatem ſolito magis inclytam à litteris metimur, cunctorum obſequia ſibi poſcunt, & animorum vota in id maximè accendunt, vt illis planè dominantibus, aliquo munere ſe ſiſtant in vectigal. Iſtas Proceres, & Dynaſtæ habeant, & nullo ſtipati ſatellitio ſponte mancipia inuenient; tanti eſt Regnum virtute, non viribus nanciſci: Videas hinc, Heros Illuſtriſsime, ſi Te exactè perpenderis, nec aſcita in æſtimationem tuam modeſtia, quantum ſit Tibi ſupra omnes Imperium, quam latè Ditio Tua pateat, quo Tua pretio ſit æſtimanda fortuna; Is enim es, qui Bononiæ inter Illuſtriſsimos Patritios cenſeris, quiquè inter famigeratiſsimos Patres Collegiatos Doctores docuiſti Lauream Tuam ex vtroque Iure, qua arte ſuper exedras perennaret, dum Legum Oracula in Archigymnaſio funderes, qui arbitratus parum Themidem à temporalium rerum cura definiri, Pietatem Iuſtitiæ iunxiſti, & in Metropolitanæ Canonicos aſcitus illuxiſti cunctis Religionis exemplar; qui Tuam Sapientiam è patrijs laribus, veluti è cunabulis, ad ingentia metienda ſpatia prouocaſti; Hinc Te Roma Referendarium vtriuſq; Signaturæ, Protonotarium Apoſtolicum Participantium è numero eſt reuerita; qui, inconſulti hoſpitis Fanum, Fortunæ nempè, Tuis moribus meliori numine dedicaſti; qui, vt Adriaticum mare lubentiùs Ciuitati merces inferret, facto per inſtauratum Portum ſinu, affluentes aquas publicæ conſulens vtilitati prouidè excepiſti; & ne aliquando Maiorum fata interirent, aperuiſti per publicas hinc inde collectas Scripturas Montis Alti Nepotibus veterum Monumenta, & modò

Tuo iusto moderamine dedifcit à ferro rigere Ciuitas Afculana, quam tetigit aurea morum Tuorum Temperies. Per Te Lernęa capita posuit pestis, quando illam Charitatis igne in subditos inusisti, spemq; incrementi, mutuato è Cælis robore, & ab humanis præsidijs medela, ademisti; Tibi salutem debent proximæ Ciuitates, dum inundantis luis impetum, facto veluti vallo, frangeres; nec mirum, si in Patronam vocaueras eam Cœlicam Virginem, cui monstra subduntur; neminem enim latet, quibus Donarijs Sospitatricem Tuam Lauretanam Virginem colueris, dum Ciuitatum, & Locorum Tibi subditorum icones argenteis cælaturis depræhensas tantæ Virgini dono ferres: Et tandem, nè veritati blandientis adulationis speciem prætexere dicar, non multus ero, vt ingeram animis, quemodò Te Sapientes suum Mœcenatem iactent, quam Nobilitatem Tibi Alexander Atauus Felsineus Senator Regulis potioribus Italiæ affinitate iunctus conciliarit. Tuis hisce dotibus illectus, prælorum gemitibus quotidie incubans audiebam identidem, quam apertè meum ergà Te debitum inculcarent; hactenus fatum concepti Voti mei distulit solutionem; Alphonsi Pandulphi Episcopi Comaclensis Opus posthumum amisso parente extorris in modum errabat, occurrebas, Heros præclarissime, cui pignus tantum crederetur, & cui ità me deuouerem. Inire igitur seruitutem Tuam incipere volui Opere de Fine Mundi, quando Tibi minimè videri potest feralis hic titulus, qui temporis conuicia dignis cedro gestis diluis, & interiturum Mundum, reparante fama virtutis Tuæ, quoscunque casus (fas sit dicere) in perennem vitam asseris. Viuas fælix, & pergas imminenti Purpuræ dignum maioribus sertis admouere caput, & auspicia meorum conatuum in hoc Fine Mundi maiora æqua fronte excipere, & deriuata in Nepotem Auorum vota producto per stirpem patrocinio fouere, ità tamen, vt in hoc fine meæ deuotionis incrementum, principiumq; noscas. Vale.

Illustriss. & Reuerendiss. D. T.

Humillimus, & Deuinctiss. Seruus

Dominicus Maria de Ferronijs.



IN OPERIS DEDICATIONEM.

HEXASTICHON.

HIc Mundi Finis, per te ſtat, PETRE: cadebat
Confirmans, ſtabilis tu niſi Petra fores.

Suſtinet ALPHONSVS Mundum, ſed mole ſub iſta
Ne cadat, Alcides curris in auxilium.

Forſitan hoc fælix; nam deſignaris ad Orbem
Tutandum, cuius nomen, & omen habes.

D. Franc. Ferrarius Phil. D.



Typographus Lectori.

NE mirere, candide Lector, multiplices, variorumq; temporum istiusce Operis approbationes; nam si diuersissimas pertractatas materies, earumq; abstrusissimæ eruditionis compagem spectes; illud nonnisi varijs scientificis, atq; doctissimis Viris perpendendum committi debebat ad vnicum exactissimè eliciendum iudicium. Auctoris mors indè secuta effecit, vt non nisi longo tempore, multisq; cum difficultatibus, & discerptim, vt ità loquar, tanti Viri manuscripta, huc nondum ab eodem viuente transmissa, & eo defuncto, illius Bibliothecæ latebris hærentia, recuperari potuerint. Optimis hisce fruare Animi delicijs, &, vt optimè valeas, opto.

APPROBATIONES.

Disputationis Proœmialis.

D. Inuentius Torti Pœnitentiarius pro Illustris. & Reuerendis. D. Hieronymo Boncompagno Bonon. Archiep. & Principe.

Iussu Reuerendiss. P. Inquisit. Generalis vidi Ego Fr. Iacobus Philippus Polinus S.T. Mag. nec quicquam censura dignum reperi pro Tribunali S. Officij.

Imprimatur. Fr. Gulielmus Fochus Inquisitor Bonon.

Disputat. Pythagoricæ.

D. Inuentius qui supra.

Vidi ego Franciscus Natalis in Archigymn. Bonon. Philosophiæ Professor ordinarius, iussu Eminentiss. ac Reuerendiss. D. D. Card. Ludouisij Archiep. & Princ.

Vidit Fr. Dominicus pro Reuerendiss. P. Inquisit. Bonon.

Imprim. Fr. Vincentius à Serraualle Inquis. Bonon.

Disputat. Platonicæ.

D. Inuentius Torti pro Eminētiss. & Reuerendiss. D. Card. Ludouisio Bonon. Archiepisc. & Principe.

Vidi ego Franciscus Natalis qui supra.

Vidit Fr. Dominicus qui supra.

Imprim. F. Vincentius Pratus à Serraualle Inquis. Bon.

Disputat. Aristotelicæ.

D. Inuentius qui supra.

Vidit Fr. Dominicus pro Reuerendiss. P. Inquis. Bonon.

Vidi ego Franciscus Natalis iussu Eminētiss. ac Reuerendiss. D. D. Card. Ludouisij Archiepisc.

Imprim. Fr. Vincentius Pratus Inquisitor Bonon.

Disputat. Stoicæ.

V. D. Inuentius qui supra.

Iussu Eminentiss. ac Reuerendiss. D. D. Card. Ludouisij Bonon. Archiepisc. & Princ. vidi ego Franciscus Natalis librum, cuius titulus est, De fine Mundi, ac de statu rerum post finem Mundi, Auct. Illustriss. ac Reuerendiss. D. Alphonso Pādulpho Ferrariensi Comacli Epis. In quo omnia, non solum veræ fidei consona, & ad veram culturam proficua mihi visa sunt. Verum etiam celeberrimum hunc Antistitem, huiusmodi opere, mira doctrinæ claritate, atq; argumentorum splendore Antiquorum tenebras fugasse, & Catholicam de Fine Mundi veritatem eruditionis margaritis mirabiliter emicantem protulisse reperij, vnde typis mandari admodum vtile iudico.

Ego infrascriptus vidi opus hoc, & nihil reperi, quod fidei Catholicæ, bonisuè moribus aduersetur. Ego F. Dominicus de Mǎfredis Consultor S. Off. & Prouincialis.

Fr. Io. Bapt. Spadius Mag. pro P. Inquis. Bonon.

Imprim. Fr. Vincentius Pratus a Serraualle Inquis. Bon.

Disputat. Astronomicæ.

D. Inuentius Torti pro Illustris. & Reuerēdiss. D. Archiep.

Ingeniosissimas hasce, & eruditissimas Disputationes Astronomicas æquè pias, & cunctis sæculis commendandas censuit Ouidius Montalbanus pro Reuerendiss. P. Inquis. Bonon. Reuisor deputatus.

Imprimatur. Fr. Gulielmus de Focis Inquis. Bonon.

Disputat. Astrologicæ.

D. Inuentius qui supra.

Ouidius Montalbanus Philosophorum Bonon. Colleg. Decanus, Legumque Doct. Mathemat. olim, nunc autem moralis Sapientiæ Professor in Archigymn. Bonon. vid. pro Reuerendiss. P. Inquis. Bonon.

Imprimatur. Fr. Gulielmus Inquis. Bonon.

Disputat. Scripturalis.

D. Inuentius qui supra.

Ego Fr. Iacobus Philippus Polinus S.T. Mag. vidi ea maiori qua potui diligentia folia supradicta de fine Mundi exarata, nilq; quod S. Fidei, bonisq; moribus refragetur, plurima quæ illis suffragentur reperi. Quamobrem dignam typis censeo.

Imprimatur. Fr. Gulielmus Inquis. Bonon.


Disputat. Theologicæ.

D. Inuentius qui supra.

Ego infrascriptus ex commissione Reuerendiss. P. Inquis. vidi Disputationem Theologicam, quæ est vltima inter Disputationes de Fine Mundi Alphonsi Pandulphij, nihilque deprehendi obstans, quo minus typis mandetur.

Fr. Io. Thomas Puteobonellus Mag. & Vic. S. Officij.

Imprimatur. Fr. Gulielmus Inquis. Bonon.



INDEX

Diſputationum, Capitum, Sectionum, &c. in hoc Opere contentorum.

Aſſe;



DI-



DISPVTATIO PROOEMIALIS.



CAPVT PRIMVM

In quo Authoris intentio in hoc Opere, & Ordo seruandus explicatur.



MEum non est consilium in hac de Mundi fine suscepta Disputatione de ijs disserere, quæ ipsum Mundi finem præcedent, vt sunt Aduentus Antichristi, & diræ persecutiones, quibus illud Tartareum Monstrum in Christi fideles grassabitur, vt sunt Enoch, & Heliæ, qui in hunc Mundum reuertentur, Prædicationes, quibus tamquam sermone Domini penetrabiliori omni gladio ancipiti, fidelium cœtus, & Christiana fides à teterrimi hostis insidijs vindicabuntur; Vt sunt omnium Defunctorum ad nouam vitam animata corpora, vt sunt Aduentus Christi supremi Iudicis, vniuersa ipsum Beatorum comitante caterua, & finales eiusdem sententiæ, vel in hominum perniciem æternam, vel in perpetuam salutem, & Beatitatem prolatæ. Hæc enim omnia ad inscriptum in fronte Libri titulum, & ad propositam non spectant materiam; Atque adeò luculenter, & copiosè pertractata sunt à Scholasticis in 4. sent. & ab Expositoribus D. Thomæ in tertiam partem summæ præter peculiares à peculiaribus Authoribus de ijsdem rebus institutas Disceptationes, vt si in hoc versarer argumento, penitus actum agerem, alieno exultarem labore, aliorumque trophæa non sine maxima iniuria vsurparem. Quare consultò mecum proposui in hac Tractatione ab eo crimine abstinere, quod à multis Recentioribus in dies perpetratur, illudque est, aliena rapere, aliorum literarijs opibus ditescere, ab Antiquioribus inuenta occupare, & aliorum paginas affabrè elaboratas in proprios vsus, & Cōmentarios inuerecundè transferre. Etenim quamuis ea, quæ à me disputanda sunt, ab aliquibus Scriptoribus considerata fuerint, attamen cum plurima ad hoc Argumentum spectantia prætermiserint, atque multa leui manu, & pingui, vt aiunt Minerua, pertractauerint, campum mihi patentissimum reliquere, per quem mea innoxio pede, nullis onusta rapinis excurrat oratio. Itaque multa in hoc Opere construendo ex mea Officina deprompta, proprijs meditationibus excussa, meo, vt sic dixerim, Marte communita in hanc litterariam protuli Arenam, non adhuc anxio gradu pressam, & calcatam. Quamobrem æquiori iure legentes rogatos velim, vt hæc à me exarata tamquam meas ingenioli segetes proprio irrigatas sudore, tamquam ædificium proprio fabrefactum ære, non aliunde raptim consertum, & consarcinatum mitiore oculo intueantur.

Equidem fateor hæc à me non Academico, vel Oratorio, sed vmbratili, & scholastico stylo tradita omni prorsus verborum delectu, & ornatu carere. Cæterum, vt vere cecinit ille,

Ornari res ipsa negat contenta doceri.

Et quemadmodum marmorea Templa suo natiuo satis instructa decore, vel à floribus, vel à coloribus mutuari renuunt maiestatem, & pulchritudinem; Haud secus Philosophica, & Theologica monumenta, qualia hæc sunt, in quibus veluti in Templis, veritati humanum litat ingenium, nullis amant verborum pigmentis, sed sola specie veritatis exornari.

Quæ verò ad scribendum meum demulcere potuerunt animum, ac lacessere, fuerunt potissimum Materiæ nouitas, atque Ordo dicendorum; Ex vtroque enim fonte non exiguam voluptatem percepturos esse legentes, minimè dubitaui. Argumenti, inquam, nouitas me valde commouit; Quoniam in illis dūtaxat proponendis, examinandis, discutiendis mea desudabit industria, quæ contingere debent in Mundo, postquam Christus Dominus, vniuersali expleto iudicio, ad cæleste Capitolium gloriosus Triumphator, omnium spirituum, & corporum Beatorum exercitu stipatus ascenderit. Nam meæ in hac Tractatione erunt partes postremum Mundi finem, & interitum solum indicare, eiusdemque Mundi recentem statum, ac renouationem adamussim explicare. Quæ Mundi Renouatio argumenta suppeditat pulcherrima, & totam proponit Philosophiæ messem demetendam, ex qua multa Disputationum manipula colligentur. Etenim de Terra, de Aqua, de Aere, de Igne, & de cælestibus Orbibus in eo statu permansuris, ea se offerunt spectanda, quæ Philosophicam, & Theologicam requirunt Doctrinam, & certatim curiosa affluunt iucunditate. Nam quemadmodum Philosophi hunc Mundum in præsenti statu contemplantis munus est de vniuersa Rerum Natura disserere, Elementa, cælestia corpora, & mixta omnia contemplari; simili prorsus ratione mihi futuri Mundi statum, post eius finem, consideranti onus incumbit de ijs omnibus, quæ in Mundo supererunt, & de ipsorum natura disputationem contexere.

Authoris intentio, & operis argumentum.

Alterum verò, quod me ad scribendum de hac Materia vehementiùs inflammauit, est Ordo, & series eorum, quæ pertractanda occurrebant, non solum iucunda, sed frugifera, succo, & sanguine plena, vt non corticem humanæ sapientiæ contrectandum, sed medullas mihi esse penetrandas agnoscerem. Quamobrem hāc primam Tractatus partem in nouem partiri Disputationes decreui. In hac prima redigam in arctum, & quasi compendio colligam ea omnia, quę de Rerum statu post Mundi Occasum à sacris Doctoribus differuntur, ea latiùs, & fusiùs in secunda huius Tractatus parte consideraturus. Prætermissis tamen consultò omnibus illis, quæ ad animarum tum Damnatarum, tum Beatarum statum vltimum post Mundi finem pertinebunt; Cum tantum in hoc Opere mihi proposuerim Rerum materialium, non spiritalium statum, & conditionem, post Mundi Eccidium, indagare. Quoniam de illarum Animarum statu, & præsertim de corporibus Beatis in cælesti Regno post Mundi interitum æterno Aeuo permansuris, multò non minus sedulò, quam doctè è Theologiæ Professoribus disputata sunt, vt meus propterea à superuacaneo Opere labro supersedeat.

Ordo, & series operis.

Prima disp. argumentum.

Hanc autem Primam Disputationem duxi præmittendam, vt mihi sternam viam, & pandam aditum ad inquirendum, An Mundi finis iuxta ea, quæ de ipso sacris prodita sunt litteris, possit innato ingenij lumine, absque Diuino afflatu indagari, quod erit secundæ Disputationis Argumentum, in quo multa Philosophica, Theologica, Medica, Historica euoluam. Tertia Disputatio accuratum de sentētia Platonis examen circa Mundi primordia, & interitum continebit; Quamnactus occasionem multa ad rem tamen propositam accommodata Platonis dogmata, & pronunciata discutiam, voluptuosa illis ingenijs, quæ sub vmbra Platonicæ Platani suauiter conquiescunt. Ex Porticu Platonica me transferam in Quarta Disputatione ad Lyceum, & Peripateticis per diuersa dogmata grauitate plenissima excursionibus ad Aristotelicam Mundi finem negantem prorsus sententiam perueniam; Atque hinc in Quinta Disputatione gradum faciam ad alio-

Prima disput. argumentum.

2. disp. argumentum.

3. disp. Platonica.

4. disp. Aristotelica.

5. disp. Stoica.

aliorum Sapientū examinandas de Mundi excidio opiniones; Inter quas cum primam sibi vendicet sedem Stoicorum de Igne combusturo Mundum sententia, subnectam Quæsitum, An iuxta Stoicorum placita Mundi combustio futura sit fatalis, An contingens, vbi de contingentia, & fato aliqua obiter quidem, sed opportunè memoratu dignissima expromam, eamque Quæstionem Stoico Titulo præsignabo. Quoniam verò Astronomica Disciplina cælestium Orbium circumrotationes, & Solis præsertim vertigines ad aliquam de Mundi fine insinuandam notitiam adaptat; In sexta Disputatione multa Astronomica pronunciata in medium afferam, atque veritatis lance, quasi Astronomica cælesti libra perpendam, compertumq; faciam, Astronomiam nullam de Occasu Mundi cognitionem præbere; Qua occasione in noua sydera, & in maculas Solis recenti Astronomorum lumine illustratas meditationis obtutus conijciam, hæcque Phænomena nullo vmquam tempore ad finem Mundi perspiciendum humanas ducere posse mentes demonstrabo. Sed vt ex animo fatear, magnum in septima Disputatione contradicendi æstu, & disputandi libidine, præsertim blandiente materia, cum Astrologis iniui certamen; Qui cum impudentissimo ausu, & tumidis buccis de Religionis Christianæ fine, vnaque Mundi excidio multa effutiant, allatis Commentis delirantium somnijs quàm simillimis, acriora meæ Disputationis spicula prouocarunt, itaut in ipsorum de Mundi fine refellendis figmentis vniuersa propemodum eorum pronunciata euertere, ac euellere studuerim, atque adeò longiore fortasse filo contexta sit dissertatio; Hinc ex fædissimis Astrologiæ lacunis ad purissimos sacræ scripturæ, & Sanctorum Patrum fontes me conuertens, in Octaua Disputatione omnem operam, studiumque locaui, in illis sacræ scripturæ Arcanis perquirendis, ex quibus aliqua de Mundani excidij tempore oritum coniectura, quam tamen fallacem omninò, & incertam, neque sacris scripturis, ac Sanctis Patribus consonam ostendo. Tandem Disputationū Agmen claudit Nona, quæ Angelorum, Beatorum, & ipsius Christi de Mundi Occasus tempore sciētiam, vel notitiam comprehendit, atque ita postrema manus priori Tractatus imponitur Parti.

6. disp. Astronomica. *7. disp. Astrologica.* *8. disp. Scripturalis.* *9. disp. Scripturalis.*

Mox secundam aggredior per Titulos, & Capita distribntum; Primò agens de Ignis Elementaris statu, ducta occasione ab Igne, qui sublunarem Mundum depopulabitur. Subsequitur Tractatus de Terrę statu, non solum quoad Terræ substantiam, sed etiam accidentia, & nouos in ipso incolatus, vel Seruatoris nostri cum suis Dilectis, & Beatis in ipsa habitaturi per mille Annorum spatia, vt Chiliasti Hæretici perperam censuerunt, vel infantium nunc temporis degentium in Limbo, qui iuxta aliquot Scriptorum errata, post Mundi finem Terram habitabunt. De fontium, fluminum, & præsertim de Maris statu multa subeunt dicenda, & cum mare sit permansurum, quæritur An æstus reciprocationes, vel alios motus sit passurum, An salsedine, an colore cæruleo sit afficiendum. De Regionibus Aeris proximè disputatur, nimirum de ipsarum purgatione ab Igne facienda, de earumdem magnitudine, tenuitate, claritate, puritate, nullis Meteorologicis impressionibus confæderata. Tandem accuratam, & integram conficio tractationem de ijs omnibus, quæ spectare possunt ad cælestia corpora, post finem Mundi à motu quietura, & lucidissima permansura; Et breui ad Deum, & Deiparam Peroratione quasi choronide totum opus absoluitur.

Pars posterior Tractatus eiusq; argumentum.

Neque aliquis vitio mihi vertat, me in his pertractandis Philosophum magis agere, quam Theologum; Namque cum in præsentiarum cōsideranda non à crassamentis materiæ abiuncta, sed prorsus materiæ copulata occurrant, Philosophicam potiùs, quam Theologicam indaginem postulare videntur. Hæc tamen Tractatio ęquius Theologico, quam Philosophico donanda est Titulo; Quando hęc omnia ad dogmata Theologica fide, & doctrina firmata, tamquam ad præfixum signaculum collimant. Neque etiam profusa aliquando verborum copia, sermonisq; longitudo, & aliqua forsitan rerum repetitio mihi dāda est crimini. Etenim, vt verum fatear, breuitati studere omni arte, omnique studio semper conatus sum, & non Asiatica affluentia, sed

hoc supponit Ignem ibi existere, & habere sedem statutam in Mundo, quod Nos inficias imus, & suo loco in Tomo 2. huius operis demonstrabimus. Quare arbitror cum Suarez Tomo 2. in 3. Parte Quæst. 59. Art. 6. sect. 2. Ignem illum generandum esse ex Terræ vaporibus, & exhalationibus, concursu causarum naturalium, quæ à Diuino excitatæ Imperio supranaturaliter coniungentur, ad Ignem illum generandum in Terra, atque in secunda Aeris regione, ad quam vapores, & exhalationes ascendent. Erumpet etiam maxima pars Ignis ex Terræ latebris, & ex Inferno; Imò addit Suarez, quod Angeli concurrent ad applicandam illi Igni materiam combustibilem, & quod Cælestia corpora ad talem Ignem producendum cum suis influentijs concurrent; Quod tamen à nobis in Disp. Astrologica redarguetur.

Conueniunt ferè omnes sacri Scriptores inter se, quod voracissimus Ignis ille, & eodem tempore Vniuersum Mundum sublunarem circundabit, & sua velocitate deuastabit ea corpora, quæ infra explicabimus; Suarez tamē existimat Ignem non eodem tempore, & summa velocitate sublunarem globum inuasurum esse, sed potius successiuè; Id autem repugnare videtur maximis viribus, & vehementiæ eiusdem Ignis, nec non verbis D. Petri Ep 2. Cap. 3. Cæli magno impetu trāsient. Quorum sensus est, non Cælestia Corpora, sed Regiones aeris magno impetu ab Igne excitandas esse, & purgandas; Impetus autem connotat non actionem successiuam Ignis in Mundi sublunaris partibus, sed totam simul collectam, & vehementissimè excitatam; Attamen nūc hac de re absolutum non fero iudicium, sed illud in secundum transfero Tomum.

Mihi verò non probatur sentētia Antonij Zaræ Episc. Petinensis in sua Ingeniorum Anotomia Sect. 4. Membr. 12. asserentis. Ignem à Deo excitatum in fine Mundi, crinitos Cometas, fulgura, & fulmina producturum esse, Quod ego prorsus improbabile existimo; Non tantum quia Cometæ, ex communi Scriptorum placito, præcedent postremam Mundi concremationem, sed etiam quia rapidissima erit, iuxta Petri Testimonium, eiusdem Ignis actio, qua destruet potiùs Cometas, fulgura, & fulmina, quam generabit.

Notandum autem est mutationem ab Igne, faciendam esse in Mundo sublunari, quod colligitur ex verbis D. Petri eadem Ep. 2. Cap. 3. Latent enim eos hoc volentes, quod Cæli erant prius, & Terra de aqua, & per aquam consistens Dei verbo, per quæ ille tunc Mundus aqua inundatus perijt. Cæli autem, qui nunc sunt, & Terra eodem Verbo repositi sunt, Igni reseruati in Diem Iudicij, & perditionis impiorum hominum. Ex quibus patet, quod Deus in fine Mundi Igne castigabit, quæ punita fuerunt ab eo per aquam Diluuij; sed Diluuium solum Mundum sublunarem inuasit, & ad talem solum aeris altitudinem peruenit, neque ad Cælum ascendit, Ergo neque Ignis Cęlestes orbes aggredietur, sed solum sublunarem sphæram inuadet; Quare D. Petrus per Cælos intelligit iuxta morem Scripturæ sacræ expansionem aeris, qui inflammabitur ab Igne; Quod indicant verba subsequentia. Adueniet autem Dies Domini, vt fur, in quo Cæli magno impetu transient, idest Aereæ regiones rapidissima Cælorum vertigine agitabuntur, & à maxima Ignis vehementia inflammabuntur; Ideò subiungit, Elementa verò calore soluentur, Terra autem & quę in ipsa sunt, opera, exurentur. Sed hæc D. Petri Verba accuratiùs in 2. Tomo examinabimus; Hunc sat sit affirmare ex D. Petro inferri Ignem ad Cælum ascensurum non esse, neque vltra secundam aeris regionem perventurum, quo peruenit Diluuium; Et cum Cælum sit corpus purissimum, & lucidissimum, non sunt in eo sordes, & inquinamenta purganda, quemadmodum erit munus Ignis ipsamet Elementa purgare, & renouare. Si autem essent vera ea, quæ ab Astrologis Cælorum orbibus attribuuntur, scilicet, quod Saturnus, & Mars in Mundum sublunarem detrimenta innumera inducant, calamitates, neces, bella, infortunia producant, noxias, lethales, flagitiosas influant in homines propensiones, dubiò procul Cælum maiorem indigeret purgatione; sed quoniam, vt Disputatione peculiari demonstrabo, Planetæ huiusmodi defectibus, & prauis qualitatibus non sunt affecti, æquiori iure statuendum

dum est, ab Igne sidera, & Cælestes orbes in fine Mundi non esse purgandos.

Hisce præhabitis;sit Prima Conclusio. Omnia ab igne in fine Mundi non exurentur, neque ad nihilum redigentur,aduersus sententiam Ambrosij Catharini in Comm. Epist. ad Hebr. & in primam, & secundam D. Petri; Francisci Valesij lib. de Sacra Philoso. Cap. 29. Hieronymi Magij lib. 2. de Exustione Mūdi Cap. 6. 7. & quæ etiam sententia multis Sanctis Patribus adscribitur, quos allegat Suarez Tom. 2. in tertiam partem, quæst. 59. Disp. 58. Art. 6. Sect. 2. & Antonius Zara Opere prænotato Memb. 12. Sect. 4. vbi idem Author putat Ignem combusturum Cælestia Corpora, & sidera, quæ per motum localem ad ima membratim ruent, eorumq; Cineres in hiatum Terræ, qui erit Infernus, descendens, vt propterea censeat Empyreum solum, & Infernum reseruanda esse, de quibus interpretantur verba D. Ioan. Erit Cælum nouum, & Terra noua, quia scilicet, ait ipse, Empyreum erit Cælum nouum, idest oculis subiectum, cum antea non esset. Et Infernus erit Terra noua, quia apparebit, & damnatos ostendet. Quorum Verborum extorta est interpretatio, cum omnino sacræ Scripturæ consentaneum sit asserere, Corpora Cælestia, & Elementa post Mundi occasum in statu perfectiori remansura esse; Quod potissimum apparet ex Verbis Eccles. Cap. 3. Omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerant in perpetuum, & ex Psal. 148. Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt; Statuit ea in Æternum, & in sæculum sæculi; Nam quamuis Deus sua Diuina Omnipotentia omnia penitus destruere possit, & annihilare, vt habetur 2. Machabæorum 8. Ipse potest vniuersum Mundum vno nutu delere; Vt enim liberè creauit, & liberè conseruat, ita potest non liberè conseruare; Nihilominus in Mundi excidio, pro sua Bonitate, & Sapientia, in ordine, & serie rerum materialium ab interitu, & destructione conseruabit illæsa Cælestia Corpora, & Elementa. Quod apertissimè testatus est D. Paulus Epist. ad Corint. 2. Præterit, inquit ille, figura huius Mundi; Ideò obseruant Augustinus, & Hieronymus non dixisse præterire substantiam Mundi, sed figuram, ad significandam mutationem accidētalem, & Mundi meliorem perfectionem. Corroboratur eiusdem Pauli Testimonio ad Roman. 8. Expectatio Creaturæ reuelationem filiorum Dei exspectat, quia & ipsa Creatura liberabitur à seruitute corruptionis. Quę Verba indicant Creaturas non esse destruendas, quoniam non liberarentur à corruptione, sed maximè subderentur corruptioni, neque ipsæ dicerentur expectare, sed potius abhorrere hanc mutationem, qua in nihilum essent redigendæ.

Sit secunda Conclusio. Mutatio, quæ facienda est in Corporibus Cælestibus, & Elementis erit tantum Accidentalis, & non substantialis; Itaut destruenda non sint ea corpora, & aliæ formæ, aliæque substantiæ de nono producendæ, vt censuerunt Authores supracitati in sententia de Rerum annihilatione, & præter ipsos putauit etiam Steuchus Eugubinus de Mundi excidio, scilicet Mundum esse igne comburendum, & postea alium nouum Mundum, quasi Phœnicem ex cineribus esse renouandum, & Molina in primam partem Trac. de opere sex Dierum Disput. 3. §. Ego sanè; existimans sidera esse substantialiter renouanda, ita vt permansura sit quidem præsens materia, sed noua forma in materia cælesti sit producenda, & reficiendi sint Cæli specie diuersi, sed præstantiores. Cui opinioni inter recētiores adstipulatur Hurtadus disp. 1. de Cælo sect. 5. & disp. 3. sect. 7. Quæ sententia non solum aduersatur testimonio Eccles. cap. 3. supra allegato. Cognoui omnia, quæ fecit Dominus, ipsa erunt in æternum; sed repugnat etiam Verbis Ioan. Apocal. 21. Erit Cælum nouum, & Terra noua, & Isaiæ 65. Ego creo Cælos nouos, & Terram nouam; Non enim dicitur Cælum aliud, & Terra alia, ad indicandam solam renouationem, & non mutationem substantialem in Cælo, & Elementis esse faciendam; Sed aduersus Molinam, aliosque huius sententiæ asseclas suo loco disputabimus.

Quod autem Mutatio in Corporibus Cælestibus non futura sit substantialis, sed accidentalis, patet potissimum ex Verbis Isaiæ cap. 30. Erit lux Lunæ, sicut

cut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum; Ergo ex ponderatione D. Hyeronymi permanebunt Sol, & Luna, si corpora ipsorum erunt maiori lumine illustranda; Id, quod etiam clarissimè confirmatur à D. Paulo in Cap. 8. Epis. ad Roman. Verbis iam supra consideratis; Expectatio Creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, vanitati enim subiecta est, non volens, sed propter eum, qui subiecit eam in spe, quia & ipsa Creatura liberabitur à seruitute corruptionis in libertatem Gloriç filiorum Dei, & subdit, quod omnis Creatura ingemiscit, & parturit; Quare D. Pauli sensus est. Creaturam expectare liberationem à corruptione, idest, quod amplius ipsa non concurret ad generandum, & corrumpendum, vt potissimum concurrunt Cælestia Corpora, iuxta illud Aris. proloquium; Sol, & homo generant hominem, & ibi nomine corruptionis intelligitur generatio, ex vulgatissimo proloquio; Generatio vnius est corruptio alterius, & è contra. Quare si fieret mutatio substantialis in Creatura, non assereret D Paulus, quod illa expectaret liberationem, nec quod ingemisceret propter talem expectationem. Si enim alia inducatur Creatura propter nouam substantialem formam productam in materia, vt arbitratur Molina, illa Creatura de nouo producta non erit illa, de qua Paulus loquitur, & affirmat, illam expectare, & ingemiscere.

Sed antequam ex horum verborum interpretatione recedam, explicanda est illa Vanitas, cui ex mente D. Pauli. Creatura omnis subiecta est; Quæ autem sit ista vanitas, declaratur initio Ecclesiast. Vanitas vanitatum, & omnia vanitas. Quod per exempla demonstrans Salomon subiungit. Oritur Sol, & occidit, & ad locum suum reuertitur, ibique renascens, gyrat per meridiem, & flectitur ad Aquilonem; Vniuersa lustrans in circuitu pergit spiritus; Quare ex mente Salomonis hæc est vanitas solis, vt oriatur, & occidat in hominum commoda, & suos assiduè peragat cursus; Quare cũ Creatura liberanda sit à vanitate, & corruptione; dubio procul vanitas Solis erit ipsius motus, ex quo oritur rerum vicissitudo, mutabilitas, & cõtinua generatio, & corruptio; Itaque Deus in fine mundi, iuxta Pauli sermonem, liberabit Solem, & cęteros Planetas à motu, quo amplius non concurrent ad rerum generationes, & corruptiones. Cæterum si alij Planetæ diuersi specie producerentur, non rectè dicerentur à Paulo liberati à motu nunc existentes Planetæ, qui proprio motui tanquam propriæ Vanitati subijciuntur.

Comperta sunt mihi multa sacrę Scripturæ Eloquia, quæ mutationem substantialẽ in corporibus Cælestibus præseferunt; Quæ omnia cum in tractatione de Cælestibus orbibus, eorumque statu in fine Mundi sint à me discutiendi, superuacaneum duco ea nunc diligenti examinis trutina expendere, sed tantum illa indicabo, vt Lectori nota sint ea, quæ nobis non leue facessunt negotium. Extat Isaiæ Testimonium 74. Tabescet omnis militia Cęlorum, & complicabuntur, sicut libri, Cæli; Omnis militia eorum defluet, sicut defluit folium de vinea. Hinc eadem repetens Ioan. Apocal. 6. protulit, & Cælum recessit, sicut liber inuolutus. Præterea Isaias cap. 51. loquens de Cælo ait; Cæli sicut fumus liquescent, & Terra sicut vestimentum atteretur. Insuper verba Tob. Cap. 14. non sunt prætermittẽda. Homo, cum dormierit, non resurget, donec atteratur Cælum; Et congruum est, dicto Iob pronunciatum Ecclesi. Cap. 17. Quid lucidius Sole, & hic deficiet? Imo Oraculum Regij Vatis Psalm. 101. Opera manuum tuarum sunt Cæli, ipsi peribunt, tu autem permanebis. Concinunt dicta à Christo Matthæi 24. Cælum, & Terra transibunt, Verba mea autem non transibunt. Et multa alia afferri pòssunt ad magnam excitandam dubitationem, non solum de mutatione substantiali in Cælestibus Corporibus, sed de ipsorum annihilatione. Verum quoniam hæc Disputationis non est propria sedes, in qua status Corporum Cælorum est accuratè considerandus, danda mihi est hæc venia, vt solutionem dubitationum, quæ ex sacrę Scripturę Testimonijs proficiscuntur, in secundam partem Tractatus, & in propriam de Cæli statu post Mũdi finem Disputationem transferam. Propterea his in presentia prætermissis.

Sit

Sit 3. Conclusio. Cælestes orbes cessabunt à motu in fine Mundi; Quæ Conclusio innititur potissimum pronunciato D. Ioan. Apocal. 10. Tempus non erit amplius. Nam cum tempus oriatur ex motu Cæli, si tempus non erit, etiam Cęli motus cessabit; Ideo Matthæi Cap. 13. Mundi excidiũ consumatio sæculi, idest Temporis appellatur. Huc referuntur Isaiæ verba cap. 60. Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua vltra non minuetur. Nam cum Solis occasus, ac Lunæ diminutio fiant ex eiusdem Solis, & Lunæ motibus, apertissimè demonstrat Propheta. Cælestia Corpora à suis motibus in fine Mundi esse vacatura, & obseruandum est, quod ex sententia illorum, qui in corporibus Cælestibus admittunt influentias in hæc inferiora, quod & ipsæ cessabunt; Quoniam cum istæ sint ad generationes ordinatæ, & per motum, & lumen deferantur, cessante motu, & ipsæ cessabunt; Et hoc fortasse indicatum fuit Verbis Matthæi 24. Stellæ cadent de Cælo; quia nimirum cum feriari debeant à motu, & influxu, perinde est, ac si è Cælo cecidissent; Ego verò has non approbans influentias, vt Quæstione propria demonstrabo, non est opus, vt hanc sententiam multis refellam; Itaque eo reuertens, vnde digressa est oratio: Assero Cælestia Corpora, & omnia sidera in fine Mundi, quietem adeptura esse, & aduerto cum D. Thoma in Quęst. Disput. Quæst. 5. de Potentia Ar. 5. ad 17. Cælos in tali statu sistendos esse, vt Sol illuminet hunc nostrum Hemisphærium, quod Christus Dominus, & plurimi Sancti habitarunt; Et propterea in ipso maior erit claritas, quam in altero Hemisphærio, in quo non erunt tenebræ, & nox, sed fulgebit claritas Elementis omnibus communicata, non minor illa, quæ de præsenti emicat in Partibus Mundi à Sole illuminatis; Suarez tamen loco supracitato obseruat, quod cum Cæli conquiescent, ita astra remanebunt disposita, respectu totius Vniuersi, vt non solum Hemisphærium nostrum iam à Christi præsentia exornatum, illustrandum sit, sed alterum Hemisphærium quoque, ac omnes Mundi partes sint perfectissimè illuminandæ; Atque vt obiter dicam, Quemadmodum Cælestes orbes, & per motus carentiam, & per augmentum illuminationis, mutationes passuros esse compertissimum est; Ita pro certissimo habendum, Cælum Empyreum nulli prorsus mutationi, neque substantiali, neque accidentali futurum esse subiectum; Et ratio potissima est, quia ipsi non congruit illa mutationis causa, quæ cæteris adscribitur Cælestibus corporibus, quæ nimirum facta sunt propter homines, quorum status cum mutabitur, mutentur & ipsa, necesse est; Empyreum autem factum est, non solum propter Electos, sed propter Deum, & Angelos. Quare cum Deus, & Angeli non mutent statum in fine Mundi, neque mutatio fieri debet in Empyreo; Ideo ipsum omninò permansurum post Diem Iudicij, nullamque mutationem subiturum esse, tradit D. Thomas 1. parte, Quæst. 66. Art. 3. docens Cælum Empyreum à principio creationis fuisse Beatum, & absque seruitute Corruptionis, & sicut in vltima consummatione Gloriæ cessabit corporum Cælestium motus, in talem dispositionem habuit à principio Cælum Empyreum, vt referam concepta Verba D. Thomæ loco citato in Resp. ad primum.

Obijciet fortasse aliquis; Si cessabit motus Cæli in fine Mundi, qui est ipsi naturalis, & ad quem habet naturalem propensionem, illius motus priuatio erit violenta, atque in statu violento Cælum æterno tempore permanebit; Quod repugnat vulgatissimo Axiomati; Nihil violentum perpetuum; Imo in illo statu Cælum non acquiret perfectionem, sed potius ab ipso naturalis perfectio, quæ consistit in circulari motu, auferetur; Diluit hanc obiectionem D. Thomas in 4. Sent. Distin. 48. Quæst. 2. Art. 2. asserens, motum Cæli in præsenti statu ad ipsius perfectionem pertinere; Quoniam ille Motus est causa generationis rerum sublunarium; At post diem Iudicij renouato Mundi statu, & altero inducto, motus circularis non amplius ad perfectionem Cæli spectabit, quoniam erit ipsimet Cælo superuacaneus; Propterea non est affirmandum cum aliquibus Authoribus Motum circularem esse hoc tempore naturalem Cælo, & post Diem Iudicij quietem futuram esse ipsi naturalem; Etenim quod est naturale alicui,

semper est tale, sed potius asseuerandum est, Cælum ex se, & intrinsecè ad motum, & quietem esse indifferens, & motum circularem, neque naturalem, neque violentum esse Cælo, vt sentiunt Albertus, Scotus, & Durandus; sed vtique Cælum habere naturalem aptitudinem ad huiusmodi motum, tum propter rotundam figuram huic motui maximè accommodatam, tum propter eius naturam expertem grauitatis, & leuitatis, secundũ quas qualitates Corpus vel deorsum labitur, vel sursum fertur; Quare Cęlum in fine Mundi non constituetur in statu violento, quando conquiescet, quoniam æqualiter aptum est ad motum, & quietem participandam, maximè quia id deposcit ratio Diuinæ Sapientiæ, & Prouidentiæ, qua Cæli motus ordinatus est ad rerum sublunarium generationes, & præsertim ad hominem generandum; Cessatis autem generationibus, cessare etiam fas est motum Cæli, ex eiusdem Diuinæ Prouidentiæ instituto.

Quarta Conclusio. Elementa non destruẽtur, sed immutabuntur, & perficientur, quia purgabuntur ab Igne ab omnibus sordibus, & impuritatibus, & redigentur ad illam naturalẽ perfectionem, in qua fuerunt à Deo creata; Etenim ex continua ipsorum actione, & passione multa acquisiuerunt inquinamenta, à quibus tunc purgabuntur, & eximia luce, & claritate perfundentur, tum sibi ipsis à Deo indita, tum à Cælestibus Corporibus communicata; De mutatione autem in Elementis facienda loquitur D. Thomas in loco citato Art. 4. vbi docet, quod Elementa retinebunt raritatem, & densitatem, grauitatem, & leuitatem; Quoniam cum respectu harum qualitatum diuersa in natura habeant loca, etiam in Mundi Renouatione easdem sedes obtinebunt, & cõsequenter ijsdem prædita erunt qualitatibus; Siquidem Aer erit supra Aquam, Aqua supra Terram, & Terra ipsa in Infimo loco collocabitur; Non loquor de Igne, quia, vt suo loco demonstrabo, nõ habet locum in natura determinatum contra Aristotelem ipsum in Concauo Lunæ cõstituentem; Præterea seruabunt Elementa qualitates actiuas, & passiuas, nimirum Caliditatem, & frigiditatem, humiditatem, & siccitatem; Non enim probabile est in ipsis Elementis, has qualitates in fine Mundi esse annihilandas, quia tunc vti superuacaneę ad nullam concurrent generationem; Etenim cum mutatio substantialis, vt diximus, in Corporibus Cęlestibus non sit facienda, neque mutatio substantialis admittenda est in Elementis, quorum qualitates supradictæ, vel sunt formæ, vt sentiunt Græci Philosophi, & pugnaciter defendit Cęsar Cremoninus lib. de formis Elementorum; Vel sunt ita intrinsecè Elementis, vt nullo modo sine ipsis existere nequeant; Idcirco dicendum est, quod eo tempore Elementa ijsdem qualitatibus non carebunt, quamuis ipsis non vtentur; Sed quantum earum qualitatum vsu priuabuntur, tantum perfectionis, luminis, & perspicuitatis recipient, maximè Elementa suaptè natura transparentia, & diaphana, qualia sunt Aer, & Aqua; Hinc D. Thomas eodem loco tradidit, quod Terra in superficie exteriori erit peruia, sicut vitrum, Aqua sicut Crystallus, Aer vt Cælum, Ignis vt luminaris Cæli; Neque id videtur densitati Terræ repugnare, Nam & ipsa erit peruia lumini, saltem quoad illam partem inclusiuè, in qua erit Lymbus, idest in qua habitabunt Infantes, qui absq; Baptismate decesserunt; Quorum corpora non erit conueniens, vt in perpetua caligine versentur.

Quod autem dixi de existentia Elementorum in fine Mundi, id facilè patere potest de vnoquoque Elemento, & quidem primum de Igne, qui non destruendus erit ab illo Igne comburente, qui erit eiusdem speciei, imo cum Ignis sit suaptè natura incorruptibilis, alienum à veritate videtur asserere Ignem tunc temporis esse corrumpendum; Non destruetur Aer, quia improbabile est, spatium inter Cælum, & Terram futurum esse vacuum, & inane. Imo cum pars vltima supremæ Regionis Aeris sit purissima, illuc non ascendet Ignis, sed tantum purgabit primam, & secundam regionem, quas non destruat, sed ad meliorem rediget perfectionem; Non destruetur Aqua tota, quia nullum est in Scriptura sacra Argumentum, quod suadeat illam omnino esse exsiccandam; Et quamuis

fontes, & fluuij deficere debeant, tum quia sua natura identidem deficiunt, tum quia per superficiem Terræ excurrunt, in quam grassabitur Ignis deuorãs mundum sublunarem; Tamen Mare extabit, etiam si asserat D. Ioan. Et Mare iam non erit; Quod est intelligendum de Motu, & propria Maris qualitate, vt interpretantur Anselmus, & D. Thomas; Ideo in propria de Mari Disput. disquiram, An cessabit tunc fluxus, & refluxus Maris, atque alias addam perscrutationes ad Maris qualitates accommodatas. Quid dicendum est de Terra, Cuius æternam permanentiam declarant Verba Ecclesiastes. Generatio præterit, Generatio aduenit, Terra autem in æternum stat; Quorum Verborum sensus est, quod cum in fine Mundi omnes rerum generationes deficere debeant, Terra tamen immortali fruetur existentia.

Quinta, & postrema Conclusio. Omnia mixta Igne destruentur in fine Mundi, iuxta D. Petri Oraculũ supracit. Epis. 2. Cap. 3. Terra, & quæ in ipsa sunt opera exurentur; Quamuis Suarez existimet in illo statu aliqua futura esse mixta in terra, quæ absque noua generatione in perpetuum conseruabuntur; Quod colligit potissimum ex D. Anselmo in Elucidario asserente, Terram, quæ in gremio sui corpus Domini confodit, & quæ Sanctorum sanguine fuit irrigata, odoriferis floribus, Rosis, Violis immarcessibiliter esse perpetuo decorandam. Attamen contraria est sententia D. Thomę in 4. Distinct. 48. Quæst. 2. Art. 5. & aliorum Doctorum, quos suo loco adducam, existimantium, nulla mixta in fine Mundi esse permansura; Innouatio enim Mundi facienda est conformis innouationi hominis, propter quem Mundus mutabitur. Quare si homo transibit à statu corruptionis ad statum incorruptionis æternæ, etiam Mundus, omni abiecta corruptione, in æternã incorruptionem transmutabitur. Illa igitur dumtaxat perpetuam acquirunt incorruptionem, quæ sua natura ad incorruptionem sunt ordinata. Hæc verò sunt tantum Cælestia corpora, Elementa, & homines; Etenim Cæli sunt incorruptibiles secundum totum, & secundum partem. Elementa sunt quidem corruptibilia secũdum partem, sed non secundum totum; Homines verò corruptibiles sunt tum secũdum partem, tum secundum totum, ratione tamen materiæ, non formæ quæ est Anima immortalis; Quoniam, verò Animalia, Plantæ, & cætera mixta sunt corruptibilia, secundum totum, & secundum partem, tum ratione materiæ, quæ radix est corruptionis, tum ratione formæ, quæ corruptioni, & interitui est subiecta, fit vt ista nullum habentia ordinem ad incorruptionem, in illa mundana innouatione, quæ erit acquisitio perpetuæ incorruptionis, nullatenus debeant remanere, sed ab Igne sint deuoranda. Non propterea dicendum est, Mundum post diem Iudicij tot eximijs rerum Generibus carentem, nomen, & rationem Vniuersi non amplius promereri, & consequenter imperfectioni potius, quam ornatui esse subiectum; Nam Planetę, Animalia, & alia mixta sunt de perfectione Mundi secundum præsentem statum, non autem secundum statum nouitatis illius, cum ordinem ad eam non habeãt; Ideo iuxta exigentiam status Mundi illa Mundi constitutio erit perfectissima, & Vniuersum dicetur omnia complecti, quæ ad ipsius conditionem, & innouationem requirentur.

Hæc compendiosè tradita sint de statu rerum materialium post sæculorum finem.







TRACTATVS DE FINE MVNDI.



PRÆFATIO

Ad Disputationem Pythagoricam.



Eterum Sapientum de Mundi Fine opiniones indagaturus, à Pythagoreis Philosophis auspicari fas est, quia ipsi non ætate solùm, sed etiam sapientiæ principatu cæteros priscæ doctrinæ cultores antecellunt; Siquidem Pythagoras floruit Olympiade sexagesimâ primâ, regnante apud Romanos Tarquinio superbo, Cambyse apud Persas, Amaside apud Ægyptios, Aggeo, Zacharia, & Malachia apud Hebræos prophetantibus: Quæ tempora indicant, sectam Pythagoricam multis philosophantium familijs, & præsertim Platonicâ, Aristotelicâ, & Stoicâ vetustiorem extitisse; Idcircò inter has meas disputationes, Pythagorica Disceptatio iure meritò sibi primum vendicat locum, quia doctrinæ Pythagoricæ, tãquam antiquiori parenti, cęterę Philosophorum soboles primas deferunt, & è Pythagoreo fonte suos doctrinę riuos transfundunt. Verùm à quibus magistris sua dogmata hauserit Pythagoras, non est omninò certum, & exploratum. Ipsum sapientes Aegyptios adijsse, testes probatissimæ fidei sũt Laertius, Eusebius Cæsarien. & Theodoretus; non quidem, vt sacræ, & Mosaicæ disciplinæ sitim expleret, quandoquidem illis temporibus Hebręorum doctores, non in Aegypto, sed in Syriâ sacras litteras profitebantur;

In vita Pythagoræ.
Lib. 10. de præp. euãg.
Lib. de principijs.

sed, vt Aegyptios mathematicis scientijs apprimè excultos audiret, atq; nobile sui animi theatrum mathematicâ supellectili exornaret; Multa quoque Hebręorum pronunciata accepisse fama est, vel quia Hebræo vsus est magistro, vel quia genere Hebræus fuit, vt aliqui opinantur. Cæterùm hic ferè totius Philosophię parens, vti fęcundissimus fuit in scientijs gignendis, ita sterilissimus in monumentis producendis; Quippe Diogenes, & Lucianus prodiderunt, ipsum, vel nihil, vel quid exiguum, qualia sunt symbola, litteris consignasse; Vnde Pythagoræ placita, non ex ipsius scriptis, sed ex suæ doctrinę alumnis venari tãtùm oportet; inter quos primæ, ac spectatissimæ notæ enumeratur Ocellus Lucanus, vetustissimus Pythagoreæ scholæ discipulus, qui sicuti Platonem, & Aristotelem tempore præcessit, ita apud veteres maiori dignus honore habitus est, quàm cęteri Pythagorici, Oresander, Dardanęus, Cerambus, Malias, quemadmodum vir eruditissimus Franciscus Patritius luculẽter attestatur. Hinc Io. Picus Mirandulanus Ocellum hoc elogio celebrauit. *Cur & Ocellus idem Lucanus in lib. de Mundo, testimonio etiam Platonis, in Philosophiâ eminentissimus?* Quamobrem, cùm mihi hanc de Mundi fine tractationem meditanti, primùm curę esset, Pythagorę sentẽtiam circa Vniuersi occasum inuestigare, ipsam dunta-

In disputationibus Perip. c. 7.
Lib. 1. contra Astrologos.

xat in volumine Ocelli exaratam deprehendi; Quod me antea docuerat Philo Iudęus de Ocello hęc habens. *Sunt, qui tradunt opinionis de mundi æternitate, non Aristotelem primum authorem, sed Pythagoreos quosdam fuisse; At mihi Ocelli genere Lucani inscriptus de Vniuersi natura commentarius oblatus est, in quo quidem mundum esse ingenitum, & nunquam interiturum, non solum protulit; verumetiam exquisitissimis rationibus comprobauit.* Quare cùm inter primas balbutientis Philosophiæ voces, Quæsitum, cum de mundi æternitate, tum de ipsius generatione resonaret, primus Ocellus Pythagoram, vt ego interpretor, sectatus, Mundum, absque primordijs, & incunabulis, perennitate gaudentem, & interitui non obnoxium scriptis euulgauit; Propterea vetus rumor de Aristotele percrebuit, quòd ipse argumentationes, pro Mundi æternitate, 8. lib. Phys. expressas, ab Ocello surreptas vsurpauit; Siquidem antiquissimũ Ocelli extat opus inscriptũ Περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως, idest de vniuersi Naturâ; Quem librum latinâ versione aliqui donarunt, sed nullus maiori subtilitate, & eruditione, quàm nuper Carolus Emmanuel Vizzanius Patritius Bononiensis, qui eumdem Librũ clarissima Paraphrasi, & Commentario, Græcis, & Latinis lucubrationibus eleganter elaborato, illustrauit. Quoniam igitur opinio de Mundi ęternitate à scholâ Pythagoreâ primùm emanauit, vt præter Philonem Hebræum, Censorinus his verbis fatetur. *Sed illa sententia, qua semper hominum genus fuisse creditur, Authores habet Pythagoram Samium, & Ocellum Lucanum, & Architam Tarentinum*: ego, qui in hanc meam disputationis arenam primùm Ocelli argumẽta pro Mundi ęternitate pugnantia afferre decreui, hanc Disceptationem Pythagoreo nomine inscripsi, vt poteà gymnasio Pythagoræ ortam, suæq; doctrinæ lacte nutritam. Proinde in Ocelli argumentationibus diluendis occupatus, ipsius Pythagoræ placita euoluere videor, & excutere; Sed ne vitiò mihi vertas, obsecro, amice Lector, quòd in hac Disputatione, rationes Ocelli exagitando, plurima è Philosophiæ naturalis, Geographiæ, Medicæ facultatis, Historicæ disciplinæ, necnon Theologiæ penu quæsita expresserim, & ad examen reuocauerim. Etenim satis habui negotij in Ocelli rationibus, non exiguis, & imbecillis, sed validis, & neruosis, elidendis, ac infringendis; Quod absq; multis frugiferis, & iucundis, vnàq; opportunis disputationibus, me abundè assequi non posse, intelligebam: Itaq; hæc non erit Lectori operosa, sed delectabilis sarcina, & mentis iucunda distractio; non nauseam, sed famem excitabit; non plùs hauriet legentis ingenium, quàm digeret; ipsum non mole rerum obruam, sed leuabo, & cum multa degustauerit, nulli rei inhiabit, nõ copiam tamen, sed sufficientiam rerum amabit. Viatoris laus est, qua honeste transit, fructuosè aliquando immorari. Id ego pręstabo, & dum per multiplicis eruditionis campos iter agam, amænitate viarum, metam, quàm destinaui, non obliuiscar; multa pertransibo, sed nusquam citra terminum subsistam: Perge, Lector, & rerum, ni fallor, varietate recreaberis.

Libr. de mundo.

Li. de die natali ca. 2.



DI-

DISPVTATIO PYTHAGORICA

Aduersus Ocellum Lucanum Pythagoricum, lib. de Naturâ Vniuersi; Cuius præcipua argumenta de Mundo non interituro examinantur, & refelluntur.



Ontendit Ocellus argumentis naturæ lumine illustratis demonstrare, nũquam Mundũ esse interiturum; Quod etiam inter recentiores ostendere conantur Conimbricenses in lib. 1. de cælo cap. 12. quæst. 1. art. 2. & P. Raphael Auersa tom. 2. Philosoph. quæst. 31. de mundo sect. 10. nimitum hi Authores rationibus probant naturalibus, Mũdum interitui obnoxium non esse. Putant siquidem, Mundum intrinsecè, & ex sua natura incorruptibilem esse, tum quoad substantiam, tum quoad essentialem ordinationem, & habitudinem suarum partium, adeout, si Deus numquam subtraheret suum ordinarium concursum, Mundus aptus sit æterna duratione perseuerare: Cui assertioni ego quoque libenter adhæreo, sed arbitror, rationes ab Ocello, ab Aristotele, ab alijs allatas, ad Mundi suadendam æternitatem, infirmas prorsus esse, & inualidas.

Authores existimantes Mundi durationem æternam fore, non subtrahente Deo suum cõcursum.

Atque, vt ab Ocello auspicemur, prodit prima ratio ab ipso deprompta, & paraphrasticè ita constructa. Mundus caret principio, igitur etiam fine. Caretprincipio probat ex eo, quòd si Vniuersum factum esset, ex materia præcedenti illud vtique factum fuisset, igitur non totum factum esset, quia producta non esset illa materia, quæ est pars Mundi, & ex qua genitus fuisset; Ergo nec etiam dissoluetur, quoniam in illam eamdem materiam remansuram dissolueretur, atque ita totus Mundus non corrumperetur; Etenim quod totum, vel generatur, vel corrumpitur, cum omnibus suis partibus, & generari, & corrumpi necesse est.

Ratio Ocelli paraphrasticè explicata.

Hæc Ocelli ratio tria cõtinet; Primum est, Materia, ex qua factus esset Mundus, esset ingenerabilis, & incorruptibilis, nã si illa quoq; facta fuisset, ex alia materia fuisset producta; atq; ita haberetur processus in infinitum, qui non est admittendus; Secundum est, quòd Mundus fuisset factus ex materia; Tertiũ, quòd Mundus si interiret, in materiam resolueretur: Singula sunt breuiter examinanda.

Et quantum spectat ad materiã, quam Peripatetici primam vocant, & quam ingenerabilem, & incorruptibilem constituunt, scio, eosdem Peripateticos, materiam non esse corpus, asserere, cum tamen, physicè loquendo, eadem sit matereitas, vt sic dixerim, & corporeitas; Vnde puto, Aristoteli non satis fuisse cõpertam primæ materiæ naturam, quæ ab ipso 7. metaph. cap. 3. tex. 8. his verbis describitur: *Materia non est quid, nec quale, nec quantum, nec aliquid eorum, quibus ens determinatur.* Quam describendæ materiæ rationem secutus D. Augustin. libr. 12. confession. cap. 3. & 6. inquit: *Materia calor non est, non figura, non corpus, non spiritus, non tamen omnino nihil:* & cap. 5. asserit, materiam ignorando cognosci, & cognoscendo ignorari; Ideò Plato in Timæo eam his verbis non ens appellauit; *Quid est, quod semper est? generationem autem non habet? & quid est, quod gignitur quidem, numquam autem est?* Quo loco per illud, quod semper est, significanit Ideam; Per id verò, quod non est, & gignitur, materiam primam indicauit, iuxta interpretationem Plotini, libro sexto, æneide tertia; Cardinalis Bessarionis, libro secũdo contra calumniator. capite quinto; Io. Pici lib. de ente, & vno cap. 6. Hinc idem Plato in Teæteto materiam vocat dissimilitudinis regionem, & Diuinitati vndiq; dissimillimam, quia longissimè abest a Deo, vtpotè propè nihil, iuxta illud D. August. pronunciatum: *Duo, Domine, fecisti;*

Diuersæ descriptiones materia prima

cisti; Vnum propè te, & est natura angelica, alterum propè nihil, & est materia prima; Propterea eadem materia ab antiquis Philosophis defectus, & turpitudo nuncupata fuit. De hac igitur materiâ, quæ potius est nihil, quàm ens, cur tot iactant Peripatetici? cur inflato ore materiæ intonant ingenerabilitatem, & incorruptibilitatem, cuius naturam ignorant? Cur Ocellus, tamquam principium assumit, quòd si Mũdus factus fuisset, ex tali materia genitus esset; Sed quoniam in Disputatione Platonica, de hac materia alia occurrent dicenda, hic solum indicabo, materiam primam ab Aristotele inuectam, esse potius quid metaphysicum, quàm physicum, & censeo, materiam primam nil aliud esse, quàm ipsa elementa, eorumq; compaginem, ex qua omne mixtum generatur, & in quæ elementa omne mixtum per corruptionẽ resoluitur; Quibus characteribus descripsit Aristoteles suam materiam 1. physic. text. 82; Quare sensus Ocelli eò adducitur, quòd si Mundus factus fuisset, vtique ex elementis genitus esset; Quòd sanè admittendum non erat; nam si Mundus factus fuisset ex elementis, antea fuisset, quam esset, quia elementa, sunt partes præcipuæ constituentes Vniuersum; Si verò dicat Ocellus, non ex elementis, sed ex aliâ quidem materiâ Mundum factum fuisse, incumbebat ipsi assignare, & exprimere, quæ, & qualis fuisset illa materia, quam, neque Ocellus, neque Peripatetici sciunt explicare, nisi per descriptionem negatiuam, quæ sicuti in Deo summam, atque infinitam indicat perfectionem, ita in materiâ ingentem connotat imperfectionem. Verum quicquid sit de hac materiâ, concedamus, quòd si Mundus factus esset per generationem, & physicam mutationem, vtiq; ex materiâ productus esset, sed quoniam Mũdus habuit principium per creationem, quæ nullam supponit, imò omnem excludit materiam, ideò non rectè suâ argumentatione philosophatur Ocellus.

Materia prima est potius quid metaphysicum, quã physicum, vel non est aliud præter compaginem elementorũ.

Redargui tur Ocelli ratio.

Mundus nõ habuit principiũ per mutationẽ, sed per creationem, & ex materia non fuit productus.

Dices: Creatio lumine naturę nõ cognoscitur, igitur nullus alius modus Ocello suppetere poterat, quo Mundi initium apprehenderet, quàm per generationem ex materiâ præcedenti; Quocirca Arist. in 8. physic. ad demonstrandam Mundi æternitatem, quam ab Ocello desumpsit, hoc vtitur pronunciato; Quod omne, quod fit, ex aliquo fit, & præsupponit subiectum, & materiam, vt antea 1. physic. tex. 34. demonstrauerat: Et quamuis de hoc pronunciato, necnon de creatione, an ipsa lumine naturæ cognoscatur, multa sint à me explicanda, tamquam in propria sede, in Disputatione Aristotelica, tamen nunc obiter dicam, quod considerare debuisset Aristoteles, iuxta sua principia; Quòd sicuti ad factionem particularis entis, ante requiritur particularis eius priuatio, vnde in primo physicor. dicebat; *Musicum fit ex non musico, calidum ex non calido, homo ex non homine*; Sic ad vniuersalis entis, totiusque Mundi productionem prærequirebatur vniuersalis rerum omnium priuatio, quæ est purum nihil. Itaque nullam præmittere, ac præponere, neque Ocellus, neque Aristoteles debebât materiam, ad Mundi productionem, eò magis, quia si Deus ab Ocello Agens vniuersale cognoscitur, igitur omnia effecit, ergo & materiam quoque illam primam produxit. Addo, quòd forma ex nihilo fit, & quamuis dum fit, indigeat materiâ, & subiecto, à quo sustinetur, & in hoc sensu dicunt philosophi, formam educi ex potentiâ materiæ, tamen hoc non efficit, quominus illa entitas substantialis, tota dicatur incipere esse, cùm antea nullum haberet esse, vnde hęc productio est creationi simillima; Quare si hoc euenit in productione naturali ad causam efficientem naturalem relata, magis eueniet in productione rerum ad Deum relata, & hæc est creatio.

Redarguitur dictũ Aristotelis, quod ex nihilo nihil fit.

Et sanè eo magis falsa Ocelli opinio de productione Mundi, si facta fuisset ex materiâ, demonstratur ex vniuersâ sapientum antiquitate, Mundi creationem celebrantes; Quam cognitionem prisci philosophãtes, & poetæ ex sacris Moysis fontibus hauserunt, eamque ad sua irriganda monumenta deriuarunt; Et quamquam anceps, & dubia de Mundi creatione Platonis sententia videatur, tamen in hoc idem placitum de Vniuersi creatione conspirasse in disputatione Platonicâ planum faciam, sicuti in Aristotelicâ Mundi æternitatem ab Aristotele, vna cum Ocello propugnatam acriter reijciam. Itaq; ingeniorum flos Augustinus libr. 11. de Ciuit.

D. Augustini testimonium de creatione Mundi naturaliter cognita.

uit.cap.4.Mundum creatum esse,naturali lumine cognosci posse, ita edisserit: *Exceptis propheticis vocibus, Mundus ipse ordinatissimâ sua mutabilitate, & mobilitate, & visibilium omnium pulcherrimâ specie, quodammodo tacitus, & factum se esse,& non nisi à Deo ineffabiliter, atq; inuisibiliter fieri se potuisse proclamat.* Quod sanè intelligendum est de illa creatione, quam Scholastici vocant cum nouitate essendi, nempè de noua rerum productione ex nihilo, quandoquidem de illa æterna emanatione, siue dependentia rerum à Deo, quæ creatio, sine nouitate essendi appellatur, non verba facit Augustinus, quoniam hæc creatio constituit Mundum absq; primordijs, & in æterna, vt sic dixerim, senectute perennantem, & de qua creatione in Disputatione Aristotelica aliqua ingeremus; Quod si naturali rationis ductu apprehendi potest, Deum nõ agere necessitate naturæ, sed liberè, non finita,& limitata, sed infinita, & immensa pollere potestate, etiam naturaliter cognosci potest, supremum diuinissimum Numen omnia illa efficere posse, quæ, vt loquuntur Scholastici, contradictionem non inuoluunt; At, præcognita Dei libertate,& infinita agendi potestate, nulla oritur contradictio, si asseratur, Deum ex nihilo vniuersitatem rerum produxisse,nõ quidem solo actu interno intellectus, & volitionis, cum relatione ad res ipsas, vt aliqui arbitrati sunt, sed etiam reali influxu potentiæ diuinæ exequutis, & actione externa, & transeunte; Igitur Ocellus solo naturæ lumine cognoscere poterat, quòd Mundus, non per generationem ex præcedenti materia, sed per creationẽ ex nullo subiecto poterat produci; Quo posito, innotescere Mundi finis eidem debebat Ocello; Vnde ingeniosè argumentatur Lactãtius lib.7.de diuino præmio, cap.3.his verbis: *Atqui mundus habet rationem, qua, et constat, & regitur, ergo factus est, & si factus, resoluetur. Reddant igitur isti rationem, si possunt, cur, aut factus in principio sit, aut postea resoluetur;* Quare ex creatione Mũdi scitè infert Lactantius, eiusdem finem, & occasum; Illa enim, quæ ex nihilo prodierunt, diuina ex nihili abyssis euocãte potestate,quę, ex Paulo, vocat ea, quę nõ sunt,tanquam ea, quæ sunt,ad nõ esse ab eadem diuina

Explicantur verba Augustini de creatione cum nouitate essendi.

Cõsideratio de creatione Mũdi naturaliter cognita.

Lactantij testimonium de principio.& fine Mundi.

potentia facilè possunt reuocari.

Confirmatur, quia rerum conseruatio à creatione, ea dumtaxat discriminatur differentia, quòd creatio terminat ad esse absolutũ,quod nullo modo antea erat; Conseruatio autẽ terminat ad idem esse, iam præhabitum per creationem, vt iure meritò affirmauerit D.Augustin.lib.4. in Genes.cap.12. etiam nunc cælestes orbes creari. Quamobrem, si idem Deus conseruando res, continuò ipsas creat, poterit pro libito non creare, idest easdem non conseruare, & per subtractionem sui concursus Mundum ad non esse redigere. Ex quo patet, quòd, supposita naturali notitia de Mundi creatione, ipsius quoque interitus dignoscitur. Propterea asserendum est, nullas esse rationes positiuas, quæ in vero, & recto lumine naturę probent Mundi ęternitatem à parte ante, & post, quia verum lumen naturæ à vera philosophia emanans, non repugnat catholicæ veritati, & humanum ingenium in errores non adducit; Quoniam lumen naturę est participatio luminis supremi, & supremæ veritatis in mente diuina refulgentis iuxta Dauidicum oraculum: *Signatũ super nos lumen vultus tui, Domine.* Igitur illi non aduersatur. Itaq; cũ sit veritas catholica Mundi creatio, & finis eiusdem Mundi, non potest ipsius ęternitas rectâ ratione naturali persuaderi.

Verum lumen naturæ cognoscit principium, & finẽ Mundi.

Hæc, quoad prima duo pronunciata contenta in argumentatione Ocelli, qui tertium infert, scilicet, quòd si Mundus dissolueretur,in materiam, ex qua factus esset, abiret, sicq; totus non interiret; Cui consequentiæ respondeo, concedendo, Mundum non esse totum dissoluendum, sed tãtum in aliquibus entium gradibus, scilicet in mixtis, cùm inanimatis, tùm animatis, exceptis hominibus, quorum animæ, reassumptis corporibus, vel in Paradiso perpetua beatitate fruentur, vel in Inferno ęterno torquebuntur cruciatu; Cætera verò mixta ab igne consumentur, & destruentur, vt fusè explicabo in secunda parte huius Tractatus. Quoniam autem mixta ex nihilo prorsus à Deo nõ fuere producta creationis primordio, ideò neq; in nihilum penitus dissoluẽtur; Id patet ex cap.1. Genesis. *Dixit etiam Deus: producant aquæ reptile animæ viuentis,*

Mixta in fine Mundi non resoluentur ex nihilo.

tis, & volatile super terram, sub firmamento cæli. Igitur volatilia, & reptilia producta fuerunt ex aquis. Idem dicendum est de brutis animantibus, de quibus in eodem cap. hæc tradita sunt: *Producat terra animam viuentem in genere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ, secundum species suas*. Quamobrem duplex constituitur creatio, altera immediata, & prima, qua omnia simul ex nihilo Deus produxit, Salomone attestante, *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*; Altera verò est creatio mediata, qua formæ rerum, & species supradictæ ex elementis aquæ, & terræ à Deo productæ fuerunt; Quare mixta non dissoluentur in nihilum, tùm quia Deus res non annihilat, vt alibi declarabo, tùm etiam quia mixta prorsus ex nihilo non producta, resoluentur in elementa, quibus constant, quæ elementa vnà cum cælestibus corporibus purgata, post Mundi finem in æternum manebunt. Et hæc de prima Ocelli argumentatione.

Secunda ratio Ocelli, quæ vna cum rationibus à Philone pro æternitate mundi constructis lib. de mundi incorruptibilitate discutitur, & refellitur.

Secunda ratio ab Ocello allata ita conficitur. Omne id, quod incipit, & desinit esse, duplici afficitur mutatione; Altera, quæ transit à deteriori ad melius, nimirum, qua incipit esse, transiens à non esse, quia non esse est deterius, & esse melius est; Altera verò mutatio est, qua trãsit à meliori ad deterius, idest ab esse ad nõ esse; sed Mundus semper in eodem statu, & vigore permansit, ergo Vniuersum non est his mutationibus subiectum, & numquam interibit.

Hæc argumentatio vnum supponit, quod prima facie veritatẽ præseferre videtur, scilicet, quod illud, quod incipit habere esse, transit à deteriore ad melius, idest à nihilo sui ad esse; Nihilo autem quid deterius, quid calamitosius dici, vel fingi potest? Quocirca, si Mundus incæpit esse, transijt à deteriori, nimirum à non esse, ad esse, quod est melius. Et sanè, si comparetur existentia Mundi cum nihilo, ex quo fuit productus, vtique verum est, Mundum transiuisse à deteriore ad melius, quià absolutè, & simpliciter melius est esse, quàm non esse; Verùm si platonicè philosophari fas sit, & spectetur idea Mundi, quæ ante ipsius Mundi productionem, Menti creatæ, Opifici vniuersi, ex Platonis sententia, insidebat, & ex qua idea, hæc rerum vniuersitas educta fuit, exploratissimum est, Mundum non transijsse à deteriore in melius, quandoquidem idea Mundi, tota platonica schola consentiente, perfectior, nobilior, & melior est ipsomet Mũdo; Si autem Theologica in consilium adhibenda est doctrina, Mundus antequam fieret, habebat esse obiectiuum in Deo, atq; in eius omnipotenti causalitate existebat. Hinc commune est Theologorum effatum, Res omnes Deo in æternitate coexistere. Quod pronunciatum opportuniore loco explicabitur; Propterea, quando Mundus à Deo fuit creatus, & positus extra suam causam, transiuit à nobilissimo esse obiectiuo, & ab illo esse vero, & reali, quod habebat in Deo, ad suum esse formale, creatum, & participatum; Id verò non est transire à deteriore ad melius, vt perperam ratiocinatur Ocellus. Itaque falsum etiam est, Mundum cùm interibit, trãsiturum esse à meliore in deterius. Etenim destruetur quidem Mundus, quoad mixtorum species; at quoad partes Mundi, quæ remanebũt, & quæ sunt partes præcipuę eiusdem Mũdi, vti elementa, & corpora cælestia, maiorem acquiret perfectionem, melioremque statum obtinebit, vt in secunda parte mei Tractatus demonstrabo.

Explicatur, & refellitur dictũ Ocelli, quod si Mundus incæpit esse, transijt à deteriori ad melius.

Hinc non infertur id, quod arbitratus Philo, lib. quòd Mundus sit incorruptibilis, vbi ita argumentatur: *Vel Deus Mundum perderet, vt nullum posthac conderet, vel vt alium repararet; Primum non est dicendum, quia Deo non conuenit, cuius est è perturbatione ordinem, non ex ordine perturbationem facere, & videretur pænituisse, se Mundum creasse, cum debuerat, aut non condere Mundum, aut postquam condidit, ipso condito gaudere; Si verò aliũ reparabit, is fiet, aut deterior, aut similis, aut melior. Si deterior, opifex quoque deterior erit,*

Philonis argumentatio affertur, & refellitur.

erit, quod non est dicendum; Sin autem erit similis, incassum artifex laborabit. Si verò meliorem fabricabit, melior fiet etiam opifex, Deus autem est semper sibi par, & sui similis, nec in deterius, nec in melius proficiens. Hæc Philo, cuius argumentatio multis scatet erroribus, Enimuerò Deus non destruet Mundum, quasi pænitentia ductus, sed, iuxta suam infinitam prouidentiam, operabitur, sub qua constituendum esse finem, atque interitum Mundi, in Disputatione Stoica explicabo; Neq; à forma perfectiore, atque ab ornatu elegantiore, quo Mundum reparabit, Deus melior fiet; nam sicuti Deus rerum vniuersitatem creans, nullam in se ipso acquisiuit mutationem, quicquid flagitiosè in contrarium sentiat Auerroes, sed tantùm denominationem extrinsecam, qua Creator est appellatus, & tota mutatio facta est respectu Mundi, qui transiuit à non esse ad esse, & acquisiuit relationem realem ad ipsummet Deum, qui solum relationem rationis habet ad creaturas; ita quando Deus Mundum reparando, & resarciendo, ad meliorē rediget formam, non mutabitur in seipso, neq; melior, aut perfectior euadet, sed tota perfectio, & mutatio erit penes res creatas, quæ post Mundi finem remanebunt.

Cæterùm sicuti Deus, Mundo renouato, melior non efficietur, ita cessante motu cælorum, necnon, cessante ipsius Dei ad mixta conseruãda concursu, non erit Deus otiosus, quæ fuit altera ratio, & error excogitatus à Philone libr. commemorato, vbi hæc habet: *Ipsemet Deus aurigæ more, gubernatorisq; regit, & gubernat vniuersa, Soli, Lunæ, cæterisque sideribus, aeri quoque, & reliquis Mundi partibus assistens, cooperando quicquid ad vniuersitatis perpetuitatem, rectamque, & inculpabilem dispensationem pertinet; Quòd si cuncta perierint, segnis, & otiosus, vitam iniucundam viuet, quo quid dici potest absurdius?* Hactenus Philo.

Altera Philonis argumentatio confutatur.

Cõfirmatur id Aristotelis testimonio, lib. 10. moral. ad Nicom. capit. 8. quo loci agens de felicitate, actiones Dijs attribuendas quidem esse, negat, quoniam ipsorum felicitas in contemplatione consistit, non tamen inficiatur, Deo nullam competere actionem, sed eam tantum, quæ in exercitio moralis virtutis posita est; Siquidem ita loquitur: *Quales actiones attribuere Dijs debemus? Iustasne? numquid fortes? an liberales? an temperatas? Quare Dei operatio eùm beatitudine excellat, contemplatiua erit.* Quorum verborum sensus est, negare Deo actionem moralem, à virtute morali profectam, quæ habitu, & assuetudine comparatur, cuiusmodi acquisitionis, & perfectionis nõ est capax supremum Numen, non aūt intendit Arist. indicare, Deū posse actione carere, & præsertim motione cęlestium orbium, quam ipsi in 8. physic. æternam attribuit: Cum autem, Mundo destructo, talis cessaret motio, & actio Dei, hinc inferebat Philo, Deum otiosum futurum.

Arist. testimonium de actione Dei.

Quæ ratio ineptissima, & impia est, quoniam admittit, Deum in nulla alia re versari, nullaque occupatione feliciter detineri, quàm in tractãdo clauum Vniuersi, & in Mundi habenis regendis; & tamen Numen illud æternū versatur potissimum in perpetua suæ essentiæ contemplatione, qua producitur Verbum, & ex Patre, & Verbo procedit Spiritus Sanctus: Quin ipse Aristoteles beatitatem Dei in cõtemplatione suę substantię 12. metaph. collocauit; Ideò quamuis Deus, post Mundi finem feriari debeat partim ab isto, quod nunc habet, Vniuersi gubernaculo, non ob id desidem vitam aget, & sedẽtariam; Siquidem hæc est illa temeritas excitata ab illis, qui sciscitabantur, quid ageret Deus, antequam Mundū conderet; Quos redarguit Aug. lib. 11. conf. cap. 12. his verbis. *Dicent, quid faciebat Deus, antequam faceret cælum, & terram? Respondeo, non illud, quod quidam respondisse perhibetur, & iocularitèr eludēs quæstionem violentam: Alta, inquit, scrutantibus gehennas parabat;* Et paulò post. *Antequam faceret Deus cælum, & terram, non faciebat aliquid, si enim faciebat, quid nisi creaturam faciebat?* Idem Augustinus lib. 3. contra Maximum cap. 21. postulantibus vbinam Deus esset, antequam Mundum fabricaret, respondit fuisse in seipso. Vnde miror, Origenem lib. 3. de principijs cap. 5. asseruisse, Deum antequam hunc Mundum conderet, in alijs Mundis regendis, & administrandis operam locasse; Quod Origenis pronunciatum accusatur falsitatis ab Augustin. lib. 12. de Ciu. capit. 13. Quemadmodum igitur temeritas est, perscrutari, quid Deus age-

Demõstratur, Deum otiosū non fore, finito Mundo.

agebat, antequam Mundum conderet, & suspicari, ipsum quodammodo otio torpuisse, sic flagitiosum est opinari, Deũ post Mundi finem, otiosum futurum; Etenim, non solum versabitur in perpetua suæ essentiæ contemplatione, sed etiam in conseruandis ęterno tempore partibus Vniuersi, quæ remanebunt, atque in afficiendo præmijs æternis Beatos, & ęternis supplicijs Damnatos.

Porrò ad argumentationem Ocelli respondeo, ipsam prorsus inualidam esse, quoniam falsum est, Mundum, cum finem obtinebit, transiturum esse à meliore ad deterius, siquidem perfectiorem statum adipiscetur, atque elementa, quæ remanebunt, & erunt partes perfectissimæ Vniuersi, non sunt deteriora mixtis, quæ ab igne absumentur quidem, sed in ipsa elementa resoluentur. Et tota ratio huius Authoris procedit de corruptione substantiali, qua mixtum, dum corrumpitur, transit in deterius; At Mũdus non finietur per corruptionem, sicuti non incæpit per generationem, sed ipsius excidium erit per destructionẽ ignis, qui, vt Dei instrumentum, Mundum ab omnibus sordibus purgabit, & forma perfectiore reparabit: Quæ cum ita sint, meliùs philosophatus esset Ocellus, si Mundi incorruptibilitatem, relictis rationibus, diuino placito attribuisset, sicut Boethus, Possidonius, Panætius, viri Stoica doctrina pręstantissimi dixere, tanquam correpti numine, inquit Philo, & de quorum sententia aliqua in Disputatione Stoica delibabimus.

Finis Mũdi nõ erit transitus à meliore ad deterius, contra Ocellum.

Quoniã autem tota vis rationis Ocelli in eo posita est, quòd Mundus semper idem fuit, & semper in eodem permansit vigore, libet aliquot quęsitis hoc pronunciatum examinare, & incipientes ab Elemento terræ, primo loco quæremus, an aliqua contigerit in tellure varietas.

QVAESITVM PRIMVM.

CAPVT PRIMVM.

An facta sit aliqua in Terra mutatio.

NOn loquor de mutatione locali terræ, iuxta sistema Copernicиũ, quo terra, tanquam astrum, inter Martem, & Solem collocata, mouetur; Etenim hoc erratum, tum à sacra scriptura, tum à Sanctæ Ecclesiæ decretis iam explosum, à christiano debet penitus exulare Philosopho. Quòd erratum ponit terram, quæ est centrum Mundi, extra medium ipsius Mundi, & extra infimum locum, qui conuenit grauitati terræ, imò Infernum inter sidera collocat, quoniam ex Fide christiana habetur, Infernum in centro terræ constitutum esse; Sed meus est sermo de mutatione alterationis, generationis, & corruptionis terræ, & primus sensus Quæsiti breuiter est, an terra eamdem semper habuerit fæcunditatem, & vim productiuam.

Commemoratur opinio Copernici de motu terræ, & refellitur.

Et quidẽ pro hac terrę immutabilitate occurrit testimoniũ Philonis lib. superius memorato, quo inuariatã terræ fæcunditatem his verbis exponit. *Terra certè nondum senuit, vt videri possit effœta præ senio; viget illa semper sui similis, cum sit vniuersitatis quarta pars, & ad totius salutem pertineat manere hanc incolumem, quoniam, & germana eius elementa numquam senescunt. Id verum esse, apparet ex indefessa, continuaque huius fæcunditate; Irrigata enim vel fluminum restagnationibus, sicut Ægyptus, vel annuis imbribus exhaustas feracitate vires reficit, & quiete modica se refouet, moxque, vt ante, alimenta largiter animãtibus suppeditat; Quapropter opinor, poetis non temerè Pandoram vocari, πάντα δωρουμένην, idest omnia largientem, vel iucunda, vel necessaria, non his, aut illis, sed omnibus, quæcumque sortita sunt animam.* Hęc Philo. Quæ de terrę fęcunditate pronunciata Ita placet confirmare; Terra eadem conuersione semper exculta fuit, & excolitur iugiter ad fęcunditatem & pluries coloni ipsam aratro, ligone, & similibus exercent, & minutatim conterunt, & quasi in puluerem redigunt, vt partes terræ interiores vertantur

Testimonium Philonis de vniformi terræ fæcunditate.

ad

ad excipiendā aeris humiditatem, & viuificum Solis calorem; atq; vt etiam humiditas excrementitia, perniciosa terræ, à calore Solis, vel coquatur, vel extinguatur; Dum verò semina coloni mandant, terræ ipsam quoque aratro agitant, vt excitent in ipsa calorem, ad fouenda semina, quæ tellus suo, vt sic dixerim, vtero condit, & claudit. Itaq; non mihi arridet recens philosophi sententia, putātis, terram toties à colonis sollicitari, vt virtute, quam habet, magnetica, & attractiua, trahat spiritus vegetabiles, qui resolutione corporum vegetabilium separati, per aerem discurrunt. Siquidem existimat P. Nicolaus Cabeus è Societ. Iesu comment. in librum primum Meteor. in text 18, quæst. 2. in aere omnium rerū attenuata effluuia esse permixta, quasi omniū rerum semina, neq; in aere simul confūdi, misceri, ac commutari, sed separata ab inuicem conseruari, nulloque modo se inuicem destruere; Atq; cum effluuia distinguantur in sensitiua, vegetabilia, & mineralia, putat hic author, hæc effluuia ab omnibus corporibus a vi caloris cęlestis deduci, & in aere conseruari, & idcirco ex pluuijs generari plantas, & animalia, quia pluuię sunt plenæ his effluuijs, quæ extracta à corporibus, eleuantur ad aeris regionem, in qua nubes concrescunt, & in pluuias resoluuntur; & hanc fuisse de atomis opinionem Democriti affirmat, quam recipit, & cōmendat. Hinc infert, pluuias fœcundare terram, quia in se ipsis continent effluuia fœcunda sensitiuorum, vegetabilium, & mineralium, seu metallorum. Equidem licet venerer authorem, mihi beneuolentiæ, & patrię vinculo coniunctissimum, virum de re litteraria optimè meritum, tamen existimo, terræ fœcunditatem talibus effluuijs attribuendam non esse, quoniam illa effluuia, quæ neque videntur, neq; tactu percipiuntur, postquā è resoluto mifto, tanquam partes spiritosæ, & subtiliores euolarunt ad aerem, vel euanescunt in auras, vel resoluuntur, & commutantur in ipsummet aerem, cum quo habent symbolicam qualitatem. Non enim calor Solis facit in corporibus, vt author existimat, quod pręstat calor ignis in clambico, in quo e corporibus, vi ignis, spiritus extracti, in superiori parte clambici concrescunt in guttas, ob frigiditatem eiusdem vitri, & aeris ambientis. Nam id euenit, quia spiritus illi, seu effluuia, intra clambicum detenta, & inclusa, aliò vagari nequeunt, & dispergi, & cùm non habeant causam illos dissipantem, necessariò coguntur in guttas concrescere; Verùm effluuia à calore Solis è corporibus educta, libero vagantur cælo, huc illuc ab agitatione aeris feruntur; & tandem, vel à calore Solis consumuntur, vel à flatibus ventorum dissipantur. Quare esto, in terra adesse virtutem magneticam, dico, spiritus vegetabiles ab ipsa non attrahi, quia citò dissoluuntur, & satiùs puto affirmare, fœcunditatem terræ non esse adscribendam huiusmodi effluuijs, sed calori Solis, humiditati aeris, & imbribus, quando sunt modici, & præcipites non labuntur, Quod si immodici, & assidui defluant, natiuam terræ corrumpunt siccitatem, destruunt calorem viuidum, terræ visceribus inclusum, ipsamque summo afficiunt detrimento. Hinc aquæ pluuiales magis, quam irriguæ, & ex fluminibus deductæ, terram fœcundant, non quia pluuia constet, non solum aqua communi, sed etiam aqua rosarum, tritici, cicoriæ, salicis, vitis, & aliorum, vt ingeniosè philosophatur prænominatus author, quia isti spiritus, vt dixi, tanquā exigui, & tenuissimi, statim dissipantur, & non conseruantur, in aere, veluti in penuario totius naturæ, sed quia pluuiæ formatæ sunt à vaporibus crassis, vt ros efformatur ex vaporibus tenuioribus; crassities autem pluuiæ, in qua tactu aliqua sentitur mollities, magis apta est, ad fœcundandam terram, quam fontium aqua è visceribus terræ scaturiens, qui ista secū fert partes siccas ex gremio terræ deductas, nec imbibit illam solaris caloris portionem, quam habent pluuiales aquæ in nubibus collectæ, & calori Solis magis expositæ.

Fœcundatur etiam terra niuibus, quia impediunt terræ transpirationem, & per antiparistasim calor natiuus terræ validatur, in quo sensu dixit Hippocrates: *Ventres hyeme, & vere calidiores esse*; hinc cecinit Plaltes: *Qui dat niuem sicut lanam*, idest, sicut lana humana fouet corpora, ita nix per antiparistasim terram calefacit;

Opinio de effluuijs, a corporibus separatis.

Pluuiæ cōtinentes effluuia fœcundant terram.

Rationes, ob quas effluuia non fœcundant terram.

Diuersis modis, quibus terra fœcundatur.

cit; *Et nebulam sicut cinerem spargit*, quia nebula sua modica humiditate auget natiuam terræ humiditatem, vt cinis sua siccitate exhaurit è terra noxiam eiusdẽ terræ humiditatem; propterea cinere ad radicem posito, aliquæ fęcundãtur plantæ, quia cineris frigiditate, & siccitate imminuitur aquosa, & noxia humiditas, quę in radice latebat. Ob hanc eamdem causam etiam agri inflammatione circumdantur, ideo Poeta cecinit.

Sæpe etiam steriles incendere profuit agros;

Quia nimirum media flamma perit humiditas aquosa, & excrementitia, quæ terræ fructus, vel retardabat, vel impediebat. Vtique verum est, terram magis idoneam esse ad hoc germinãdum, & illud producendum, vnde Poeta.

Hic veniunt segetes, illic felicius vuæ.

Quia pura non est terra, sed est affecta diuersis qualitatibus, & virtutibus, sibi à Deo in prima creatione inditis, prætermisso vario terræ situ, seu habitudine ad Solem, vnde terra, vel humidior, vel siccior, est magis, & minus calida, & propterea potiùs ad hos, quam ad illos fructus producendos idonea. Quæ cum ita sint, Ratio pro Ocello ita confici potest. Terra eodem modo semper exculta fuit, vel ab arte, vel à natura, ergo eandem conseruauit fæcunditatem, & vim productiuam, quod Philo supra eleganter expresſit; Igitur cum in terra, quæ est pars præcipua Vniuersi, nulla facta sit in fæcunditate mutatio, patet, Mundum mutationibus neutiquam esse obnoxiũ, neque transiturum esse à meliori ad deterius, id est ad finem, & occasum; quod contendebat Ocellus demonstrare.

CAPVT SECVNDVM.

Ostenditur, mutatam esse fæcunditatem terræ, testimonio sacræ scripturæ, Plinii, & D. Cypriani. Indicatur antiqua copia rei frumentariæ, & auri; & infertur, hoc tempore vtramq; defecisse.

ADuersus ea, quæ de terræ fęcunditate in superiori Capite disputata sunt, prodit primo loco testimoniũ sacræ Genesis c. 8. ex verbis à Domino Deo prolatis *Nequaquam vltra maledicam terræ propter homines*. nam quemadmodum benedictio Dei significat abundantiã bonorum; contra, maledictio copiam malorum demonstrat, quæ a Deo iustè infliguntur; Itaq; Deus per supradicta verba significat, tempore diluuij, multis malis terram deformasse, non solum quantum ad situm, quia si antea supereminebat aquis, tempore diluuij tota fuit aquis coperta, vnde nulla apparebat distinctio vallium, montium, camporum, & fluuiorum, sed etiam quantum ad sterilitatem inductam a diluuio in ipsam terram; quoniam sicuti imbrium moderatus lapsus ipsam fæcundat, ita immoderatus deuastat, & infæcundam reddit, siquidem marcescit humiditas illa natiua terræ; in qua vita fructuum ipsius consistit, & cùm terra natiuo prædita sit calore, ad producendos, & fouendos fructus, à tanta aquarum copia calor ille suffocatus fuit, & destructus; Vnde rectè dictum est, Deum maledixisse terræ, cui non amplius maledicet propter homines; Etenim, quamuis in fine Mundi ipsemet Deus magnam perniciem illaturus sit terræ, omnes plantas, omnia ædificia, animalia omnia destruendo, tamen id non præstabit propter hominum peccata, vt fecit in diluuio, sed propter renouationem, & cõmutationem Mundi in meliorem statum; Igitur si vis productiua terræ a diluuio fuit imminuta, falsum videtur illud, quod, ex sententia Ocelli, in superiori cap. suppositum fuit, scilicet terram eodem modo excultam, eãdem semper habuisse fæcunditatem.

Terra post diluuium infæcunda facta est.

De sterilitate terræ conqueritur eleganter Plinius lib: 33. his verbis: *Nuperæ huius sæculi diuitiæ paruæ sunt. Illa enim nos premunt, illa nos ad inferos agunt, quæ occultauit, atque demersit natura, ea enim sunt, inquam, atq; reposuit tam magnifica natura, atq;*

Plinius refert infæcunditatẽ terræ.

op-

opulentia ergo, tùm mortalium vsibus, ac necessitati sustentandæ, industriæ, & arti aliquando exercendæ, vitæ munditiei, & splendori excolendo; Quoniam verò hoc tempore mortales naturæ, & parentis patrimonio abutuntur, ad nutriendam auaritiam, ad irritandas prauas animi appetitiones, ad nutriendas voluptates, effectum est, vt ipsa terra parens frequenti partu delassata, nostro iam sæculo consenescens, veluti exhausta, ac inanis remanserit, ne homines thesauros ad iniquissimos vsus transferant.

Luculentissimum hac de re est D. Cypriani testimonium tract. 1. contra Demetrianum, quo multa recensens naturæ decrementa, eloquentibus lachrymis de proximo Mundi occasu conqueritur. Cuius verba summo lepore, & elegantia exarata hic libet afferre: *Illud primo in loco scire debes, senuisse iam Mundum, non illis viribus stare, quibus prius steterat, fæcunditate nec vigore, & robore eo valere, quo antea prævalebat. Hoc etiam, nobis tacentibus, & nulla de scripturis sanctis prædicationibus, diuinis documenta promentibus, Mundus ipse iam loquitur, & occasum sui rerum labentium probatione testatur; Non hyeme nutriendis seminibus tanta imbrium copia est, non frugibus æstate torrendis solita fragrantia est, nec sic vernali temperie læta sata sunt, nec adeo arboreis fœtibus autumni fœcunda sunt. Minus de effossis, & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minus argenti, & auri opes suggerunt exhausta iam metalla, & pauperes venæ; Breuiantur in dies singulos, & decrescunt, ac deficiunt, in agris agricola, in mari nautæ, miles in castris, innocentia in foro, iustitia in iudicio, in amicitijs concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Putasne tu, tantam posse substantiam rei senescentis existere, quanta prius potuit nouella adhuc, & vegeta iuuenta pollere? Hæc sententia Mundo data est, hæc Dei lex est, vt omnia orta occidant, & aucta senescant, vt infirmentur fortia, & magna minuantur, vt cum infirmata, & diminuta fuerint, finiantur, & cũ olim vltra octingentos, & nongentos annos vita hominũ longæua procederet; vix nunc possit ad centenarium numerum peruenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt, antequam crescant, nec ætas in senectutem desinit, sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem natiuitas properat, sic quodcumq; nunc nascitur, Mundi ipsius senectute degenerat, vt nemo mirari debeat, singula in Mundo cæpisse deficere, cum totus ipse iam Mundus in defectione sit, & in fine.*

D. Cyprianus totius Mundi defficientiam vna cum terra repræsentat.

Hucusque Cyprianus; Quibus verbis nihil elegantius excogitari potest; Ideò fas sit in duobus, vel tribus explicandis immorari, ex quibus ipse potissimum Mundi occasum, & finem argumentatur, nimirum ex telluris sterilitate: ex inopia auri, & argenti: ex humanæ ætatis deficientia.

Et quantum spectat ad terræ sterilitatem, à Iosepho proditum fuit, in oratione Agrippæ regis ad Iudæos, Africam octo mensibus populum Romanum frumentaria pascere, Aegyptum autem quaternis; Quare frumentum annuum Romanæ Vrbi illatum, erat sexcenties centena millia modiorum, & erant in dies circiter centum sexaginta quatuor millia, octoginta tria, referente Lipsio, lib. 2. de magnit. Rom. cap. 10. Vbi nunc tantæ rei frumentariæ copia? Præterea memoriæ proditum est, Pythium Bythinnicum, Xerxis copias excepisse epulo, & & stipendium quinque mensium, & præsertim frumentum, ad tam ingentem exercitum alendum, abundè suppeditasse.

Antiqua copia tritici.

Iam verò quid dicam de exhaustis argenti auriq; venis? quæ non amplius suppetunt diuitiarum affluentiam, quam ingentem fuisse, apud Romanos præsertim, monumenta testantur; Et sanè apud Romanos, non Imperatoribus tantum, sed etiam priuatis ciuibus grandes fuisse opes, locupletissimas testis est Cic. in Paradox. qui de Crasso ita loquitur. *Multi audierunt ex te, cum diceres, hominẽ diuitem non esse, nisi qui exercitum suis fructibus alere posset.* Et de quo Crasso Plutarchus scribit, solos architectos, & fabros in seruis habuisse ad quingentos. Hinc mirandum non est, si ab Athenæo testatum accepimus, quosdam Romanorum ad decem, aut vigintimillia seruorũ habuisse, nec vt quæstum ex ijs facerent, sed vt asseclas, aut subsequos eos haberent; Quod certè magnarum opum est argumentum. Quod si priuati ciues tanta auri copia affluebant, de Imperatoribus quid putandum? Quibus locupletissima

Diuitiæ Romanorum.

ſima à ſubditis prouincijs tributa ſoluebantur. Hinc Aegyptus Ptolomæi æuo, Romano Principi ſoluit tributa annua 12500. talenta, ideſt ſeptem milliones, & ſemiſsis. At eadem Aegyptus Auguſti, & Tiberij temporibus, ad duodecim milliones producta fuit. Gallia quoque videtur primò decem reddidiſſe milliones, poſtea largiter, & vel in duplum, Auguſti æuo, tributa ad quindecim, vel viginti milliones aucta fuere. Quare ſi Aegyptus, & Gallia triginta circiter milliones pendebant, quid totus reliquus Orbis? Sanè ſupra centum quinquaginta milliones ſumma erat tributorum; Quod ex eo colligi poteſt, quod Veſpaſianus, ſui principatus initio, profeſsus eſt, & pronunciauit, quadringenties mullies opus eſſe, vt Reſpublica ſtare poſſet Sunt ipſi centum milliones, noſtro ritu; Vnde tam ſubitò parandi erant, ſi non tales, tantiq; redditus fuiſſent? Quid referam auri copiam per triũphos in Romanum ærarium illatam? Ita vt Cæſar, qui quater triumphauit, triginta nouem milliones intulerit, vt refert Lipſ. de magnit. Romana lib. 2. cap. 8. Immò Appianus teſtatur, pecuniam, ad vſus bellicos in Romanis ærarijs paratam, fuiſse ad ſeptingenta quinque millia talentorum Aegyptiorum; Talentum autẽ Aegyptium, ex Plinio lib. 33. cap. 3. pendebat pondo, ſeu libris octoginta; vnde ſingulis libris aureos centum aſsignãdo, vnum talentum ægyptium idem valebat, quod octo millia noſtrorum aureorum; Quo fit, vt ſumma illa quinque, & ſeptingenta millia talentorum ægyptiorum, iuxta noſtram computationem, ſexcenties dena centena millia aureorum, ideſt ſexcentos milliones efficeret.

Tributa, quæ Romanis imperatoribus ſoluebatur

Pecunia in Romano ærario collecta.

Sed dices fortaſsè, mirũ non eſſe, Romanos tanta auri copia affluxiſſe, quando ipſi imperarunt tribus Mundi partibus, non quidem vſquequaque, ſed latiſſime tamen, imò non dubitat affirmare Appianus, omnes priores Monarchias, Aſsyriorum, Medorum, Perſarum, & Græcorum, vix dimidiatam Romani Imperij partem poſſediſse; Ideò placeat aliorum Principum, vel antiquiorum opulentiſſimam auri copiam referre, vt magis pateat à Cypriano aſſertum, ſcilicet iamdudum fodinas exhauſtas eſſe.

Occurrit primo loco Salomonis opulentia, quę maximè in Templo ab ipſo ædificato ſpectatur, in quo narrat Ioſephus lib 14. antiquitatum cap. 12. collata fuiſſe octo millia talentorum auri, & trabem ex auro ſolidam, trecentas minas pendentem, ex qua pretioſiſſima Templi aulæa pendebant; Octo autem millia talentorum auri efficiunt nonaginta ſex milliones coronatorum aureorum, quæ ſimul cum valore, & pretio trabis aureæ, conſtituebant centum decem, & octo milliones, & octoginta millia ducatorũ. Non ob id dicendum eſt, Salomonem omnium mortalium ditiſſimum fuiſſe, ſicut ſcriptum eſt ſecundo Paralip. cap. 1 *Diuitias, & ſubſtantiam, & gloriam dabo tibi, ita vt nullus in regibus, nec ante te, nec poſt te fuerit ſimilis tui.* Nam his verbis facienda eſt ſola comparatio cum regibus Iſraeliticis, non cum externis omnibus, quibuſcunque Principibus opulentiſſimis, qui longè Salomonem diuitiarũ magnitudine ſuperarunt; Qui Salomon poſſidebat eas opes, de quibus fit mentio 3. Reg. cap. 10. his verbis: *Erat pondus auri, quod afferebatur Salomoni per annos ſingulos ſexcentorum ſexaginta ſex talentorum auri.* Quę ſumma ferè duodecim noſtrates milliones efficiebat; Quam auri copiam, vel accipiebat Salomon pro vectigali, & tributis à populis ſibi ſubditis, vt opinatur Abulen. in 2. Paralip. cap. 9. quæſt. 5. vel erat illud aurum, quod afferebatur ex Ophir, & ex Tharſi, vt putauit Pineda lib. 4. de rebus Salomonis c. 24. ſect. 1. quando ad ea loca claſſem mittebat, non quia illæ gentes ſoluerent tributa, & vectigalia Salomoni, cui ſubiectæ non erant, ſed quia, vt narrat Ioſephus lib. 8. antiquit. & confirmat Abul. 3. Reg. cap. 10. quæſt. 1. claſſis Salomonica deferebat ad ea loca varias merces, quibus gentes illæ indigebant, & aurum, & argentum, pro permutatione tranſportabat; Nam cum Salomon ſapientiſſimus totius terrarum Orbis compertam diſpoſitionem haberet, exploratum quoque erat ipſi, quænam debebat mittere, ex ſua regione ad barbaras illas gẽtes, ad quas ſerui nauigabant, vt cum auro, argento, & gemmis merces permutarent, pro-

Salomonis opulentia.

propterea magna pars diuitiarum Salomonis posita erat in nauigatione, & commercio.

Alexandri Magni opulentia. Prætermittenda non est Alexandri Magni ingens opulentia, de qua refert Curtius lib. 8 quod ipse, superato Dario, quinquaginta septem millium talentorũ prædam reportauit, quæ efficiunt, ex nostra moneta, octoginta nouem milliones, & sexcenta quinquaginta millia, quingẽta sexaginta octo ducatorum, plus minusue.

Narrat Athenæus lib: 12. quod arma argentea, & equorum aurea fræna ducentorum viginti millium militum erant Alexandri; item aureæ coronę à legatis Alexandro missæ erant decem millium talentorum auri, quæ efficiunt ex nostris ducatis, centum quadraginta octo milliones, atq; idem Alexander ex Asia quotannis pro vectigali recipiebat quingenta septuaginta quattuor talentorum millia, idest sexcentos septuaginta septẽ milliones, & centum sexaginta millia ducatorum, cui Asiæ, cum iam tot annos dominetur Ottomanus Imperator, compertissimum est, ipsum tanta diuitiarum copia non affluere; Vnde igitur antiquis temporibus tanta auri, argentiq; affluentia, nisi ex magna metallorum, & auri in primis generatione? Hinc Diodorus affirmat, Aegyptiorum Reges, omnes criminis causa damnatos, vel ex hostibus captos, auro effodiendo deputasse; & Polybius scribit, ad nouã Carthaginem, & fodinas in Hispania, non minus quadraginta hominum millia fuisse designata; & Plinius putat, nullam fœcundiorem metallorum tellurem Italia fuisse, quæ hoc tempore, quàm exhausta sit metallis, nemo ignorat. *Antiqua fodina metallorum.* Omitto, Diodorum Siculum lib. 6. cap. 9. referre, Phœnices nautas, & mercatores, nauium anchoras ex argento Hispanico confecisse. Taceo id, quod innuit Herodotus lib. 7. & Plutarchus lib. 2. de fortuna Alex. nimirum, Pythium Bythinicum, de quo supra verba feci, platanum auream, viteınq; pretiosã Dario regi donasse, & vuas illius vitis ex pretiosissimis gemmis coagmentatas esse, opus siue Amyntheę, siue Theodori Samij.

Diuitiæ Basilij Imperatoris. Narrat Zonara in vita Basilij Imperatoris, qui vixit sub annum Christi octingentesimum, ipsum impleuisse totum ærarium, & ipsos aditus, viasq; pecunijs confertim stipatis. *Habuit*, inquit, *in thesauris ducenta millia talenta auri, nam alterius pecuniæ, nec numerus poterat iniri, adeò, vt terra eam infoderet, ærarijs, aut depositarijs vbique repletis. Præterea arculas habuit lapillis, gemmis, pretiosis, & margaritis plenas.* Quid verò reddunt ducenta illa millia talenta auri? Certè ipsos mille, & ducentos milliones. Quamobrem hic fas est exclamare: vbi nunc argentũ, & aurum illud immensum, & infinitum? vbi tot gemmæ, & lapilli in arculis? omnes Europæ, Asiæ, Africæ perlustra diuitias, & tot numquam reperies thesauros.

Statua Danielis indicat antiquas Mundi ætates, & eorum deficientiam. Progressu autem temporis, & Mundo ad occasum vergente, diuitias declinasse, indicat statua illa, descripta à Daniele cap. 2. quæ diuersa sæcula, & ætates repræsentabat. Etenim caput aureum, imperium Chaldæorum locupletissimum exprimebat. Pectus, & brachia argento confecta, principatum Persarum referebant, venter, & fæmora ex ære, indicabãt Macedonicum imperium, quod in opibus declinauit. Tibiæ ferreæ innuebant Romanas opes, inferiores Chaldæis, Persis, & Græcis. Pedes tandem fictiles, & argillacei vltima indicãt sæcula, in quibus antiqua penitus defecit opulentia. Vnde iure merito conqueritur Cyprianus, auri & argenti venas exhaustas, appropinquantis finis Mundi non obscura esse argumenta.



CA-

CAPVT TERTIVM.

Obijcitur aduersus dicta, demonstrando, diuitias ad nouum Orbem translatas esse. Obiter explicatur, quid sit Ophir, & Tharsis; Soluitur obiectio, & statuitur contra Ocellum.

VIR non minus doctrinæ laureâ, quam martyrij palmâ insignitus, magni Tertulliani, non minor magistro, discipulus, Mundum ad occasum festinare, ex terræ infæcunditate elegantissimè fuit argumentatus; Sed obijciet aliquis: Esto vt id tanti viri detur authoritati; esto tellurem in nostro Orbe, vsq; à Cypriani temporibus, sterilitatis angustijs, & quadam veluti egestate pressam fuisse, nihilominus cum natura in vno loco defluens, alibi affluat, propter mundanas rerum vicissitudines, euenit, vt opes, quæ in nostro Orbe defecerunt, in nouo Orbe, & in altero hemisphærio copiosissimè exultent. Et quidem ad demonstrandam noui Orbis fæcunditatem, memoriâ repetendum est, Christophorum Columbum Ligurem, ingentis animi virum, & rei nauticæ in primis peritum, vt refert Maffeius lib. 1. hist. Indic. ex astronomicâ disciplinâ, & nonnullis veterum monumentis, trans noti orbis terminos, magna terrarum spatia in occidentalem plagam patere existimasse. Hinc Fernandi Castellæ Regis tribus adornatis nauigijs ad Hispalim, oræ Bæticæ, in Atlanticum egressus Oceanum, Canarias primum insulas petijt; inde continuata velificatione, in Oceanum prouectus, insulas aperuit nouas, in quibus auri fodinas copiosissimas nactus est, & inter insulas, quas inuenit, opulentissima celebratur insula à D. Dominico appellata, in qua multa fragmēta auri multarū librarum, huc illuc dispersa reperta fuere. Postea Ferdinandus Magalianes Lusitanus, eodem Maffeio lib 8. testante, ad Subum insulam, leucarū ferè duodecim ambitu, auri feracissimam peruenit. Hæ primę fuerunt auri fodinæ pretiosissimę, in nouo repertæ Orbe, quæ deperditas in nostro hemisphærio mineras compensare videntur.

Auri copia in nouo Orbe reperta à Columbo, & Magalianes.

Quid verò dicam de omnigena segetū in illis regionibus fæcunditate? Etenim pleræq; magna feracitate gaudentes, plurimis riguis mirè fauentibus, varias fruges, metalla, odoramenta, plantas, lapillos, medicamenta, in vsus mortalium, & delicias, ad certamen effundunt. Viget autem potissimùm rerum vbertas in regione Sinarum, vbi in tanta mortalium turbâ cuipiam ab opere feriari non licet, quippe desidia publicis legibus acerrimè plectitur, vt propterea rustici homines nullam agri partem squallere patiantur. Hinc saltus, & colles pinu, ac vitibus, campi, & planities oryza, hordeo, frumento, cæterisq; segetibus vberrimè nitent; Incolæ effodiunt metalla auri, argēti, & ferri probatissimi, vt recenset idem Maffeius lib. 6. Propterea Sinarum prouentus dicuntur singulis annis excedere centum milliones, ex Botero lib. 2. Relation. atq; sola Ciuitas Cantan appellata, nobile emporium, soluit Regi quotannis, pro salis vectigali centum octoginta millia coronatorum.

Fecunditas noui Orbis, & præsertim Sinarum.

Inter cæteras verò opes, & thesauros, mirandâ est auri, argentiq; copia, quam Peruana suppeditat prouincia, in qua affluentissimæ sunt fodinæ Potesis agri, quæ inuentæ fuerunt anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto, ex quibus tanta argenti eruitur copia, vt quinta pars, quæ Hispaniarum regi pro tributo soluitur, cursu quadraginta annorum, centum & vndecim milliones tulerit, vt refert Boterus lib. 4. secundæ partis. Itaq; natura regno Peruano fodinarum prodiga fuit, & in Peruano Oceano exurgit insula, in qua omnis generis vniones pretiosissimæ ab incolis, ab exteris vndiq; confluentibus copiosissimè expiscantur.

Peruana auri copia

Verùm dices, non esse prorsus admittēdam hanc ferè nouam diuitiarum vbertatem in Indijs occidentalibus nouiter inuentam, & præsertim in Peruanâ regione,

ne; Etenim Ophir, quam petebat Salomonis classis, iuxtà tradita Paralip. 2. c. 9. *Serui Hiram cum seruis Salomonis attulerunt aurum de Ophir*, ab aliquibus interpretibus pro Peruana sumitur prouincia, siquidem nomen Tharsis, & Ophir non appellatiuè, pro quacumque regione remotissima, ac ditissima accipitur, vt ali qui sunt interpretati, sed hæc nomina in sacra Scriptura vsurpantur pro regione certa, & determinata, ad quam certo, & determinato tempore Salomonis iussu nauigabatur; Et sanè Ophir, ex quo Salomon immensas extrahebat opes, in nouo Orbe constitutum fuisse, inde suadetur, quia Salomoni sapientissimo nouus Orbis compertus fuit, vt liquet ex ipsius testimonio Sap. 7. quo dispositionem orbis terrarum se calluisse apertissimè affirmat; Præterea ipsi perspectissima fuit ars nauigandi, quam suos nautas docere potuit, atq; ardenti, qua flagrabat diuitiarum cupiditate, ad Peruanam regionem suam potuit classem dirigere.

Opinio, Tharsis, & Ophir sit Peruana Prouincia.

His tamen non obstantibus, asserendū est, Peruanas opes, & thesauros nouos esse, & numquam Salomonis classem illuc nauigasse, cum nimis remotæ sint illæ regiones à Iudæa, in qua Salomon habitabat. Noluit enim Deus, vt populi hebraici propensio maritima esset, ne populus Israeliticus commercio exterarū gentium, religionem, ac pietatem turbaret, & ne varietate mercium insolescens, minorem in Deo fiduciam haberet, cuius criminis accusatur Tyrus ab Ezechiele cap. 27. Ideò Vatablus super psalm. 71. huiusce rei locupletissimam fidem faciēs, affirmat, Iudæos patriæ suæ commodis contentos, vel ad alias gentes non nauigasse, vel certè ad non remotas, & lōginquas, vt erat Peruanum regnum. Concedamus igitur, Salomonem omni rerum doctrinā cælitus exornatum, perfectissimam de vniuerso Orbe cognitionē obtinuisse .s. antipodas esse, quos antiqui ignorarunt philosophi, habitabilē, & nauigabilem esse zonam torridam, quod inficiatur Aristoteles, terrā esse sphæricā, & tandem nouum Orbem, nouasq; Prouincias nouisse; nōtamen illuc misit classem, quia non fuit opus Salomoni, ad aurum, & pretiosissimas merces colligēdas, ad Peruana regna nauigare, cum thesauros immensos ex littoribus Arabicis, Gāgeticis, Indicis, Libycis, Hispanicis coaceruare potuerit. Quare Ophir ad imam Persiam, & sinum Arabicum spectat, teste Eugubino in psalm. 44. vel certè spectat ad extremam Indiam Orientalem, & est positum extra Gangem, in loco, quem nunc vocant *Pegù*, de cuius loci habitatoribus ait Maffeius lib. 10. histor; quòd Pegusiorum populi stirpem à Iudæis exulibus duxere, quia damnati à Salomone ad Ophiranas auri fodinas, ea loca primi tenuerunt; Et quamuis Pineda lib. 4. de reb. Salom. cap. 16. sect. 6. valdè dubiū, & incertum existimet situm Ophir, nihilominus sect. 9. propendet ad opinandum Ophir in India Orientali collocatum esse. Quoniam verò ad Tharsim Salomonis classis similiter nauigabat ex 3. Reg. cap. 20. vbi habetur. *Classis Regis per Mare cum classe Hiram per tres annos ibat in Tharsis*, hoc nomine, Tharsis, intelligitur non Carthago, aut Tharsis Ciliciæ, sed Thartessum in Hispania, ad Gaditana littora, & Hispalenses oras collocatum. Ideò Salomonis classis, quæ soluebat è mari rubro, nauigabat in Tharsis, triennium consumens, solita circum nauigare Africæ littora, & Hispaniam petere, & in primis vrbem Thartessum, quam Tharsis vocat sacra Scriptura, & est Ciuitas olim auro supra omnes abundantissima, & locupletissima; Ideò Propheta regius duos populos ditissimos, & rebus omnibus affluentissimos ita coniunxit: *Reges Tharsis, & Insulæ munera offerent; Reges Arabum, & Saba dona adducent*, idest Arabes populi, & Sabæi, & Tharsenses, seu Hispalenses. Hęc est interpretatio Anastasij Synaitæ lib. 10. hexameron, quam deinde secutus est, & eruditione illustrauit doctissimus ciuis Hispalensis Ioannes de Pineda lib. 4. de reb. Salomon. cap. 12. Quamobrem ex hac non iniucūda digressione perspicuum fit, Salomonis opes ex nouo orbe erutas non fuisse, & has recētes diuitias in America prouincia inuentas, nouas omnino esse.

Refellitur supradicta opinio.

Explicatur Ophir & eius locus.

Nauigatio Salomonis ad Tharsim.

Non est prætermittenda admiranda fœcunditas terræ, quæ in Insula Taprobane conspicitur. Hæc cum olim nota fuerit, & postea lapsu temporum, quasi ex hominum memoria deleta, post longum sæculorum interuallū rursus cognita, paradisus

Taprobana Insula fœcunditas.

ſus terreſtris fuit appellata, quoniam ibi perpetuum floret ver, plantę ſemper floribus decoratæ, & fructibus onuſtæ vireſcunt; De qua loquens Iſidorus lib. 14. c. 3. ipſam gemmis, auro, argentoque refertam teſtatur: Præterea in Maldiuis Inſulis vna eſt palma, quæ non ſolum proceritate, & pulchritudine excellit, verum etiam tota prorſus eſt in vſu, ita multiplici, vt omnia ferè ſuppeditare videatur; De qua palma non ſolum expolitè ſuo more loquitur Maffeius lib. 7. ſed eleganter ipſam deſcribit Franciſcus Remondus facundiſſimus Orator è Societ. Ieſu, Orat. 14. de Concordia armorum, & doctrinę. *Arbor eſt in India*, inquit, *quæ non minus habet nouitatis ad miraculum, quam fidei ad veritatem. Hæc hominibus cibum, potumque largiter fundit ad alimenta; hæc materiam texendis veſtibus è ſinu pandit, & explicat: Hæc in arma, & tela repentè conuerſa, & pugnare diſcit, & vincere: Hæc, mirum dictu, nauim inſtructam, oneratamq́; parturit, ex illa enim tabulæ, pix, reſina, antennæ, vela, rudentes, cæteraq; omnia, quæ ad nauigia coagmentanda neceſſaria ſunt, tanquã è panſpermia quadam erumuntur*. Hæc elegantiſſimus Orator.

Hæc ſunt ea, quæ videtur ſupradictis aduerſari de imminuta terræ fæcunditate, ſed hæc quidem probant in nouo Orbe ingentes vigere diuitias, ſed non probant ipſas in noſtro Orbe non defeciſſe, quod experientia exploratiſſimum eſt. Quare adhuc vrget adducta ratio contra Ocellum, ſcilicet in terræ fecunditate nobis nota, magnam contigiſſe mutationem. Addo, quòd quando tot opes in hac Mundi parte, & noſtro hemiſphærio florebant, etiam ſupra enarratæ in nouo Orbe fortaſſe affluebant, quamuis id nobis propter locorum maximam diſtantiã, eſſet ignotum. Verùm fodinæ, metalla, theſauri, teſte Cypriano, & experientia, immuniti ſunt in hac noſtra Orbis parte; & hoc ſufficit, ad oſtendendam telluris ſterilitatem, & Mundum ad finem, & occaſum inclinantem, quod inficiari contẽdit Ocellus.

CAPVT QVARTVM.

Quæritur, an mutatio facta ſit in montibus.

Explicata mutatione telluris, quoad vim productiuam, iniucundum non erit quærere, an aliquam montes perpeſſi ſint mutationem, Quod putauit Seneca epiſt. 92. his verbis: *Non tantum manufacta labuntur, non tantum humana arte, atq; induſtria poſita vertit dies; Iuga montium diſtuunt, tota deſedere regiones, operta ſunt fluctibus, quæ procul à conſpectu maris ſtabant*. Hoc idem Ælianus lib. 8. cap. 11. ita confirmat. *Nihil amplius vereamur, ſi hominum natura mortalis cum ſit, & fluxa, cogit eos interire; ſiquidem, & flumina deficere ob oculos cernimus, atq; ſummos, & altiſsimos montes omnes deſediſſe videmus. Sic Ætnam, aiunt ij, qui mare nauigant, multo minori parte videri, quam antea conſpici ſolitus ſit; Id etiam in Parnaſſo accidere, & Olympo Pierio; Itemq́; qui ſe totius Vniuerſi naturam tenere profitentur, aiunt Mundum etiam ipſum perituurum*. Ioſephus Blancanus è Societ. Ieſu in ſua Sphæra in appendice de montibus, & in loca Mathemat. Ariſt. in primum Meteo. oſtendit, terram quotidie ad ſphæricitatẽ perfectam ſe reducere, quia montes deficiunt, & decreſcunt; Vnde exiſtimat, terram tandem obruendam eſſe aquis, Mundumq; per inundationem naturaliter extingui poſſe, niſi ex ſacris eloquijs haberemus, ab igne deſtruendum eſſe.

Deficiunt montes ex Seneca & Æliano.

Blancani ac eodem teſtimonium.

Hanc montium aſsiduam decidentiã, & diminutionem tanti facit P. Nicolaus Cabeus in ſuis eruditiſsimis Comment. nuper editis, in lib. primum Meteor. Ariſt. quæſt. 1. in text. 72. vt exiſtimauerit ab hac ratione Mundi æternitatem ab Ocello, & Ariſtotele conſtitutam, penitus eneruari; Ita enim argumentatur. Si ex montibus terra quotidie, aquarum decurrentium vi, deorſum trahitur, ergo Mundus non potuit eſſe ab æterno, quia iam eſsẽt omnino abſumpti montes, & terra ad perfectam ſphæricitatem, & planitiem redacta; nam etiam ſi montes, inquit ipſe, fuiſſent infiniti, nihilominus iam eſsẽt

Conſidera tio P. Cabei de montium deficientia.

de-

deleti, quia supposito, quòd singulis annis imbres vel arenulam ab ipsis subtraherent, data Mundi æternitate, iam mõtes hoc tempore complanati essent; sed reuera non sunt solo adæquati, ergo terra ab ęterno non fuit. Subdit hic Author, Aristotelem hanc agnouisse difficultatẽ, sed ignorasse solutionem; propterea q; in textu 72. libri primi dixisse, etiam si facta fuisset in terra mutatio, non ob id sequi, mutationem in Vniuerso contigisse, quia terra est minima pars Mundi, & veluti punctum, si ad Vniuersi magnitudinem referatur.

Vt aliquid de hac re dicam; Concedo libenter, terram perpetuò, ex aliquibus montibus vi pluuiarum extractam, defluere, vnde turbidi aliquando apparent torrentes, & flumina, maximè post imbres, propter terram, quã habent admixtam, è montibus eductam; Et concedo etiam id, quod sæpè repetit Author, terram è montibus semel delapsam, ad superiora non reuehi, neq; eosdem montes restaurari; Negotamen, statum montium non potuisse æternum esse, quia si in vna parte aliquis mons imminuitur, decidit, & dissoluitur, propter terram ab ipso extractam, illa terra aliò delata, & applicata, longo sæculorum progressu, eleuatur in collem, & tandem extuberat in montem; Id quod euidenter apparet in littoribus maris, & præsertim Hadriatici; in quæ littora, torrentes, & flumina deuehunt terram, quæ à commotione maris defertur ad littus, quod in dies magis eleuatur, vnde ego aspexi in littore eiusdem maris multos terræ tumulos assurgentes, & infantes, vt sic dixerim, colles, quæ progressu temporis grandescent in montes. Immò putandum est, montes mari proximos, non alio modo efformatos esse, quàm per longam ingestionem, & allapsum terræ à mari ad littora euectæ; Quare montium diminutio, & dissolutio, quæ vtiq; admittenda est, non infert necessariò planitiem vniuersã terræ, neq; ostendit, terram non fuisse æternam, sed tantum infert, hos, & illos montes indiuidualiter spectatos, non potuisse esse æternos, speciem tamen montium æternam esse non potuisse hac ratione non conuincitur, vt putat P. Cabeus, quoniam si in vna parte terræ decidunt montes, in altera assurgunt, & perpetua hac vicissitudine, si terra fuisset æterna, semper montes stetissent, non quidem illi montes numericè, quia tot sæculorum myriadibus consumpti essẽt, sed montes in specie, sicuti etiam fossæ, vel sinus maris, si in vna parte implentur arena, in altera excauantur fossę æquales, & maris aluei. Hinc non sequitur id, quod asserit Author iste, nimirum, quòd posita æternitate terræ, iam non esset locus, in quo aqua exciperetur; videmus enim flumina antiquos alueos deperdẽtia, nouos sibi excauare. Ideò vera est illa maris, & terræ vicissitudo, & permutatio ab Aristotele considerata, quam Author reprehendit, & chymeram appellat. Negãdum igitur est aduersus Authorem, & Blancanum, quòd si æterno tempore fuisset terra, iam æqualis esset, æqualiter fusa ad omnes partes, & perfectè rotunda, quoniam ita natura comparatum est, vt terra alicubi depressa, alibi eleuetur. Vnde fit, vt infra demonstrabo contra Blancanum, vt totus terrenus globus inæqualiter fusus, aqua non possit occupari.

Montes in specie æternò fuisse ẽt, supposita Mũdi, & terræ æternitate aduersus P. Cabeum, & Blancanum.

Sed vt ad montes redeam, animaduertendum est, duo esse genera montiũ, alij nimirum, qui fuerunt à Deo simul cũ terra procreati, quandoquidem non est asserendum, terram sine montium eminentijs à Deo fuisse productam, quamuis tota terra fuerit aquis operta; Atq; montes vna cum terra procreatos esse, arbitrati sunt D. Basilius hom. 4. Hexameron, & Eugubin. in Psalm. 103 Alij verò montes à Deo effecti sunt, tertia die creationis Mundi, qua die, aquas Deus in vnum congregans locum, terræ cauernis inclusit, Quare Deus cauernas aperiendo, illam terræ molem in altum sustulit, & in colles, & montes erexit; Propterea existimo, primos montes à Deo productos, vna cum terræ globo, esse maioris altitudinis perpendiculariter spectatę, quàm sit profunditas maris, quam Blancanus, & alij affirmant, montium altitudini coæquari. Tales montes sunt Caucasus, vel Casius, Pelion, Atlas, Atho, Olympus, Pyrenæi, & Alpes. Colles verò, & montes è cauernis extracti, in quibus à Deo aquæ collectę fuerũt, sunt ęquales profunditatibus maris,

Montes vna cum terra à Deo creati altiores maris profunditatibus.

cum illæ cauernę sint prorsus eiusdem maris sinus, & aluei. Constat etiam progressu temporum, multos de nouo genitos esse montes; multos etiam in planiciē fuisse redactos, propter aquarum vim, atq; impetum; nam aquæ aliquando ad quamdam altitudinem terram excauant & cliuos, & eminentias producunt, aliquando etiam edita loca dissipant, ac demoliuntur. Præterea obseruatum est, nō nunquam terræmotibus nouos assurgere montes, & veteres collabi, ac decidere; etenim spiritus terrę latebris inclusus, effrænata violentia terram concutiens, nunc in moles ingentes erigit, nunc erectas immani hiatu, vt patrum, & nostra etiam memoria, deuorat, & absorbet. His ita explicatis, affirmandū est, vtrosq; mōtes deficere, sed magis sēsibiliter eos, qui tertia die à supremo Numine producti fuere, quàm illi, qui cum terra fuerūt procreati; nam eorum altitudo tanta est, vt vix apprehendi possit, ipsos deficere. De qua sublimitate, vt aliqua breuiter delibemus, Plinius lib. 2. cap. 67. prodidit, Dicæarchum cura Regum electum, montes permensum esse, & altissimum inuenisse Pelion passuum 1250. in perpendiculo. Maurolicus asserit, Ætnam ad quatuor, & quinque milliaria in altitudine extendi; Iosephus Acosta de montibus Americis testatur, altitudine Europæ, Africæ, & Asiæ montes longè superare. Aristoteles 1. Meteor. Caucasi montis sublimitatem his verbis expressit. *Caucasi montis celsitudinis argumentum est, quod & ab eo loco, quem Bathea, hoc est profunda ponti, vocant, & ab his, qui in paludem nauigant, cernitur, & præterea eius cacumen nocte, tam mane, quam vespere, ad tertiam vsq; partem à Sole illuminatur.* Hæc Aristoteles. Pro quorum verborum explicatione, sciendum est, Caucasum esse montem situm inter mare Euxinum, & Caspium, supra Cholchidem, & Iberiam, vbi polus eleuatur circiter grad. 47. Hunc montem duplici ratione probat Aristoteles altissimum esse; Prima est, quia multùm à lōge cernitur, scilicet ab illo Euxini loco, qui profunda vocatur, ad indicandū, ibi magnā esse profūditatē, quæ bolo nequit explorari, & pariter cernitur ab his, qui paludem nauigant, vel accipiatur pro palude Meotica, palus, vel mare Caspium, quippe alia Aristotelici textus traductio habet; *Et à nauigantibus magnum*, quod videtur indicare mare Caspium, vndequaq; clausum, nec cum alio communicans Oceano. Secunda ratio summitatis Caucasi montis, & excelsæ magnitudinis deducitur ex eo, quod vsq; ad tertiā partem noctis, mane, & vespere à Sole illuminatur. Quare illa verba Aristotelis (*ad tertiam vsq; partem*) non referuntur ad tertiam partem montis, vt aliqui sunt interpretati, quoniam hæc non est summitas, & cacumen montis, sed referuntur ad tertiam partem noctis, quæ est quarta hora noctis, vel post occasum Solis, vel ante ortum; itaut sensus sit, quando nox occupat terram, & tertiam iam partem sui cursus absoluit, quæ est vna ex quattuor vigilijs militaribus, in quas antiquī duodecim horas nocturnas diuiserunt, summitas illius montis illuminatur à Sole, vel ante auroram; vel post Solis occasum; Quæ certè indicant magnam Caucasi celsitudinē. Qui plura hac de re videre cupit, adeat Iacobum Mazzoniū, sect. 3. & 4. de comparat. Platon. & Aristotelis. P. Blāeanum in primum Meteor. in verba Arist. de Caucaso, supra allata, & P. Cabeum lib. 1. quæst. 1. text. 63.

Montes tertia die efformati a Deo, aquæ ater pro funditatibus maris.

Varia mōtium sublimitates.

Caucasi altitudo iuxtà Aristotelem explicatur.

Sed, quod ex Aristotelis testimonio dictum est de Caucaso monte, idem ferè repetendum est de Casio monte, qui est in Syria, de quo ita scribit Plinius lib. 5. cap. 22. *Casij excelsa altitudo orientem per tenebras Solem aspicit, breui circumactu corporis, diem noctemq; pariter ostendens, ambitus ad cacumen 19000. passuum, altitudo per directum quattuor millia passuum.* Quæ cum videantur similia de Caucaso mōte pronunciatis, in dubium reuocatur, an in Aristotelico codice Caucasus pro Casio sit accipiēdus, an vero præter Caucasum, alius sit Casius mons tantæ celsitudinis.

Casij montis celsitudo ex Plinio.

Quid dicendum de monte, qui vocatur Athos? de quo memorans Solinus c. 16. ait. *Hic mons è Macedonia in Myrinam oppidū Lemni internallo sex, & septuaginta mille passuum suam porrigit vmbram;* Quā vmbræ extensionē cōsiderās doctissimus Mazzonius loco prææallegato, inquit, quod si vmbræ emissio accipiatur, & intelligatur in meridie, multo maior erit illius

Sublimitas mōtis Athos.

lius montis altitudo, quam montis Caucasi; Si verò extensio vmbræ consideretur, Sole occidente, colligit vir peritissimus, per theoremata optica, eius montis celsitudinem esse viginti duo milliaria Italica.

Plin. lib 4. cap. 1. miranda narrat de monte Atlante, quem asserit in vicinia lunaris circuli esse positum. D. Augustinus lib. 3 de Genes. cap. 2. narrat de Olympo, in vertice ipsius perhiberi aerem adeo tenuem, vt neq; nubibus obumbretur, neq; ventis turbetur, quia eius cacumen extra ventos, & nubes fertur, adeò vt cineres, qui in eius vertice post sacrificia relinquebantur, nec ventis dissflabantur, nec imbribus eluebantur; Id quod etiam prædicat Solin. ca. 14. Summæ etiam celsitudinis sunt Pyrenæi mōtes, necnon Alpes in Italia, itaut de montium altitudine iuremeritò cecinerit Psaltes, *In manu eius sunt omnes fines terra, & altitudines montium ipse conspicit.* Quamobrem à veritate recedere videtur opinio Blancani putantis, nullius montis altitudinem sesquimilliāre trāscendere, cū montiū altitudo ad plura milliaria extēdatur. Sed, non obstāte hac sūma, & ingenti montium eminentia, assero, montes vtriusque generis deficere, licet magis, & minus sensibiliter, quia lapidosa illa moles, ab aere, ab imbribus, à calore Solis paulatim, & continuò dissipatur. Vnde falsum est, quod in sua argumentatione asserebat Ocellus, scilicet, Mundum in eodem semper statu permanere, nullamq; in ipso contingere mutationem.

Olympi altitudo.

CAPVT QVINTVM.

An facta sit mutatio in alijs Elementis.

OStendere facilè possem, magnam mutationem in maribus contigisse, quoniam alia recesserunt ab vrbibus, quibus proxima erant, & alia accesserunt ad vrbes, à quibus distabant. Porrò alia dilatata sunt, alia restricta; & de Oceano Atlantico multa ingerere possem, quæ ingentem in aquis mutationem clarissimè indicarent. Sed quoniam hæc ab hydrographis facili manu peti possunt, & in illis enarrandis Historicum potius agerem, quam Philosophū, illa recensere supersedeo, & solùm mihi curæ est disputare, an præter terram, de qua satis verba fecimus, alia elementa mutationibus sint obnoxia. Et quidem aquam putrescere, atq; corrumpi, notius est, quàm demōstretur; siquidem stagna, vel exiguum, vel nullum habentia motum, facilè corrumpuntur; Aquæ verò fluminum, & marium deficiunt, vel quia spissatæ, & incrassatę conuertuntur in terram, vel quia exiccantur à ventis, vel tandem dissoluuntur à Sole, quamuis illud, quod in ipsis deperditur, reparetur à natura, per assiduam generationē vaporum, qui in visceribus terrę concrescunt, vel tandem per labentes è cælo imbres, à quibus flumina, ac maria restaurantur. De aere verò quid dicam? qui non solum à calido, sed etiam à frigido vehementi corrumpitur? à calido quidem, propter extractionem humidi natiui ipsius aeris, à frigido autem, propter extractionem calidi ipsi aeri innati, supposito nunc, quòd aer sit calidus, & humidus, ex Peripateticorum sententia, quamuis valdè dubium sit, ac incertum, an potius ipse aer sit summè frigidus, quoniam aqua, quæ hyberno tempore refrigeratur, & congelatur, non a se ipsa, neque à distantia Solis; sed ab aere in glaciem concrescit. At de hoc alibi. Ignis autem putrefieri nequaquam potest, quandoquidem putrefactio fit in humido. Ignis autem in se nullam habens humiditatem, nequit putrefieri; Et quamuis Aristoteles 3. de cęlo text. 52. doceat, ignem corrumpi à contrario, marcescere in seipso, & minorem à maiori pati, hi tamen interitus non sunt veræ ignis corruptiones, siue putrefactiones, nam extinctio ignis per aquam ipsi contrariam non est formaliter putrefactio, & cum ignis in seipso marcescit per defectum pabuli, dicitur interitus naturalis, quia vi-

An aer sit calidus & humidus dubiū est.

Ignis non putrescit.

videtur quasi sponte absumi; Cum autẽ minor ignis adglutinatur maiori, non est rei corruptio, sed quasi absumptio minoris ignis perhibetur. Hinc ignis in Sole calorem igneum dissipante, ac dispergente, minus durat, quàm in vmbra reprimente calorem, ne effluat. Non me præterit, recentiores aliquos existimasse, ignem non siccum, sed suapte natura humidum esse; Nam cum siccitas sit repugnantia termini alieni, ac proprij retentio, & ignis non habeat terminum, sed aliunde ipsum recipiat, & figuram, videtur humidus, eò quia humidum, ex Aristotele, secundo de generat. text. 9. est illud, quod non habet terminum suum, sed recipit alienum. Neq; obstat, quòd ignis sit siccus, & quòd videatur generare siccitatem, quam certè non generat, aiunt ipsi, sed latentem demonstrat, & non exsiccat, nisi composita ex partibus tenuibus, & crassis; nam dum partes tenues humidas, & vaporosas ad se trahit, & in seipsum conuertit, remanet partium siccitas, quæ humidis portionibus erat inuoluta, vt patet in luto, cuius partes aqueas, & vaporosas resoluit ignis, remanentibus partibus siccis. Verùm de hac difficultate alibi erit sermo, cùm de igne Mundum destructuro instituetur disputatio.

Ignis humidus, ex aliquorũ opinione.

Hic obiter aliqua subnectam de animalibus degentibus in igne, de quibus non leuis est dubitatio, quoad eorum generationem, & nutritionem. Et quidẽ lib. 3. de generat. anim. habetur, quòd ex sicco, siue arido nihil generatur. Quomodo igitur animalia generãtur ex igne? Præterea omne viuens vita mortali nutritur, at quî fieri potest, vt animalia nutriãtur igne, cum purum elementum ad nutriendum sit insufficiens? Et quomodo animal sentiet in igne caldissimo, adeò vt statim non corrumpatur ab igne complexio organi tactus, & sensorium? Quod si in animali aliquid inest frigidi, quia est mixtum, quomodo tale frigidum conseruabitur in igne destituente ligna, lapides, terrum, & multa solidissima? Et quomodo fieri potest, vt animalia stent in igne, volitent per flammas, habeant alas, quæ combustioni aptissimæ, illicò non absumantur ab igne? Propterea Aristoteles lib. 2. de generat. anim. cap. 3. asseruit, ex igne nullum animal generari. Hinc Lactantius lib. 1. Diuin. Institut. c. 12. Vestam, quam igni pro fidem constituit antiquitas, virginem, & virginitatis amicam constituit. Quapropter Ouid. in fastis ita cecinit.

Animalia non generantur in igne.

Nec tu aliud Vestam, quàm viuam intellige flammam,
Nataq; de flamma corpora nulla vide.
Iure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit,
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Vt ingenuè fatear, magna semper me torsit dubitatio, an verum sit, animalia in igne degere, quemadmodum historijs proditum legi, & præsertim apud Aristotelem lib. 5. de hist. anim. cap. 19. referẽtem in ærarijs fornacibus Cypri nasci bestiolas pennatas, paulò muscis grandiores, per ignem salientes, & ambulantes; Sed esto, animalia in igne viuere, dico ipsa non ex puro igne, sed ex chalcide lapide generari, vt ibidem Aristoteles affirmat, in quo lapide adest aliqua pars humiditatis; ideò in illis animalibus, quæ viuunt in igne, & pyrales, seu pyraustæ appellantur, reperitur humidũ sufficiens caliditati, & ita compactum, ac densatum, vt calor non possit illud nisi multo temporis spatio consumere; Ideò viuunt sine cibo extra assumpto; quare caliditas illorum animalium est minor caliditate ignis, & ipsorum calor est radicatus in humido tam viscoso, ac tenaci, vt per tempus, quo durant illa animalia, nequeat illud humidum ab igne consumi; Idcircò tradidit Aristoteles, ex vulgata relatione, Salamandram viuere in igne, atque ipsum extinguere; Quod si verum est, aliundè certè non euenit, quàm quòd pori in Salamandra sunt adeò stricti, & obturati, vt ignis non possit facilè illos penetrare, & humiditatem consumere. Addo quòd, cùm Salamandra sit naturæ prahumidæ, ac frigidæ, suo attactu prunas aliquandiù extinguit; diù tamen in igne non viuit, sed ab ipso vritur, & absumitur, vt testantur Galen. lib. 3. de temperamentis, & D. Thom. in 4. Sentent. dist. 44. quæst. 3. art. 1.

Quomodo animal in vinant in igne.

Salamãdra viuit in igne, & quomodo.

Fortasse possibile est, reperiri hominem,

nem, qui ex suo temperamento ab igne non læđatur, & absumatur; quamobrem Plutarchus de Pyrrho Epirotarum rege tradidit, ipsius pedem, quo sanabat splenεticos, comburi non potuisse, corpore iam toto exusto, cuius rei fides sit penes auctorem. Sed iam de incorruptibilitate ignis, nec non de ipsius qualitate plura fortasse, quàm par erat, adduximus. Non propterea dicendus est humidus cum Campanella, suo de rerum natura compendio, eò quia alieno termino configuratur, & terminatur, quia hęc non est forma, & essentia humiditatis, petita à termino extrinseco, sed formæ, seu qualitatis humidæ, est humectare, quod non facit ignis, qui humida consumit, vt patet in aqua, cuius quantitas minuitur, si diù ignis agit in ipsam, & diminutio aquæ, quid est aliud, quàm suæ substantiæ, & natiuæ humiditatis consumptio?

Refellitur opinio Campanella de humiditate ignis.

Redeuntes autem vnde digressi sumus, asseuerandum est, elementa manentia in propria natura, & alteri non mixta elemento, putrefieri nequaquam posse; Verum cum non maneant simplicia, sed alijs rebus commisceantur, vt aer vaporibus, terra aquæ, aqua terræ, atq; nullũ elementum ex toto purum sit, ac sincerum, vt docuit Plato in Phedone, & Aristoteles de generat. anim. cap. 11. fit, vt mediante causa extrinseca, contingat putredo in elemento, à quo proprius educitur calor. Ignis autem putrescere non potest, quia omni caret humiditate, & omnia, quæ illi adijciuntur, comburit; in suamq; conuertit substantiam, nec patitur aliquid sibi verè commisceri. Itaq; affirmandum est, elementa esse incorruptibilia, secundum totum; immo etiam secundum partem, si remanerent simplicia, & alteri non commixta.

Elementa pura non putrescũt.

Ocellus in suo lib. de Natura Vniuersi concedit quidem partialem generationem, & corruptionem elementorum, & reciproca mutatione vnum ex altero generari ostendit, sed non admittit generationem, & mutationem totalem in ipsis, existimans, elementa vna cum toto Vniuerso æterna esse. Nos verò contra Ocellum affirmamus, mutationem totalem in elementis vtique adhuc factam non fuisse, sed in fine Mundi ab igne, qui deuastabit omnia mixta, ita purgata, & renouata erunt elementa, vt magna in ipsis futura sit mutatio, & in statum perfectiorem conuersio; Qua de re fusè in secunda Parte huius Tractatus disputabimus. Interim pateat error, & imperitia Ocelli, qui in supremo naturæ Authore tantam non agnouit potestatem, qua potest pro libito elementa, & totum Vniuersum magis magisq; perficere.

CAPVT SEXTVM.

An mutatio facta sit in corporibus cælestibus.

INter rationes, quas Ocellus affert pro Mundi æternitate, secunda multis fæta est argumentis; Etenim asserit, quòd illud, quod gignitur, & interitum subit, tribus terminis, ortu scilicet, vigore, & interitu afficitur; At hæc tria in Mundo non esse, inde, inquit, apparet, quia semper Mundus fuit idem, ac similiter se habens, sibiq; æqualis, ac sibi ipsi omnino similis perseuerat. Quare, cum à nobis demonstratum sit in tellure mutatatio fæcunditatis, necnon motium decidentia, atq; in elementis generationes, & corruptiones indicatæ, reliquum est, vt inquiramus, an iuxta mentem Ocelli, nulla contigerit in corporibus cælestibus mutatio, quam prorsus ipse hac ratione inficiatur. *Prima corpora, quæ mouentur, per eadem semper spatia, eademque ratione perenni motu circumuoluuntur, Ita caducorum species non continuato quidem, & non interrupto motu, nec etiam per localem latonem, sed per cæteras mutationes conseruantur.* Quapropter inferens Ocellus caducarum specierum æternitatem, iuxta proportionem primorum corporum, idest cęlorũ, supponit, ipsa cælestia corpora æterna esse,

Altera Ocelli ratio

esse, & nulli subiecta alterationi. Quod etiam alibi ita repetit. *Tempus & ipsum, quod Vniuersi motum dimetitur, infinitum est, id enim, quod eo fertur, nec ortui subiacet, nec interitui; Illud verò, quod motu fertur, est cælum;* Quare Ocelli philosophandi ratio mihi occasionem suppeditat perscrutandi, an naturaliter cognoscatur cæli incorruptibilitas, perennitas ipsius motus, an verò, & alteratio in ipsius substantia, & deficientia in motu.

Aristotelis, & Peripateticorum communi consensu firmatum est, cælum esse inalterabile, & incorruptibile, & est piaculum in Peripato aliter opinari. Cæterũ hoc sęculo cæli incorruptibilitas in controuersiam ita vocata est, vt præstantiores Philosophi autument, cælum liquidæ, ac fluidæ esse substantiæ, & ab alteratione, & corruptione nullatenus esse immune; Quin hæc opinio tot fulcitur sacræ Scripturæ, & sanctorum Patrum testimonijs, vt contrarium sentienti, cum exercitu sanctorum Doctorum sit acriter decertandum. Hinc P. Christophorus Scheiner Societ. Iesu in sua Rosa Vrsina lib 4. cap. 24. innumeras propemodum sacræ Scripturæ, & sanctorum Doctorũ affert auctoritates pro cæli substantia corruptibili. Propterea cùm dubium sit, & incertum id, quod à Peripateticis iactatur de cæli incorruptibilitate, non est ex ipsa ab Ocello deducenda æternitas Mundi. Verùm, quoniam de cælorum substantia non est pręsentis instituti disserere, sed de ipsa disputationem suscipiemus in secũda parte huius Tractatus, agentes de statu cælorum, post Mũdi finem, idcirco impræsentiarum sat sit, contra Ocellum indicasse, ipsum perperam ex hoc fonte Mundi æternitatem deriuasse. Sed quia Ocelli ratio innititur, non tam æternæ cælorum substantiæ, quam ipsorum motui perenni, atq; perpetuo, breuiter quid de hac Ocelli consideratione dicendum sit, perquiramus.

Incertum est, an cælũ sit inalterabile, & incorruptibile.

Aliqui ex Peripateticis arbitrati sunt, intelligẽtias, siue Angelos cęlestes spheras circumrotantes, perpetuo illas reuoluere motu, quia intelligentiæ omni corpore, & concretione materiæ solutæ, in cælestibus orbibus circumagendis, nullum subeunt laborem, aut lassitudinem, quod sanè veritati catholicę consonum est, scilicet Angelos mouentes cælestia corpora, puros spiritus, ab omni concretione materiæ se iunctos, in motu non defatigari; Sed quidem verum non est, ipsosmet Angelos per se, & proprijs viribus posse infinito tempore orbes cęlestes in circularem agere vertiginem; etenim ad motum tempore infinitum requiri virtutem infinitam vigoris, atq; intensionis, docuit Aristoteles 8. physic. & à nobis in Disputatione Aristotelica demonstrabitur. Quamobrem cum intelligentiæ secundæ infinitis non sint præditæ viribus, non possunt ex seipsis, infinito tempore cælum mouere; Itaq; non rectè infertur, motus cælorum est perpetuus, quia intelligentiæ secundæ mouentes non defatigantur in motu, sed addendum est, ipsas intelligentias infinita virtute pollere, quod tamen addi non potest, quia prorsus abhorret à veritate; etenim sola prima intelligentia quæ est Deus, infinitam habet virtutem, & ex se ipso infinito tempore potest mouere. Hinc Tomas Giannimus concniis meus tract. de Dęmonibus, & mentibus à materia separatis cap. 16. conatur ostendere, ex sententia Aristotelis, non multas, sed vnicam tantum esse mentẽ à materia separatam, tamq; esse intelligentiam, quæ cælos mouet, per modum finis; Ex quo magis deducitur Mundi æternitas, quam ex pluribus intelligẽtijs, non habentibus infinitam virtutem, mouentibus orbes.

Angeli nõ possunt ex seipsis infinito tempore cælu mouere.

Ex Giannimio vnica est intelligentia, iuxta mẽtem Aristotelis.

His ita explicatis, dico, quod quamuis verissimum sit illud, quod tradidit S. Thomas prima parte quæst. 46. art. 2. in corp. scilicet Mundum non semper fuisse, sola fide teneri, & demonstratiuè probari non posse, tamen cum naturali rationis ductu cognosci possit, cæteras intelligentias, excepta prima, motrices orbium, infinitis viribus præditas non esse, inferetur etiam, perpetuum, & perennem non esse motum corporum cælestium: Atq; cum intelligentię motrices sint subordinatæ primæ, ab illaq; dependeant, fit, vt prima possit illis intelligentijs secũdis cælorum motum inhibere, & quoniam prima intelligentia, omnium perfectionum genere cumulatissima, perfe-

ctissi-

ctissima etiam gaudet libertate agendi; cōsequitur, vt ipsa non ab æterno liberè, vt aliqui falsò opinati sunt, cœlos mouerit, sed quidem in tempore, ad manifestandam magis ipsius libertatem, cœlos incæpit ciere. Quæ cùm ita sint, infirma prorsus, & inualida est ratio Ocelli, petita ab æternitate cœli, & à perennitate ipsius motus, tum quia id gratis asserit, sine vlla probatione, tùm etiā, quia satis ostēdimus, motum cœli à causa libera dependentem, non necessariò inferri æternum esse, sed potius rectè deduci, ipsum pro libito causæ primæ incœpisse, & pro eiusdem arbitrio posse terminari.

QVAESITVM SECVNDVM.

Disputatur, an in specie humana facta sit mutatio in statura hominum, in numero ipsorum, & in vitæ spatio.

CAPVT PRIMVM.

Ostenditur, humanam staturam non esse mutatam, & contraria testimonia explicantur.

Potissima argumentatio, qua fulcitur Ocellus, ad demonstrandā Mundi æternitatem, petita est à negatione cuiuscumq; mutationis in Vniuerso. Nos in præcedentibus satis superq; demonstrauimus, mutationem in tellure contigisse, idq; facilè ostendere potuissemus in cælestibus orbibus, nisi eorum mutationes, & portenta in Disputatione Astronomica fusè pertractarentur. Hic verò occurrit disquisitio de mutatione facta in humana specie; & quamuis à nobis statuendum sit, humanam naturam, naturaliter loquendo, aliquā passam esse mutationem, hinc tamen non rectè inferre potest Ocellus, Mundū fore æternum; quia ipsum Vniuersum suum finem nancisceretur, non ob defectum sui, seu rerum in ipso existentium, sed ob potestatem causæ supremæ volentis, & potentis ipsum destruere, seruatis tamen elemētis, & corporibus cælestibus, vt ipsum Mundum renouet, & in formā redigat perfectiorem.

Pro defectu humanæ staturæ, vt hinc exordiar, pugnat acriter testimonium Esdræ lib 4. cap. 5. quo loco Vriel Angelus Domini hæc habet. *Quare quos peperisti, nunc non sunt similes ijs, qui ante te, sed minores statura; Considera ergo & tu, quoniam minori statura estis præ ijs, qui ante vos; & qui post vos, minori quàm vos, quasi iam senescentes creatura, & fortitudinem iuuentutis prætereuntes.* Confirmat D.August. lib. 15. de Ciu. c. 9. humanorum corporum in magnitudine defícientiam, quam his verbis elegāter edisserit. *Ita quippe non credunt, etiam magnitudines corporum longè ampliores fuisse, quàm nunc sunt. Vnde & nobilissimus eorum Poeta Virgilius de ingenti lapide infixo, vir fortissimus illorum temporum pugnans, & rapuit, & cucurrit, & intorsit, & immisit. Propterea cecinit:*

Vix illud lecti bis sex ceruice subirent.

Qualia nunc hominum producit corpora tellus?

significans, maiora tunc corpora à tellure produci. Quantò magis igitur, temporibus recentioribus Mundi, ante illud nobile, diffamatumq; diluuium? Sed de corporum magnitudine plerumq; incredulos nudat per vetustatem, siue per vim fluminum, variosq; casus sepulchra conuincunt, vbi apparuerunt, vel vnde ciciderunt, incredibilis magnitudinis ossa mortuorum. Vidi ipse non solus, sed aliquot mecum in Vticensi littore molarem hominis dentem tàm ingentem, vt si in nostrorum dentium modulos minutatim concideretur, centum nobis videretur facere potuisse. Sed illum gigantis ali-

Staturæ humanæ defectus ex Esdra, & August.

alicuius fuisse crediderim; nam præter quod erant omnium multò maiora, quàm nostra tunc corpora, gigantes longè cæteris antecibant, sicut alij deinde, nostrisq; temporibus, rari quidem, sed numquam fermè defuerũt, qui modum aliorum plurimum excederent. Plinius 2. doctissimus homo, quãto magis magisq; præterit sæculi excursus, minora corpora naturam ferre testatur, quod etiam Homerum commemorat, sæpè carmine fuisse conquestum, non hæc, veluti poetica figmenta, deridens, sed in historicam fidem, tamquam miraculorum naturalium scripturas sumens. Hactenus Augustinus.

Ludouicus Viues, vir eruditissimus, qui commentarijs eosdem libros August. de Ciu. Dei lustrauit, affert in confirmationem præfatę veritatis testimonium Iuuenalis satyra 15. vbi de humano genere ita cecinit.

Nam genus hoc viuo iam decrescebat Homero.
Terra malos homines nunc educat, atq; pusillos.

Idem de statura hu mana ex Plinio.

Non sunt hoc loco reticenda Plinij verba lib. 7. ita loquentis. *In plenum autẽ cuncto mortalium generi minorem in dies fieri staturam propemodum obseruatur, rarosq; patribus proceriores, consumente vbertatem seminum exustione, in cuius vices nunc vergat æuum. In Creta terræmotu rupto monte, inuentum est corpus stans 46. cubitorum, quod alij Orionis, alij Æthionis fuisse tradunt. Orestis corpus, oraculi iussu refossum, septem cubitorum fuisse, monumentis traditur. Iam verò ante annos propè mille, vates ille Homerus non cessauit minora corpora mortalium, quam prisca conqueri; Ita Plinius.* Ex quibus testimonijs apparet, staturam, & magnitudinẽ in humanis corporibus, sæculorum progressu, defecisse; Vnde magna in humana specie mutatio deduci posset.

Ad huiusce rei veritatem introspiciẽdam, pręmittendum est sacrarum litterarum testimonio inconcussum esse, atque indubitatum, gigantes fuisse; ita namq; habetur Genes. cap. 6. *Gigantes autem erant super terram in diebus illis. Postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominum, illæq; genuerunt, isti sunt potentes a sæculo viri famosi.* Quare procul est ab omni dubio, gigantes extitisse, homines staturosos a D. August. appellatos, maxima corporis proceritate ac robore, cæteris hominibus præeminentes, superbissima, ferocissima natura, motum immanitate, ac bellica fortitudine excellẽtes; propter quod genus hominum, vt insinuat Moyses, & testatur Salom. Sap. 14. Deus præcipuè immisit diluuium, vt scilicet eorum impietas, ac superbia memorabili plecteretur supplicio, & ab ipsorum flagitijs Mundus expiaretur; Qui homines, quamuis, vt sacræ loquuntur litteræ, ortum habuerint ex commixtione filiorum Dei, tamen non fuerunt dęmones sub humana specie, vt perperam existimauit Paulus Burgensis, neq; ex dæmonum coitu cum mulieribus fuerũt generati, vt falsò putauit Valesius; quem errorem secutus Franciscus Georgius tom. 1. suorum problematum, multa non minus falsa, quam impia de gigantibus attulit pronunciata. Dicuntur autem gigantes generati a filijs Dei, non quidem ab Angelis, vt aliqui flagitiosè sunt interpretati, sed ex filijs Seth; qui vocantur filij Dei, quia erãt integerrimis viribus, & moribus, sed a prima integritate degenerantes, summo amore, ardoreq; libidinis, toti in venerem, & voluptates proiecti, filiabus natis de stirpe Cain, quæ vocantur filiæ hominum, mulieribus pulcherrimis agglutinati sunt, & coniuncti; vnde fecit libido, vt natura in illis omnem suam vim, & extremũ potentiæ exerceret; Itaque vastissimi, & validissimi homines prognati sunt; & hęc est communis interpretum expositio, expressa a Cornelio a Lapide comment. in caput 6. Genes. Gigantes igitur fuerunt quidem in maiori copia, ante diluuium; sed etiam post diluuium extitere. Ideò, imperante Claudio, procerrimum hominem ex Arabia ductum fuisse tradidit Plin. lib. 7. cap. 16. & S. August. lib. 15. de Ciu. cap. 25. narrat, ante excidium a Gothis Romæ illatum, visam fuisse fœminã giganteæ vastitatis; Quamobrem concedendum est, gigantes non fabulosum, esse figmentũ, sed verum fuisse hominũ genus, quamuis multa Poetæ commenti sint, & ingeniosis inuentis Titanes effinxerint; fuerunt, inquam, homines insoliti, excedentes consuetam hominis mensurã, quæ erat sex pedum iusta, & solita, principãte Augusto, vt ait Plin. l. 7. c. 15.

Gigãtes esse in Mũdo, & quomodo geniti.

Gigantes ante diluuium, & post diluuium.

Obij-

Obijcies; Superioribus sæculis, & hoc nostrate nō sunt gigantes, ergo adest defectus in humana proceritate, & magnitudine. Respondetur, nimiam vastitatē, nimiamq; paruitatem in humanis corporibus, qualis apparet in pygmæis, esse opus naturæ, non id intendentis efficere, sed aberrantis à suo fine; Propterea, & gigantes, & pygmæi monstra dicuntur. Quare tantum abest, vt hoc tempore, propter gigantum carentiam, humana natura defecisse videatur, vt potius magis regulata, & ad suum finem ordinata dicenda sit. Et quoniam in natura id potissimùm est spectandum, quod plerumque, & in pluribus solet euenire, affirmamus, staturam humanam, labentibus sæculis, non esse diminutam; Nam cùm statuæ adhuc extent priscos homines referentes, quæ solitam humani corporis repręsentant mensuram, haud dubiè priscorum hominum proceritatem non repræsentarent, si illorum corporum magnitudinem non exprimerent. Præterea, si humanę staturę paulatim ad paruitatem defluxissent, cùm ab Homeri tēporibus, de humani corporis decremento querimoniæ iactentur, iam humana corpora, post tot sæculorum myriadas, in minimam paruitatem declinassent; Idcirco improbabile, & fabulosum est illud, quod Plinius, Iuuenalis, & alij de staturę humanæ decretione tradiderunt. Et ad testimonium Esdræ, respondendum est, vel ipsum locutum esse de statutura gigantum, quæ dicitur defecisse, vel ipsius verba exponenda esse, iuxta vulgarem sensum hominum, putātium, staturas humanas in dies defluere. Ad testimonium D. Augustini occurrā, dicendo, nihil aliud ipsius verba suadere, quàm ante, & post diluuium, & suis quoque temporibus fuisse gigantes; non tamen hinc inferendum est, giganteam figuram consuetam hominum mensuram fuisse, adeò vt humana corpora decreuisse dicantur, quia amplius eā proceritate non assurgunt, & intumescunt, sed quidem admittendum est, in omnibus sæculis visos fuisse homines paucos quidem, qui proceritate, & celsitudine corporis, licet non gigantea, cęteris præstitere.

Statura humana non defecit, licet fuerint gigantes.

CAPVT SECVNDVM.

An defecerit hominum numerus, & multitudo.

VT completa hac de re instituatur tractatio, adducam primo loco testimonia, quæ antiquitus ingentem fuisse hominum copiam, efficaciter persuadent. Deinde quæram, an in nostro hemisphęrio extet eadem hominum multitudo: an vero in hac parte Mundi deficiens, & imminuta, in altero hemisphærio exurgat, & renouetur. Post diluuium adeò numerosa creuit hominum copia, vt cum fides, sine vlla hæsitatione, sacris sit adhibenda monumētis, ipsam numerosissimam extitisse, fateamur necesse est. Etenim lib. 1. Reg. ca. 15. habetur, quòd cùm Dominus præcepit Sauli, vt interficeret Amalech, exercitus Israel à Saule recensitus, comprehēdebat ducenta millia peditum, & decem millia virorum Iuda. Lib. 2. Reg. cap. 20 refertur bellum inter Syros, & Dauid, in quo prælio Dauid interfecit de Syris septingentos currus, & quadraginta millia equitum. Secundo Regum cap. 24. traditum est, quòd cùm ex mandato Dauid à Ioab fuisset Israel exercitus recensitus, inuenta sunt de Israel octingenta millia virorum fortium, qui educerent gladios, & de Iuda quingenta millia pugnatorum. Lib. 2. Paralip. cap. 12. relatum est, quòd cùm populus Israel aduersus Deum peccasset, ipsemet Deus iratus succensus, excitauit Sesach regem Aegypti, qui ascendit in Ierusalem cum mille ducentis curribus, & sexaginta millibus equitum. Eodem lib cap 14. habetur, Zaram Regem Aethiopum venisse aduersus Iudæos cum exercitu ingenti, decies centena millia hominum complectente. Rex Assyriorum Nabuchdonosor suę militię præsidem Holofernem misit ad expugnan-

Numerosissima militum multitudo ex sacris literis.

gnandum Occidentis Regnum, & eas præcipuè vrbes, quæ suum contempserūt imperium, Holofernes in expeditione dinumerauit centum viginti millia peditum pugnatorum, & equitum sagittariorum duodecim millia, ex libro Iudith cap. 1. & cum Holofernes Bethuliam inuaderet, & obsideret, ibidem cap. 7. relatum est, ipsius exercitum habuisse pedites bellatorum centum vigintimillia, & equites vigintiduo millia. Et tandem celebris est interfectio facta ab Angelo Domini, regnante Ezechia rege Iuda, qui Angelus interfecit de castris Sennacherib centum octogintaquinque millia; vt refertur secundo Machabæorum cap. 15. Quare, cùm hoc tempore potentissimi principatus adeò numerosos instruere nequeant exercitus, tantaque bellica parare præsidia, id argumento esse debet hominum multitudinem defecisse, & humanam generationem minus copiosam esse.

Numerosa hominū multitudo ex prophanis litteris.

Idem ex prophanis historijs facilè depromi potest; Etenim ingens magnitudo fuit exercitus Xersis, quem ipse ex Asia in Europam traduxit, ad Græcos debellandos, quem exercitum terrestrem simul, atq; naualem fuisse, tradit Herorodotus lib. 7. & continebat decies centena millia, & præterea propè trecenta millia. Itaque iuremeritò affirmauit Alex li. 6. Genial. ad Xersis exercitus potum multa flumina non suffecisse, & ad eius diurnùm cibum sexcenta millia frumenti modia satis non fuisse; Vbi nunc tam ingens, & quasi supra fidem militū numerus? Ex quo datur intelligi, humanam naturam in multitudine hominum producenda deficere.

Xersis exercitus.

Et vt aliqua de Romana militia delibemus; Bellica Romana potentia terrestris militum stipēdiariorum varia fuit, diuersis temporibus, nunc maior, nunc minor. Principatu Hadriani, potentia terrestris Romanorum continebat ducēta millia peditum, quadraginta millia equitum, trecentos elephantes bellicosos, tria millia curruum, & armorum in supplementum trecenta millia. Naualis autem hæc erat potentia. Habebant Romani duo millia nauium, mille, & quingentas triremes, magnas verò naues proris, & puppibus aureis instructas, ad ostentationem Romanæ maiestatis, & vsus Imperatorum octoginta, & tot instrumenta naualia habebant parata, vt armandæ duplo maiori classi sufficere possent.

Copiosissima Romanorum militia pedestris & naualis.

Quid verò dicam de innumerabili ciuiū Romanorum copia? quorum capita sub Augusto quadragies centum millia, & sexaginta tria censita sunt, qui numerus sub Claudio Imperatore ita creuit, vt probatæ fidei scriptores asserant, sexagies nouies centena sexaginta quattuor millia fuisse; ita vt Romana vrbs plures habitatores comprehenderit, quam nunc multæ prouinciæ, & regna nō complectuntur.

Numerus ingens ciuium Romanorum

Non prætermittam, Hannibalem Carthaginensem cum Romanis in Italia pugnantem habuisse exercitum nonaginta millium peditum, duodecim millium equitū, & trigintaseptē elephantū.

Hannibalis exercitus.

Paulus Diaconus de Langobardorū origine, & gestis lib. 1. cap. 1. affirmat, septentrionalem plagam, quantò magis ab æstu Solis remotam, & niuali frigore obsessam, tantò salubriorem corporibus esse, & propagandis gentibus fæcundiorem; Vnde fit, vt tantæ populorum multitudines Arctoo sub axe ortæ sint, & ab illis oris sæpè gentes egressæ sint, quæ Asiam, & Europam afflixerunt, vt testantur vrbes dirutę per totum Illyricum, per Galliam, per Italiam, quæ omnium illarum gentium immanitatem miserrimè experta est; Gothi siquidem, Ostrogothi, Vuandali, Hunni, Heruli, Thuringi, & aliæ feroces, ac barbaræ nationes illinc prodierunt. Pari calamitate Vuinillorum, hoc est Langobardorum gens, quæ postea in Italia diu dominata est, è Scandauia, Balthei, seu Balthici maris Insula, nouarum sedium quærendarum gratia, à multitudine excitata profecta est, nam cùm intra eam Insulam coacti populi in tantum numerum excreuissent, vt iam simul habitare non possent, in tres, vt fertur, partes omnem cæteruam diuiserunt, vt sorte disquirerēt, quænam ex illis patriam relictura, nouas sedes exquireret. Hinc memoriæ proditū est, Hunnos, anno Christi 374. è Scythia profectos esse, & exercitu instructo ex militū millione, & octoginta millibus, in regiones Occidentales penexisse. Anno

In Septentrione magna hominū copia.

Gentes ex Septētrione egressa

Vnde prodierint Lāgobardi.

no verò 394 Rhadagasius Gothorum Rex, cum ducentis millibus militum Alaricum Visigothorum regem comita tus est. Anno 451. ex iisdem partibus Aquilonaribus discessit Attila Hunnorũ rex, qui fortissimarum gentium, quas subiugauerat, præsidio fultus ad Occidentale demoliendum imperium intendens animum, septingentorum millium exercitum duxit, in quo militasse regem Gepidarum, Andaricum, ac Vualamitem Gothorum, necnon fortissimas gentes Marcomannos, Sueuos, Quadros, Herulos, Turcilingos, siue Rungos, cum proprijs Regulis, aliasq; barbaras nationes in extremis Aquilonis oris commorantes, memoriæ proditum est. Itaque fortissimus Barbarus numerosissimo truculentorum militum pollens exercitu, instar fulminis, quæque obuia disiecit, ac præcipuè Gallias dirissima clade affecit, sacra, prophanaq; omnia, homines, & ædificia deuastans; mox ad Illyricum perrexit, inter fines Veneticos exercitu confidente, & augendæ Venetiarum vrbi, quæ iam sua sumpserat primordia, occasione data, Aquileiam, Ciuitatem insignem, cui rex præsidebat, ferro, igneque vastauit, defuncto antea Foreste Estense, qui pro illius Vrbis defensione, non tàm militum strenuissimorum copijs, quàm singulari certamine gloriosissimè cum Attila dimicauit.

Attila exercitus.

Aquileia ab Attila destructa.

Quorsum hæc? vt appareat gentes, & milites in Septentrionali plaga longissimè defecisse. Etenim cùm superioribus annis, ex Gothica regione discesserit Gustauus Adolphus Sueciæ, Gothiæ, & Vuandaliæ rex, ad inuadendam Germaniam, & Romanum turbandum imperium, non ingentes, more maiorum, ad tantum facinus militum copias, sed tantùm duodecim millia adduxit, quibus deinde in Pomerania, atq; Germania, magna additio facta fuit. Vnde igitur hæc tanta bellatorum penuria in regione Septentrionali, hominum, militumq; feracissima? videlicet, vt intelligamus, humanam generationem ibi defecisse, atque naturam non tanta, vt olim hominum copia abundare. Et hæc dicta sint satis pro defectu multitudinis humanæ; Quæ ratio acriter pugnat aduersus Ocellum, asserentem, naturam, & Mundum in eodem semper permansisse vigore, nullamq; in ipso mutationem in deterius contigisse. Et quemadmodum ex defectu humanæ staturæ, nulla præsidia contra Ocellum desumpta fuere, ita ex defectu humanæ multitudinis fortissima, & inexpugnabilia aduersus ipsũ iacula excutiuntur; Nihilominus operæ pretium esse duco, quædam ex historijs petita diluere, quæ in alijs Mundi partibus, & præsertim in America regione innumeram hominum extare multitudinem, & numerosissimos coactos fuisse exercitus, suadere videntur.

Rex Sueciæ Gustauus cum paruo exercitu Germaniã inuasit.

CAPVT TERTIVM.

Afferuntur testimonia historica, suadentia, multitudinem hominum non defecisse, & refelluntur.

PRo Ocello aliquis ita obijcere posset. Natura rerum vicissitudines semper adamauit; ipsamque continuò vultum, faciemq; mutare videmus, adeo vt, quod aliquo in loco olim floruit, & abundauit, ibi flaccescens, & & deficiens, alibi ghiscat, & virescat; Ita nouas facies assiduè induit natura: ita Mundus nunquam est, nascitur semper, & moritur. Quamobrem licet in nostra Italia, & in alijs Europæ Prouincijs numerus hominum decreuerit, tamen in America, & nouo Orbe oppidò surrexit, & adauctus est. Imò regiones in ipsa Europa, quæ populis quondam orbatæ fuere, hoc tempore gentibus opulentissimæ conspiciuntur; Etenim illa Germaniæ pars, quæ antiquitus syluis, & paludibus occupata erat, nunc hominum industria exculta, & habitata, plures quã antea habitantium milliones, innumerosq; ad bellum idoneos milites producit. Hinc Diæcesis Coloniæ Agrippinæ adeò ampla est, vt iam in ipsa olim, Si-

Colonia Agrippinæ magna Diæcesis.

gismundo imperante, sexaginta Parçciç, supra mille, & septingentas recenserentur; trecentū quinquaginta monasteria, Sacerdotum decem, & septem millia numerarentur.

Vrbs Constantinopolis habitatoribus plenissima. Hoc etiam tempore, Byzantium, quæ à Constantino nunc vrbs appellatur, quæ à Seuero Imperatore euersa fuit, postea à Constantino magnificè extructa, & à Theodosio minore aucta, tandem à Mahumeto secundo capta, tredecim millia passuum ambitu comprehensa, maiorem habitantium multitudinem complectitur, quàm antiquitus non continebat.

In Cataio ingens hominū multitudo. In Prouincia Cataij, in qua magnus Cham dominatur, illius imperij metropolis Ciuitas, nomine Cambalu, viginti octo millia passuum ambitu concluditur; Atq; cum tanta vrbis spatia non quidem inania, sed habitatoribus plenissima ab Historicis referantur, ingentē in ipsa hominum multitudinem extare, nemo non dubitat.

Cina fæcūdissima, & maximam hominum cōtinet multitudinē. Quid dicam de Sinarum regione, quam hodie Cinam vulgus appellat? quæ regna, seu prouincias vastæ magnitudinis quindecim enumerat, referente Maffeio lib. 6. Indic. hist. Tellus, quæ maxima ex parte, intra temperatæ plagæ, & zonæ terminos comprehensa, saluberrimo cælo, & purissimæ auræ spiritu gaudet, nec solum inclytæ fertilitatis gleba, & omnigeni fructus, bifero, triferoque prouentu perfruitur, sed infinita hominum multitudine repletur, vitam benè longam traducente, subolescente in dies prole; & in alienas regiones migrantibus interdictis, adeo vt septuaginta milliones hominum complecti, testatum reliquerit Boterus lib 2. Relat.

Quoniam verò antiqua hominum numerositas in militaribus copijs demonstrata fuit, aliquis pro Ocello nuperos, & recentes exercitus, priscos illos, vel antecellentes, vel adæquantes recensebit; Et sanè subit recordatio illius, quod luculentissimè à Pio secundo summæ eruditionis Pontifice de Thamurlano describitur secunda part. de Asia; qui genere Parthus gregarius miles, adeò inter suos, vi mentis, & corporis agilitate excelluit, vt breui multarum gentium dux fuerit, & Parthorum imperio potitus, Scythas, Iberos, Albanos, Persas, & Medos subegerit. Præterea *Exercitus Tamerlani.* Mesopotamiam inuasit, atq; Armeniam, transitoq; Euphrate, cum quadringentis millibus equitum, sexcentis millibus peditum, omnem Asiam, quam minorem appellant, obtinuit, deuastauit, obtriuit, regem omnium potentissimum Baiazettem Turcarum Imperatorem, cū pari equitum numero, & peditum copijs apud Armenos prælio superauit, ducentis hominum millibus interfectis, & viuum captum Imperatorem, atque cauea, in modum feræ, inclusum, per omnem Asiam circumtulit, egregium, & admirandum humanæ potestatis ludibrium.

Notum est, Moscorum magnum Ducem tercentum millia equitum in acie aliquando coegisse, & monumentis consignatum est, Solymanum Turcarum Imperatorem, oppidum in Pannonia, nomine Zighettum, anno quingentesimo sexagesimo sexto supra millesimum, trecentum quinquaginta millibus bellatorum inuasisse, & expugnasse, vt habet Boterus lib. 2. Relat.

Verùm si remotiora quæramus, occurret nobis Rex Siam, qui etiam Rex Pegusij regni nominatur, qui Ciuitatem, nomine Vdiam, bellantium millione, pluries aggressus est, ex Botero 2. part. Relat. lib. 2. Occurret etiam Rex Angolæ, quæ est prouincia nobilis, & inclyta in Aethyopia Occidentali, regno Gongi propinqua, cuius rex anno Domini quingentesimo octuagesimo quarto supra millesimum, millione, & ducentis millibus Aethyopum coactis, irrupit in Paulum Dias Lusitanum, cū quo acriter dimicauit, & referente Botero, feliciter ab eodem Paulo, supremo opitulante, & pugnante Numine, tantus exercitus fusus est, quem prorsus contemnendum esse, diceret aliquis, cū ingentibus, & innumeris copijs Assyriorum, Beli, Nini, Semiramidis, Cambisis. & Darij; Imò, quod de exercitu Xersis flumina in transitu exhauriente iactat antiquitas, id refert Io. Bonus Lusitanus de Regis Chrisnarai exercitu, aduersus Idalcanem, qui tam numerosus erat, vt potu flumina ipsa exsiccaret. *Diuersi exercitus copiosissimi.*

Illud

Illud autem non est silentio dissimulandum, quod summo eloquentiæ lepore lib. 11. hist. narrat Maffeius de Badurio Cambaiæ rege, qui cum edomare decreuisset Crementinam viduam Sangæ reginam, præferoci, & plusquam virili ingenio mulierem, instar Amazonis, pugnam intrepidè ineuntem, & statutum vectigal Badurio pendere renuentem, vnaquè constituisset occurrere omni conatu Mogoribus Scythicis gentibus, præpollentibus viribus, necnon ipsarum Regi Miramudio à magno Thamberlane originem trahenti, & in Cambaiæ fines valido exercitu irrumpenti, expeditiones in hunc modum parauit. Equitum sub signis habebat centum quinquaginta millia, peditatus quingentorum millium explebat summam, armorum, & telorum omnis generis vim ingentem, currulia tormenta mille, ex ære cuncta constructa; in istis vastæ magnitudinis quatuor basiliscos, tremente solo, centena singulos boum iuga trahebant. Addita erāt sulphurei pulueris, & pilarum plaustra quingenta, libratores, & fusoriæ artis magistri complures, cum omni iaculādi, & conflandi instrumento; Ad hęc turriti elephanti amplius ducenti, Satrapæ, ac Dynastæ permulti cum suis quisq; thesauris, & magno comitatu ducem, & regem sequebantur; Mercatorum, opificū, lixarum, & calonum summa iniri vix poterat. Cum hisce copijs Badurius è Mandoo regno, quod nuper inuaserat, profectus, in Sangę fines ad Citotē vrbē, circuitu duodecim millia passuum, in edito loco propugnaculis egregiè circumdatam, Mundi Vmbellam appellāt, castra posuit. Quid, obsecro, hoc exercitu grandius, numerosius, admirabilius, dici, vel fingi potest? Quare Ocelli fautores obijcient, has in Orbe nouo hominū, militumq; innumeras phalanges reparare iacturam illorum hominum, qui in nostro Orbe defecerunt; atq; ita verum esse, vicissitudines agere naturam, & Mundum semper in tota sua vniuersitate, in eodem statu, & vigore perseuerare, vt affirmat Ocellus.

Ingens exercitus in India a Maffeio descriptus.

His non obstantibus, asserendum est, multitudinem hominum in nostro hemisphærio eamdem non esse, neq; adeò copiosam, vt antiquis extitit temporibus; Et quamuis admittantur ea, quæ aliquādo, supra fidem, de habitatoribus noui Orbis enarrantur, & esto quòd verum sit, illic ingentem hominum, & militum copiam floruisse, ac florere, tamen negari non potest, imminutam esse in nostro Orbe hominum multitudinem, cum reuera tot homines amplius non ferat Italia, Gallia, Hispania, Germania, & præsertim frigida illa Septentrionalis plaga, in qua frequēti spiritus vini haustu, & calidarum aquarum, ita exuritur semen, vt ferè inefficax ad generationem euadat; Sed demus, in nouo Orbe esse tantam hominum affluentiam, quanta olim erat in nostro, non propterea conuincitur in nostro Mundo homines non defecisse; Neq; obstat id, quod in contrarium asseritur, scilicet affluentissimā in nouo Orbe hominum productionem compensare, & restaurare numerum deperditū in nostro Mundo, quoniam, cùm recentes sint notitię, quę ad nos de rebus noui Orbis peruenerunt, existimare possumus, illos homines ita numerosos, nobis ignotos, illic semper extitisse; & cum clarissimè nobis innotescat defectus hominum in prouincijs, ac regnis nostri Orbis, iam patet apud nos esse hominum defectum, & non patet illic paucos fuisse homines, qui progressu temporum adeò propagati sint, vt impleant iacturā hominum in hoc nostro Orbe euidenter spectatam; Quapropter verum est, quòd si vna pars Mundi, quoad hominum generationem, creuit, altera pars defecit; & hoc contendo ego probare aduersus Ocellum, affirmantem, vniuersum Mundū, & naturam semper in eodem statu, & vigore permansisse.

Copiosa hominū multitudo in nouo Orbe non tollit hominum deficientiā in nostro.



CAPVT QVARTVM.

An humana species in vitæ spatio defecerit.

Validissima instruetur disputatio contra Ocellum, constituentem eumdem vigorem in Mūdo, & permanentiam, si demonstratū erit, longæuas hominum ætates multum decreuisse, labentibus sæculis, adeò vt in vitæ humanæ curriculo maxima conspiciatur mutatio. Et sanè perspectissimum est, antiquos homines longissima vixisse sæcula, vt sacræ testantur paginæ. Adamus primus humanæ naturæ parens, annos vixit 930. Seth 912. Enos 905. Cainan 910. Malakhel 895. Iared 962. Mathusalem 969. Enoch antequam transferretur, vixit annos 365. Lamech 777. Sem 600. Arphaxad 368. Noe 950 Salu 433. Eber 465. Phaleg 239. Reus 302. Sarug 230. Nachor 148. Thare 205. Abraham 175. Sara 127. Isaac 180. Iacob 150. Iob 140. immo narrat Iosephus lib. 1. antiquit. cap. 3. priscos homines ad mille annos vitam produxisse; Quare cùm adeò breuis factus sit humanæ vitæ cursus, vt homines, tanquam ad vltimam metam, vix ad septuaginta, vel octoginta annos perueniant, & paucissimi sint, qui integrum ducant sæculum, haud dubiè humanæ vitę breuitas falsitatem Ocelli demonstrat, nimirum Mundum, & naturam eodem semper potitam esse vigore. Nec mihi aliquis obijciat, annos, quibus prisci homines vixere, breuiores fuisse nostratibus, nāq; anni, de quibus in sacra scriptura fit mētio, fuerūt anni tales, quales sunt nostri, quod ex ipsa scriptura colligitur, in qua cap. 7. Genes. in illo anno, in quo durauit diluuium, fit mentio primi, secundi, septimi, & decimi mensis, & ad ostēdendum, menses pluribus diebus esse conflatos, & non esse tantum trium dierum, vt aliqui arbitrati sunt, memoratur ibi decimus septimus dies mensis secundi, vigesimus septimus mensis septimi, & mensis secundi dies septimus, & vigesimus; idcircò anni illi, quibus antiqui vixerunt homines, non fuerunt menstrui vel trimestres, aut semestres, sed pares nostratibus, vt infra clarius explicabo.

Lōgissima antiquorū hominum ætates.

Anni antiqui fuerunt simi les nostratibus.

Sed quemadmodum exploratissimum est, humanæ vitæ spatia, à primis Mundi sæculis, vsq; ad aliqua tempora, abbreuiata esse, ita etiam perspicuum est, iam per multa sæcula, eamdem vitæ humanę ætatem perdurare; Itaq; humana ætas, pugnat contra Ocellum, in manifesta ipsius diminutione, & fauet eidem Ocello, in tenore immutabili, per multa sæcula, ad nostra vsq; tempora.

Pro cuius rei enodatione, considerandæ sunt causæ longissimæ vitę, quam ante diluuium duxerunt homines. Prima fuit perfectio temperamenti, in primis nostris parentibus, propria Dei manu fabrefacti, quod sanè erat temperamentum ęquale ad iustitiam, cuius perfectionem primi parentes in suos filios, & propinquos posteros, per generationem transmiserunt, qua temperamenti summa bonitas, progressu temporis, à suis maximè distans principijs elanguit.

Causa longissimæ ætatis in priscis tēporibus.

Secunda causa fuit sobrietas, idest in victu, & potu continentia; nam quemadmodum vsu compertum est, opiparè cōuiuantes, & longè bibentes breuem transigere vitam, ita eiusdem victus moderatio vitam in longum producit, vt pro indubitato à medicis habetur; Non est tamen opinandum, priscorum hominum victum glādem fuisse, sicut cecinit Ouid. lib. 4. fastorum.

Glādes nō erant antiqui hominum cibi.

Prima Ceres, homine ad meliora alimenta vocato,
Mutauit glandes vtiliore cibo.

Quod etiam opinatus est Plinius lib. 7. cap. 56. asserens, Cererem frumenta dedisse, cùm antea homines glande vescerentur; Siquidem id prorsus fabulosum existimo, & eatenus veritati contrarium, quatenus sacræ scripturæ testimonijs aduersatur. Ita enim Redemptor noster Luc. 17. loquitur de pabulis, quibus antiqui vtebantur; *In diebus Noe edebant, & bi-*

& bibebant, & uxores ducebant, & dabātur ad nuptias. Quæ verba exponens Genebrardus, obseruat illorum temporum corruptelam, quando, etsi nullus adhuc esset vsus carnium, & piscium, tamen non simplici aquæ potu, & cibo, sed factitio, & delicato obsonio vtebantur, Et tandem pluribus locis in sacra Genes. de cibis delicatis, & arte conditis expressa fit mentio. Itaq; cùm ex sacris Scripturis nullum prodeat testimonium de glande, priscorum hominum cibo, asserendum est, illud Poetarum esse figmentum, ab ipsis decantatum, ad auream illam ætatē concelebrandam; quandoquidem antiquus hominum victus in esu herbarum potissimùm versabatur, & post diluuium, carnium esus inuectus fuit, quia cùm in diluuio, præ aquarum copia, diù super terram commorantium, & præ maris salsedine, facultas productrix telluris infirmata fuerit, & deprauata, solidior cibus, quàm herbę, & fructus terrestres, pro hominum validiore alimento, adhibendus fuit; Quo factum est, vt post diluuium, omnium ciborum qualitas infirmata sit, & propter pabuli imbecillitatem, humanum temperamentum multa patiatur incommoda.

Esus carnium post diluuium.

Tertia causa petenda est à perfectissima cognitione, quam Adamus de natura herbarum, fructuum, lapidum, metallorum, & rerum omnium naturalium callebat, quam notitiam posteris sibi propinquioribus communicauit; Vnde factum est, vt prisci homines, tot rerum naturalium tuti præsidijs, vel nullis, vel saltem leuibus ægritudinibus afficerentur, necnon optima alimenta ad vitam diutissimè sustinendam assumerēt. Quoniam verò illa notitia, temporum lapsu, obscurata, & obliterata fuit, iam crebræ inuadunt infirmitates, rerum naturalium remedijs ignotis, non repellendæ, & fructus terrę impurissimi impura etiam suppetunt alimenta.

Cognitio perfecta herbarum lapidū & metallorū longitudini vitæ suffragabatur.

Quarta causa ex Dei prouidentia potissimùm desumenda est, qua hominum vita antiquitus diuturna constituta fuit, vt prisci homines diù viuentes humanum genus propagarent, multas soboles, & stirpes producerent, artes, & disciplinas humanum genus edocerent.

Non quidem arridet ratio quinta à Pererio indicata lib. 7. in Genes. c. 5. quæst. 3. & ab Astrologia deprompta; siquidem, inquit ipse, octaua sphæra sui motus tarditate, centum annis, vnum dumtaxat conficit gradum, quare in tota prima ætate, quæ fuit mille sexcentorum quinquagintasex annorum, aspectus siderum inerrantium, secundum istum motum variatus est, per sex, & decem gradus, cum dimidio, superq; duo minuta; ex quo motu prouenire solent, inquit Pererius, quędam mutationes in hoc Mundo inferiori, vt quòd pars aliqua terræ inundetur mari, vel pars maris denudetur aquis, & terra quæ erat habitabilis, & fertilis, fiat inhabitabilis, & sterilis, aut è contra; Ideò putat hic author, quòd propter varium stellarum inerrantium aspectum, in ætatibus hominum facta fuerit, post diluuium, mutatio, adeout, ex spatiosis, & longis breues euaserint, & angustæ. Quoniam vero hęc ab illo, absq; vlla ratione, pronunciantur, eadem facilitate, qua asseruntur, etiam refelluntur. Neq; hic est locus Astrologorum errorem redarguendi, quando in Astrologica Disputatione hanc prouinciam accuratè aggrediemur.

Pererij cōsideratio de longa hominum ætate.

Quibus præhabitis, quemadmodum concedendum est, vitam hominum à Mundi primordijs, & priscis temporibus, ob traditas causas, longæuam fuisse, ita asseuerandum est, à diluuio, post aliquod tempus, leuem in hominum ætatibus mutationem contigisse. Occurrunt verba consideranda, quæ a Deo cap. 6. Genes. prolata fuere: *Eruntq; dies illius centum viginti annorum*; Quæ à nonnullis interpretibus exponuntur pro termino vitæ, singulis hominibus à Deo statuto, ita ut singuli homines deinceps centum viginti annis essent victuri. Ita interpretati sunt Iosephus, Philo, Rupertus, & Abulensis, qui tamen falluntur, nam constat post hæc tempora, homines, non ad centum viginti annos, sed multò plures vitam produxisse; Etenim Sem filius Noe, & Sala ad quatuor centum triginta tres annos vitæ spatium dilatarunt, & quamplurimi supradictum terminum viginti centum annorum longè transegerunt, vt multæ hominum ætates in eodē sacræ Genes. cap. recenseantur; Sed illa verba fuerunt à Deo prolata, vt centum

Explicātur verba Genes. 6.

vi-

viginti annis, hominibus indulgeret, & spatium ipsis resipiscendi, & pænitentiæ agendæ impartiretur, quamquam Deus, ob scelera hominum, à cursu annorum constituto viginti annos demit, & decurtauit; Verùm quamuis post diluuium homines aliquot, non solum centum viginti annorum limites excesserint, sed vlteriùs etiam vitam produxerint, vt sacris, & prophanis monumentis proditum est, & præsertim testatur Plinius lib. 7. cap. 49. de duobus inuentis, altero Bononiæ, altero Arimini, centum quinquaginta annos agentibus, in censu, quem Imperatores Vespasianus pater, & filius Titus mandarunt; quamuis, inquam, aliquot homines sæculum integrum, viuendo, prætergressi sint, attamen plerique hominum ad septuaginta, vel octoginta annos, quasi ad communem vitæ metam peruenerunt, iuxta illud Dauidicum pronunciatum, psalm. 110. *Anni nostri, sicut aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, si autē in potentatibus octoginta anni, & amplius eorum labor, & dolor.* Quorum verborum litteralem interpretationem tametsi non approbare videātur D. Augustinus, & Cassiodorus, illa verba allegoricè de testamento veteri, & nouo exponentes, itaut pro annis septuaginta, vetus intelligatur testamentum, quod septimum diem Sabbati obseruabat, & pro annis octoginta, nouum accipiatur testamentum, pro die octauo, idest pro die Dominico, quem nos christiani colimus, in memoriam Resurrectionis Redemptoris nostri, attamen communior SS. Patrum, & Doctorum sententia est, his verbis, iuxtà sonum litteræ acceptis, Dauidem cælitus illuminatum, humanæ vitæ terminum præscribere, quemadmodum inter cæteros doctissimus Cardinalis Bellarminus ita exposuit. *Dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni, idest tempus vitæ nostræ, in seipso conclusum, & definitum, non transcendit vltra septuaginta annos, & in robustioribus, vsq; ad octoginta, & si quid vltra sit, erit labor, & dolor, ætas videlicet infirma, & varijs malis, & ærumnis obnoxia.* Hæc Bellarminus; qui asserit, hanc esse interpretationem D. Hieronymi, Theodoreti, Euthymij, scilicet, quòd hic definiatur vita hominis, spatio septuaginta, vel octoginta annorum, quæ vtcumque longa est, si comparetur cum vita multorum animalium; breuissima tamen est, si cum æternitate, in qua existet anima soluta corpore, conferatur. Et obseruat vir morum sanctimonia, & doctrina eminentissimus, quòd quemadmodum ante diluuium, & proximè post diluuiū, homines diuturnissimè, ex prouidentia Dei, vixerunt, vt genus humanum faciliùs propagaretur, atq; artes, & disciplinæ multiplicarentur, ita prouidentiæ diuinæ fuit, vt tempus humanæ vitæ contraheretur, quia æquum est, vt sicut multiplicantur peccata, ita vitæ spatia perstringantur, & quia, si propagato humano genere, adhuc homines diutissimè viuerent, Mundus eos capere non posset.

Verba Psal. 110. exponuntur, & hominis ætas explicatur.

Peccata causa vitæ breuitatis.

Huic assertioni de spatio humanæ vitę à Psalte præscripto, mirificè fauet Caietanus in comment. præfati Psalmi: *Considera*, inquit ipse, *hoc tu, qui dicis, nos ætatis esse breuioris, quàm fuerint ætatis superioris homines; Multa millia annorum iam fluxerunt à tempore editi Psalmi, contemplantis ætatem humanam septuaginta annorum; Si enim breuior facta esset ætas, certè à tanto tempore, hucusq; non esset ætas hominum adhuc septuaginta annorum, cuius tamen oppositum videmus.* Ex qua Caietani consideratione constat, hominum vitam nullam generaliter, & vt in plurimis, passam esse, à tribus & eò amplius annorum millibus, mutationem.

Verba Caietani cōsiderātur, pro spatio 70. & 80. annorum.

Cui veritati firmissimam conciliat fidem quod de ætate quinquaginta annorum litteris consignatum est, quam fuisse senilem, & primum senium semper acceptū, testatur in primis T. Liuius, qui loquens de bello Macedonico, scribit, Romæ decretum fuisse, quòd qui annos quinquaginta transigeret, à militiæ onere liber esset, & immunis. Quod confirmat Senec. lib. de breuitate vitæ ad Paulinum dum ait. *Lex à quinquagesimo anno militem non cogit, Senatorem non citat.* Atq; idem de breuit. vitæ cap. 4. hæc habet. *Non pudet te reliquias vitæ tibi reseruare, & id solum tempus bonæ menti destinare, quod in nullam rem conferri possit? Quàm serum est, tunc viuere incipere, cum desinendum est? Quæ tam stulta mor-*

Quinquagesimus annus primum senium.

mortalitatis obliuio, in quinquagesimum, & sexagesimum differre sana consilia, & inde velle vitam inchoare, quò pauci perduxerunt?

Cæterùm, tametsi angustis definita limitibus, & breui circumscripta spatio humana vita videatur, de cuius breuitate pleriq; conqueruntur mortalium, quòd s. in exiguum æui gignantur, & quòd hæc tam velociter, tam rapidè dati nobis temporis spatia decurrant, attamen philosophica grauitate hanc vitæ breuitatem deridet, & falsam esse, ostendit Seneca ad Paulinum de breuit. vitæ cap. 1. his verbis: *Non exiguum temporis habemus, sed multum perdimus: satis longa vita, & in maximarum rerum consummationem largè data est, si tota benè collocaretur; sed vbi per luxum, ac negligentiam defluit; vbi nulla rei bonæ impenditur, vltima demum necessitate cogente, quam ire non intelleximus, transysse sentimus. Ita est: non accepimus breuem vitam, sed fecimus, nec inopes eius, sed prodigi sumus; sicut ampla, & regia opes, vbi ad malum dominum peruenerunt, momento dissipantur, aut quamuis modica, si bono custodi tradita sunt, vsu crescunt; sic ætas nostra benè disponēti multum patet. Quid de rerum natura querimur? Illa se benignè gessit; vita, si scias vti, longa est.* Hæc Seneca. Et in eodem lib. cap. 6. ita prosequitur. *Vestra mehercule vita, licet supra mille annos exeat, in arctissimum contrahetur, ita omnia nullum non sæculum deuorabit; Hoc verò spatium, quamuis natura currat, ratio dilatat, citò vos fugiat necesse est; Non enim apprehenditis, ac retinetis, nec velocissima omnium rei moram facitis, sed abire, vt rem superuacuam, ac reparabilem finitis.* Hucusq; Seneca.

Seneca, vitam nō esse breuē, ostendit.

Sed, vt eò reuertar, vnde discessi, equidem fateor, aliquot homines suæ vitæ cursum in longam ætatem protendere, vt amplissimam fidē faciunt, quæ de Indijs orientalibus, & occidentalibus, litteris consignata sunt, inter quæ, potissimùm à Maffeio commemoratur senex, qui trecentos trigintaquinque annos vixit; & referunt Conimbricenses, Lusitanum quemdā tercentum quinque annos egisse, & pilos mutasse, & apud Indos, multos ferè centesimum pertingere annum, monumenta testantur; Imò in nostra Italia, paucos aliquot ad centesimum peruenisse annum, fama percrebuit, & ego ipse agnoui Illustriss. Marchionem Thomam Sacratum Equitem Ferrariensem, cui centesimus instabat annus, cùm è viuis Ferrariæ excessit; & in oppido Codegorij nostræ Cymaclensis Diæcesis, Bartholomæum Perinum allocutus fui, multa referentem, ex quibus, ipsum centum, & viginti circiter annos impleuisse, coniectabatur; Id verò rarum in natura, & insolens est, & solum, quod plerumq; & pluribus euenit, tanquam eiusdem naturæ mos, ac regula recipienda est. Idcirco communis humanæ vitæ terminus, qui tot annorum millibus remanet immutatus, æstimandus est ille, qui à sacro Psalte diuinitus edocto constitutus fuit.

Aliqui centum, & amplius annos vixerunt.

CAPVT QVINTVM.

Examinatur vera causa breuitatis humanæ vitæ. Agitur de arbore vitæ, cuius virtus consideratur, iuxta sententiam Tostati, Molinæ, & Pererij; Non dari qualitatem naturalem, præseruantem hominem ab interitu, declaratur.

QVoniam ex dictis patet, humanam vitam, post primæua illa Mundi sæcula abbreuiatam fuisse; quod certè magnam in specie humana factam fuisse mutationem, contra Ocellum, demonstrat, videtur disputationi consentaneum, causam exponere breuitatis humanæ vitæ. Quod vt ab altiori repetam principio, referam ea, quæ de arbore vitæ in medio Paradisi posita, vt habetur Genes. cap. 2. à sacris Doctoribus tradita fuere, nimirum, fructus il-

Arbor vitæ humidum radicale resarciebat. lius arboris potuisse humidum naturale, vi caloris consumptum resarcire, reficere, ac redintegrare, pari puritate, ac sinceritate, quam prius habuerat in ortu hominis, adeò vt calor naturalis, illo fructu corroboratus, numquam hebesceret, & flaccesceret. Non est tamen existimandum cum Tostato super cap. 13. Genes. quæst. 175. fructum arboris vitæ habuisse vim seruandi hominem à morte, in omne tempus, ipsumq; faciendi immortalem; *Arbor vita non faciebat hominem immortalem.* nam cum Scoto lib 2. sentent. dist. 19. quæst. 1. censeo, arborem vitæ non habuisse facultatem, hominis vitā infinito tempore conseruādi, sed quidem vsq; ad aliquod temporis spatium, quo completo, translatus fuisset homo in Paradisi sedem, ad vitā omninò immortalē ducendam; *Octo vel decē millia annorum vita hominis in statu innocentia.* propterea existimat Pererius, tēpus illud futurum fuisse octo, vel decem millia annorum. Quare Deus, expellens Adamum de Paradiso terrestri, ne illo ligno vesceretur, & viueret in æternum, prohibens illi esum arboris vitæ, & per custodiam Angeli intercludens Adamo accessum ad Paradisum, illis verbis: *Ne sumat de ligno vitæ, & viuat in æternum,* non vsurpat æternitatem absolutè, & formaliter, pro tempore interminabili, sed ibi æternum accipitur pro lōgissima temporis diuturnitate.

Animaduertēdum est, virtutem illam arboris vitæ reparandi humidum radicale, supernaturaliter, & diuinitus traditā fuisse, *Virtus arboris vita erat diuinitus tradita.* vt existimant D. August. lib. 13. de Ciu. Dei cap. 20. D. Bonau Beda, & Cajetan. quam sententiam puto veram esse, quamuis Ludouicus Molina, de Opere sex dierum disp. 16. ipsam reprehendat, & asserat esse improbabilem, contrariam vna cum Pererio sequens opinionem, nimirum virtutem traditam ligno vitæ fuisse naturalem; Atq; ad id opinandum Pererius lib. 3. in Genes. cap. 2. quæst. 4. hoc potissimo adducitur argumēto, quia Adam post peccatum eiectus fuit de Paradiso, ne ligno vitæ vesceretur; Etenim, inquit ipse, si illa virtus fuisset supernaturalis, & miraculosè impertita, non erat necesse è Paradiso Adamum eijcere, ne illum cibum assumeret, quoniam ipse Adam, propter culpam factus erat incapax participationis doni supernaturalis, & miraculosi; In quo grauiter errat Pererius, *Pererij opinio accusatur de virtute arboris vita.* quia donum iustificationis est illud duntaxat, quod cum peccato cohærere nequit, aliqua verò dona supernaturalia vna cum peccato reperiuntur, vt donum prophetiæ, character sacerdotalis in homine peccatore impressus; Idcirco Adamus, quantumuis peccator, participare poterat virtutem miraculosam, & diuinā, arbori vitæ à Deo cōmunicatā, sed ob alias causas, quas hìc recēsere nō est opus, fuit primus noster parens à Paradiso expulsus, eiq; esus ligni vitæ prohibitus, & præsertim, vt priuatione illius arboris vitalis, explicaret Deus Adamo suæ gratiæ, & originalis iustitiæ priuationem. Quamobrem cùm in pœnam peccati, homo non solum vitæ immortalitate, sed etiam longa diuturnitate orbatus sit, cōtigit, vt arbor illa à Deo, per diluuium *Arbor vita diluuio destructa.* destructa fuerit, nè imposterum ab homine inueniretur, qui eius fructibus fruens, diuturnam vitam transigeret. Quod magis suadetur ex eo, quòd vna duntaxat numero erat arbor illa, vt affirmat Abul. in c. 13. Genes. quæst. 163. & colligitur ex 2. & 3. cap. Genes. vbi Moyses semper eam vocat numero singulari arborem vitæ, namq; cum ipsa esset instituta, non in cibum hominis quotidianum, ad eum alendum, & nutriendum, sed comparata in modum medicinæ, aduersus naturales defectus, qui decursu ætatis, homini accidunt, fructum illius arboris bis, aut ter in anno comedisset homo, vt loco commemorato Pererius opinatur. Itaq; affirmandum est, arborem illam à diluuio deperditā, qui Paradisum terrestrem obruit, non fuisse rursus à Deo creatam, atq; hominem tali auxilio destitutum, nunquam simile præsidium reperisse.

Hinc compertum fit, dari non posse qualitatem naturalem, quæ corpora corruptibilia, & præsertim hominem, ab interitu immunem conseruet, *Nulla est qualitas praseruās naturaliter hominē à morte.* ac tueatur. Etenim corruptibilitas oritur ex radice materiæ, quæ suapte natura est causa corruptionis, & ex compagine quatuor elementorum, quæ inter se naturaliter pugnant; Idcirco homo absolutè mortali naturæ est obnoxius. Et quamuis dicatur mors intrasse per peccatum in Mundum, sciendum tamen est, aliud esse mortem, aliud mortalitatem; hæc est aptitudo, qua homo, absq; vllo supernaturali

Homo in statu innocentiæ mori potuerat.

rali dono, aut auxilio potest dissolui; & hæc aptitudo hominem afficiebat, ante peccatum, ita vt homo suæ naturæ relictus, in statu innocentiæ mori potuisset. Ita decreuerunt Cõcilium Mileuitanum canon. 1. Arausicanum canon. 2. Tridentinum sess. 5. D. Augustin. lib. 6. in Genes. cap. 25. & lib. 13. de Ciuit cap. 20. Mors verò est hæc potentia ad actum redacta, quod præstauit peccatũ, quoniam ipso mediante, & in eius pœnam, amouit Deus specialem prouidentiam, qua factum erat, ne homo moreretur, nisi peccaret. Quamobrem cùm illa specialis prouidentia Dei nequaquam homini, ex sua natura conueniat, sed solum ex Dei dono, fit vt homo absolutè, & suapte natura dicatur mortalis, quoniam cõstat partibus, quę viribus naturę diuelli possunt, sibique contrariantur. Itaq; asserendum est cum D. Thoma 1. parte quest. 97. art. 1. corpus primi hominis non fuisse indissolubile, per aliquem immortalitatis vigorem in eo existentem, sed hominis animæ vim quamdam supernaturaliter, & diuinitus traditam fuisse, per quam poterat corpus ab omni corruptione præseruare, quamdiu ipsamet anima Deo subiecta permansisset. Quare defendebat Deus intrinsecus hominem à morte, per donũ iustitiæ originalis, ex qua prodibat virtus indita animæ vt sentit D. Thom. vel impertita corpori, vt alij arbitrantur, per quã virtutem corpus cõseruari poterat immortale, supra conditionem corporalis, & caducæ materiæ, qua constabat. Hinc rectè dicitur Sap. cap. 1. mortem non esse à Deo factam, sed diaboli inuidia in homines irrepsisse, & S. Paulus ad Roman. 5. affirmat, mortem propter peccatum in Mundũ intrasse. Quin ipsemet Deus homini mortem, tamquam pœnam peccati, comminatus est, cùm præceptum iniunxit Adamo, non edendi ex arbore scientiæ boni, & mali, illis verbis cap. 2. Genes. *In quocumq; die comederis ex eo, morte morieris.* Quorum verborum sensus fuit, non significare actum moriendi, sed necessitatem, & debitum mortis, perinde ac si dixisset: Cum ederis ex hac plãta, statim eris pœnę mortis obnoxius, & necessitati moriendi adstrictus. Propterea Adamus, statim ac ex ipsa comedit, & peccauit, sensit suum corpus iustitia originali spoliatum, & munere immortalitatis destitutum, atq; cum cæpisset perpeti frigoris, & caloris iniurias, aliaq; incõmoda, ac mala experiri, cępit & paulatim corrũpi, & ad interitũ delabi.

Diuina virtus hominem in statu innocentiæ à morte præseruasset.

Quibus positis, patet, dari non posse naturalem qualitatem, quæ corpora corruptibilia, & præsertim hominem ab interitu immunem conseruet, & tueatur; Nam quemadmodum dos impassibilitatis præstabit, vt Beatorum corpora sint immortalia, & hæc est qualitas supernaturalis, ita si à Deo indita esset homini qualitas, quę ipsum ab interitu vindicaret, talis qualitas, non in ordine naturæ, sed in serie rerum supernaturalium collocaretur.

Medicorum cõsiderationes de vita humana proroganda.

Non me latet, à Medicis disputari, an vita humana medicę artis beneficio possit in æuum longissimum protogari. Ideò Valeriola lib 3. locorum communium tradidit, tantam esse medicæ disciplinæ vim, vt qui eius callet pręcepta, longitudini vitæ commodè possit prospicere, qui verò ea neglexerit, morborum colluuie affligetur; Quod colligitur ex Galeno lib. 5. de sanit. tuenda, & lib. de Marasm. cap. 5. vbi docet in senio marasmum nunquam solui posse, iuuari tamẽ, vt diu producatur; Propterea lib. 5 & 6. de sanit. tuenda, eam methodum seruandam præscribit senibus, qua corrigatur siccitas, quæ marcorem, senium, & tandem interitum machinatur, quæ siccitas, ex ipsius doctrina, emendatur, & temperatur, cibo humectante, somno, & quiete, atq; illis medicamentis, quæ leniter excrementa ducunt, & humectandi leniter vim habent. Idem Valeriola refert vitæ producendæ antidota quædam, à celeberrimis medicis excogitata, qualis est Trifera Indica, quæ, Haly testimonio, efficit colorem floridum, adiuuat concoctionem, & iuuentam longo tempore conseruat; Imò existimat melli magnam inesse vim proferendæ vitæ, & senectæ longæuæ agendæ. Atq; hùc spectat testimonium Athenæi lib. 2. disput. Sophist. cap. 3. qui Cyrnios Corsicæ incolas, multi temporis, & longæuos appellat, quia mellis cibo vtuntur assiduo. Confirmat Plinius lib. 22. cap. 24. vbi narrat Augustum interrogasse hospitem, Romulum nomine, centesimum excedentem annũ,

Mel, & oleũ humanæ vitæ proficua.

quanam ratione vigorē illum animi,corporisque seruasset; Cui respondit. Intus mulso, foris oleo; Neq; id immeritò de melle dicitur, cùm alimentum sit familiare, & amicum naturæ, quod obstructiones eximit, ventrem mouet,corporis habitum calefacit, vrinam excitat,thoracem iuuat, & pulmonem; oleum autem propter suam pinguedinē, & aereā substantiam, summam habet cum nostro natiuo calore affinitatem.

Sed præclariora præsidia inuexerunt Chimicæ artis professores, qui aliquot elixiri species excogitarunt, auro, gemmisq;pretiosis conflatas,quibus natiuum calorem corroborari instaurari,& si Deo placet, renouari posse,contendunt. Imò excogitarunt, seu potius somniarunt medicinam, quam vocant vniuersalem, seu lapidem philosophicum, accōmodatum esse, non solum ad omnes morborū species sanandas, sed etiam ad calorem natiuum viuificandum. Contra quod figmentum subtiliter disputat Sennertus lib.de Chimicis cap 18. & de quorum dogmatum vanitate, si disputationem instituerem,nimis longè à meo proposito recederem. Ideò assero, pabulo quidem,aut pharmaco aliquo, calorem naturalem leui modo iuuari posse, sed multum etiam ad ipsum conseruandum, cōferre aeris qualitatem optimam, ac salubres regionum constitutiones, vt docuit Hippocrates aureo lib.de aere, locis, & aquis;Etenim calida, & Solis ardoribus exposita loca incolentes, vt qui Libyam, & Aethyopiam colunt, imbecillum, atq; exiguum habent calorem, & breuioris sunt vitæ; qui verò in regionibus aquilonaribus degunt, vt Germani,validissimo abundant calore,& qui in temperatis habitant zonis,vt qui Græciam incolunt, & Italiam, natiui caloris benè temperatam nanciscuntur substantiam,et longæui, salubresq; viuunt. Hinc memoriæ proditum est illos,qui in Taprobane,Insula noui Orbis, quam Sammatiam hodie vocant, seu Malaccam, aut auream terram, nec non illos qui habitant in vrbæ Arabiæ felicis, Reama vulgò nuncupata, atq; in ea Indiæ insula, quam Honor appellant,ob regionis temperiem,& perpetuam cæli clementiam, longæuam ducere vitam, scilicet ad vigesimum supra centesimum annum,robusta senectute, & incolumitate fruentes.Quàpropter Plinius lib.7.natural.hist.cap.17.refert, Indorum quosdam centum annos excessisse, & Cyrnios Indorum genus, annis centenis quadragenis viuere. Quod certè acceptum ferendum est, non solum obseruantiæ victus, & naturæ bonitati, sed etiam regionis temperiei, & cæli clementiæ.Quoniam verò humanę vitæ curricula alia breuiora, alia longiora sunt, libet eorum breuitatis, ac longitudinis causas perscrutari.

Chymica præsidia pro conseruāda vita.

Aer, & regio ad vitā valde conferunt.

CAPVT SEXTVM.

De longitudine, & breuitate humanæ vitæ.

Aristoteles libello de longit. & breuitate vitæ,inter cætera docet, quòd viuens longioris vitę habere debet humidum,non facilè exsiccabile; quam ob causam corpora pinguia, vt plurimum, longioris sunt vitæ, quia pinguedo partes conglutinat; easq; ad inuicem ita coniungit, vt facilè separari non possint, vnde tale humidum nō leuiter exsiccatur. Hinc corpora habentia humidum citò exsiccabile, citò etiam putrescunt, & intereunt, quoniam putrefactio accidit, cùm humidum intrinsecum corrumpitur, cum quo pariter calidum dissoluitur. Præterea pro longitudine vitæ, humidum debet esse calido proportionatum,alioquin, si multum esset humidum,calidum verò paucum, hoc suffocaretur ab illo; Et è contra, si multum esset calidum, humidum autem paucum,hoc citò exsiccaretur.Porrò humidum non debet esse aquaticū .i. frigidū, crassum, & superfluū,quod est causa facilis corruptionis in subiecto,& calidū naturale ab huiusmodi humido superfluo infirmatur,& aliquando suffocatur. Ob-

Debita proportio humidi & caloris pro longitudine vitæ.

Obseruat etiam Aristoteles, quòd animalia frequentius coitiua, & copiosi spermatis diffusiua, breuioris sunt vitæ, hac potissima de causa, quia scilicet deficit per emissionẽ seminis illud humidum, quo natura ad nutritionem indigebat; Etenim calidum, quod digerit cibum, si sit calidum vegetum, & robustum, plus digerit, quàm sit necessariũ ad augmentum, & nutritionem, & hoc quod remanet superfluum excrementũ, vltimæ concoctionis, & digestionis, est semen, quod ad vasa seminalia traijcitur, & in coitu expellitur; Propterea, quando nimia est ipsius seminis effusio, natura se prægrauatam sentit, propter defectum illius humidi, quod concurreretur in substantiam aliti, præterquã quod cum emissione seminis copiosa, fit magnum dispendium spirituum, in quibus robur, & energia corporis animati posita est. Hinc videre est multam seminis emissionem desiccare animal; quia caret humido ad alimentum necessario, deficiente autem humido, animal exsiccatur, & senescit.

Alia causa breuitatis vitæ.

Alia quoque affertur causa breuioris vitæ, nimirum labor immodicus, & intensus, quo citiùs homines consenescũt, quoniam labor excitans calidum, facit ipsum exhalare, & calidum exhalans, humidum secum trahit, quo educto, corpus exsiccatur, & senio conficitur; Quod si labor sit moderatus, summopere prodest ijs, qui abundant humido superfluo, extraneo, & aqueo, necnon pauco conflantur calore; Etenim à calido excitato humidum superfluum exsiccatur, & consumitur, atque calor ipse exercitio, laboreque fit vegetior, & robustior.

Addendum est, quòd viuentia, quæ non recipiunt alimentum, vel minoris quantitatis, quã par sit, angustioris sunt vitę, quoniam calidum, cui incumbit digerere nutrimentum, non inueniens materiam, quam digerat, & circa quam elaboret, conuertit se supra suum humidum, illudque consumit, & per consequens seipsum perdit, & interficit. Inter nutrimenta verò, quæ dulcia sunt, & pinguia, ad vitam sustinendam sunt magis accõmodata, Propterea animalia exanguia breuioris sunt vitæ, quàm sanguinem habentia, quoniam sanguis est nutrimentum dulce, & pingue; quamuis apes, afferente Aristotele, sanguine carentes, nutrimentum tamen dulce assumentes, longioris sint vitæ, quibusdam animalibus maioribus, sanguinem habentibus.

Nutrimẽta dulcia magis sustinenda vitæ accommodata.

Quibus ita præhabitis, affirmandum est, diuersos esse vitæ humanæ terminos, modò breues, modò longos, pro diuersitate naturæ, & varietate temperamenti, quippe homines sanguinei sũt longioris vitæ, vtpote calidi, & humidi, quam melancholici, frigidi, & sicci. Quin omnibus hominibus idẽ nõ inest vitæ finis, prę diuersa victus ratione, præ varia cæli, & telluris constitutione, necnõ præ alijs causis, tũ intrinsecis, tũ extrinsecis, quas longum esset recẽsere.

Cæterùm si vera causa longitudinis, & breuitatis vitæ est afferenda, oportet, vt hæc supremo Authori vitæ, ac necis tribuatur, & animo recolamus, quod tradidit Plutarchus orat. consol. ad Apollonium, nimirum, vitam esse Deorum depositum, & donum; Ideò Auerroes vitam progressionem quandam à sempiterno ente manantem appellauit; Quod clariùs patet ex sacris litteris, & ex Moyse attestante, Deum in faciem hominis vitæ spiraculum inspirasse. Idcircò Dauid Psalm 65. cecinit; *Qui posuit animam meam ad vitam*. Confirmat S. Iob. cap. 10. *Vitam, & misericordiam tribuisti mihi*, & cap 14. *Breues dies hominis sunt, numerus mensium eius apud te est; Constituisti terminos eius, qui præteriri non poterunt*. Ex quibus sacris oraculis habetur, vitã esse Dei donum, atq; vitæ humanæ terminos à Deo præscribi, ac definiri, quorum alij sunt violenti, alij naturales; Violenti sunt illi, quorum causæ sunt extra, vt sunt lethalia vulnera, naufragia, pręcipitia, venena, morbi epidemici, alijque inopinati euentus mortem violentam afferentes. Hi termini, quamuis violenti, sunt à Deo prædefiniti, ac prędeterminati, propter fines nobis occultos, ad quos nostra ingenij imbecillitas nequit pertingere. Naturales verò vitæ termini pariter à diuino pẽdent decreto, & alij breues, alij longi, & diuturni à Deo constituuntur, iuxta imperscruta-

Vita est Dei donũ, & vitæ termini à Deo.

bilia arcana suæ prouidentiæ, qua ab æterno cognouit,& statuit,satiùs esse homini huic breuem impertiri vitam, quam longam, vt declarat Sap cap. 4. *Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam illius; Consummatus in breui,expleuit tempora multa,placita,n.erat Deo anima illius,propter hoc properauit educere illum de medio iniquitatum.*

Quæ cum ita sint, statuendum est contra Ocellum, vitam humanam in ætate diminutam esse,si relatio habeatur ad primæuas hominum ætates, ad eas, quæ deinde subsecutę sunt, & ad præsentes nostræ tempestatis; Si verò nostrates vitæ humanæ cursus, cum alijs superiorum sæculorum comparentur, apparet per multa sæcula nullam, vel saltem leuissimam in humana ętate mutionem contigisse; Quòd si in aliqua regione, ob varias causas,ætas hominum acta in angustum videtur, & temperies corporis imbecillior facta, id non euenit in toto Vniuerso,neq; defectus vniuersalis naturæ prędicandus est ille,qui in paucis reperitur. Adhuc tamen remanet inquirendum, an calor natiuus, & humidum radicale sint in humana specie eiusdem vigoris, qualis fuerunt ab initio sæculorum.

Humanæ ætates mutatæ sunt, contra Ocellum.

CAPVT SEPTIMVM.

De calore natiuo, & humido radicali hominis; Et an in ipsis facta sit mutatio.

IVcundum, ni fallor, est quæsitum, an calor natiuus in homine, & humidum radicale per tot effluxa sæcula defluxerint, & decreuerint, an verò potius in eodem semper vigore,ac statu permanserint. Ad quod explicandum, sciendum est,calorem natiuum sustineri humido,tamquam pabulo,& fomite,humido quidem non crasso, & aquoso, sed pingui,& oleoso, quod humidum dicitur radicale,quia est vitæ nostræ radix,& primigenium appellatur; Siquidem a prima origine substantiæ partium similarium innatum est. Cùm verò calor innatus continuò dissoluatur, indiget calore influente, quo reparatur, vt tradidit Arist. lib. de iuuent. & senectute cap. 3. & vt infra explicabimus. Non est quidem calor innatus, sola qualitas in subiecto, sed est substantia tali calore affecta; Idcircò Galenus ipsum appellauit corpus, lib. contra Lycum,& in exposit. Aphorism. 14. sect. 1. *Qui crescunt, plurimum habent calidi innati*, ipsum appellat corpoream substantiam, compositam ex concretione seminis, & sanguinis menstrui. Hinc Cæsar Cremoninus primæ notæ Philosophus in Apologia dictorum Aristotelis de calido innato aduersus Galenum, immeritò reprehēdit ipsum Galenum hoc nomine, quòd si calor innatus esset substantia corporea, non diffunderetur per omnes minimas corporis partes, ne daretur corporum penetratio; Qua in re æquiuocat Cremoninus, quia non calor innatus, sed influens est ille, qui per omnes corporis partes diffunditur, ad differentiā innati, habētis rationem fixi, & permanentis. Verum vtique est, calorem innatum adeò tenuem esse substantiam, vt ipsum spiritus nomine donauerint Aristoteles 2. de generat. anim. cap. 3. Galenus 2 de simpl. medic. facult. cap. 9. Scaliger exercit. 280. Daniel Sennertus lib. 1 cap. 5. Institut. medic. Propterea perperam id negat Dominicus Sala præstantissimus Medicus Patauinus artis suæ medicæ cap. 9. Quare cùm calor natiuus sit substantia corporea, tenuissima tamen,& digna nomine spiritus, non potest esse anima ipsius animalis,quoniam hęc non est corporea, etiam in brutis, licet extendatur ad extensionem materiæ; Idcirò Aristoteles 2. de anim. textu 40. iure reprehendit antiquos,putantes, ipsum calorem esse animam, quoniam calor non est præcipua causa nutritionis, & incrementi,

Calor innatus nō est sola qualitas.

Falsò Cremoninus accusat Galenum.

Calor natiuus non est anima

qua-

qualis est anima, sed est concausa, & in hoc sensu idem Philosophus secundo de generat. animal. cap. 3. calorem existentem in semine appellauit naturam; Quod intelligẽdum est, non formaliter, sed virtualiter, quatenus calor agit virtute animæ.

Authores putantes, calorem innatũ esse diuersũ à calore elementari.

Scio, aliquos existimasse, calorem innatum esse quid diuersum ab elementis, ex quibus omnia corpora sublunaria constantur; Putabant videlicet, præter quatuor elementa, aliud in animali elementum existere; Ita Erastus parte secunda disput. contra Paracelsum, Scaliger exercit. 10. & 28. Io. Franciscus Picus lib. de elementis cap. 3. & ab hoc quinto elemento asserunt deriuari admirandas in mixtis qualitates, & rerum simpathyas, & antipathyas. Porrò hoc quintum elementum esse quid cæleste, arbitratus est Fernellius, secundo de abditis rerum causis cap. 8. vbi tradidit, duos in nobis esse calores, alterum ex elementis prodeuntem, alterum cęlestem, ex stellis effluentem, qui calorem innatum fouet, & moderatur; & putat, hunc calorem diuersum esse à calore temperamenti, & supra temperamenti naturam constitutum. Rationes vide apud ipsum, statuentem, calorem natiuum non esse elementarem, sed cælestem: Fernellium secutus est Valeriola in suis locis communibus lib. 1. cap. 15. Sed rationes Fernellij subtiliter reijciuntur ab Argenterio lib 1. de somno, & vigilia cap. 4. quem vide.

Calor innatus est eiusdẽ speciei cũ calore elemẽtari.

Mea est opinio, calorem innatum esse calorem elementarem, & calorem cælestem ab elementari non esse diuersum, sed eiusdem speciei, & substantię. Quę opinio fuit primùm Archãgeli Mercenarij volumine secundo suarum Dilucidationũ & Zabarellæ cap. vltimo de calore cælesti. Quod explico modo ab ipsis diuerso; & assero, calorem cælestem, elementarem, & innatum, esse prorsus eiusdem naturæ, & solum ex accidenti, & per extrinsecas denominationes differre. Etenim dicitur cælestis, quatenus dirigitur à corpore cælesti: Elementaris, vt à forma elementari ignis: Innatus, vt ab anima, & distinguuntur hi calores, ratione subiectorum, quibus insunt, quemadmodum albedo, quæ est in niue, & in cycno, est eiusdem speciei, quamuis subiecta genere distinguantur; Propterea calor, vt à forma ignis gubernatur, cõburit, & destruit; vt à forma cæli, fouet, & viuificat; vt ab anima, est pariter vitalis, & animantium productiuus. Quapropter Aristoteles lib. 2. de generat. animal. cap. 3. docuit, calorem in semine existentem, non esse ignem, neq; ab igne originem ducere, sed esse spiritum proportione respondentem elemento stellarum; Quorum verborum sensus est, quòd sicuti virtus caloris cęlestis producit animantia, & semina facit fęcunda; ita & virtus caloris, qui in semine continetur. Sed ego in hac re discedo à sententia Aristotelis negantis, calorem in semine contentum, esse ignem, & ab igne originem ducere, vt patet eius verba legenti, & non extortè interpretanti, vt fecerunt Zabarella, & Mercenarius, ne ab Aristotelis pronunciato recederent. Idcircò existimo, calorem in semine existentem, esse calorem ignis, non quidem ab igne, sed ab anima directum, quemadmodum censeo, totum calorem in homine contentum, non esse quid cęleste, & diuinum, vt opinatur Fernellius, sed calorem elementarem; Vnde Galenus 1. Aphorism. comment. 16 & 41. & alibi definit, febrem esse conuersionem caloris innati ad igneum, idest calorem natiuũ, qui sano corpore dirigitur ab anima, fouens, et viuificans, auctum secundum gradum excessuum, propter impeditam ventilationem, et difflationem, ignis qualitatem vrentem, & deuastantem acquirere, Ex quo colligitur, calorem innatum ab elementari non distingui forma, sed tantum penes modum, et excessum.

Verba Aristot. de calore in semine explicantur.

Calidũ, & humidũ innatum producuntur ex semine.

Quibus præmissis, dico, calidum, et humidum innatum produci ex semine generantis, cuius seminis partes subtiliores, & magis spirituosæ, calidum innatũ, seu implantatum in partibus corporis efficiunt, partes verò seminis crassæ, & humidæ, ipsum humidum natiuum in vnaquaq; parte corporis infigunt, & imprimunt. Hinc diuersa oriuntur temperamenta, pro diuersitate seminis à generãte decidentis, hinc longitudo, & breuitas vitæ, quæ, teste Aristotele, lib de longit. & breu. vitæ in calido, & humido

do consistit. Præterea cõsidero cum Galeno lib. 1 de semine, virtutem gignentem, & formatricem ipsi semini inesse, neq; talem virtutem formatricem, vel ab anima Mundi deriuare, vt est figmentum Platonicum: vel à Cholchide, vt est somnium Auicennæ, sed proficisci à generante, & à semine obtinente virtutem ab anima, à qua semen motum recipit, ac energiam, vt docet Galenus lib. de fœtus formatione; Vnde partes spirituosæ, & tenues ipsius seminis, rationem habent causæ opificis; crassæ verò, & cõcretæ, rationem induunt subiecti passiui; Quæ est etiam consideratio D. Thomæ lib. 2. contra Gent. cap. 89. & quæst. 3. de potent. art. 9. & 11.

Fœmina concurrit actiuè ad generationem.

Hæc autem facultas generatiua, & formatrix in semine contenta, non solum semini maris conuenit, sed etiam semini fœminæ, quæ vna cum mare concurrit effectiuè ad generationem, contra Aristotelem lib. 1. de generat. animal. cap. 20. & D. Thom. 3. p. quæst. 32. art. 4. & alibi; Sed ad mentẽ Hippocratis lib. 1. de genitura, & Galen. lib. 2. de semine, & lib. 6. de locis affectis, & iuxta communẽ sententiam Medicorum, vt refert Andreas Laurentius lib. 8. Anatom. quæst. 5. & cui sententiæ fauent inter Theologos Scotus in 3. dist. 4. quæst. vnica, & D. Bonauent ibidem art. 3. quæst. prima. Quoniam verò fœmina, licet habeat intus conditos testes, & verum semen emittat, quamuis non adeò purum, & spirituosum, vt est masculinum, ex Gal. lib. 1. de semine, non semper concipit, cum propria seminis eiaculatione, idcirco loco seminis concurrit sanguis menstruus ipsius mulieris, non impurus, & inconcoctus, sed depuratus, defæcatus, & nouæ proli generandæ prorsus accommodatus; Quo fit, vt fœtus aliquando nullam matris in seipso referat similitudinem, quia talis similitudo imprimitur efficaciter in semine, & non in sanguine menstruo, in quo si aliqua infigitur, est omnino exigua, & obscura, quia sanguis menstruus non recipit ab anima illum motum, & energiam, quam recipit semẽ, quod decidit à toto corpore; Vnde ab omnibus partibus secum defert similitudinem. Propterea cogitur Aristoteles lib. 1. de generat. anim. cap. 19. affirmare, ex sanguine fœminino, & menstruo fœtum componi. At eod. lib. cap. 20. tantum masculino semini detraxit, vt ipsum ad efformandum fœtum nequaquã concurrere, asseuerauerit, sed lib. 2. de generat. anim. cap. 3. putauit, semen maris, vbi motum dedit fœmineo sanguini, dissolui, & conuersum in spiritum, euanescere. Quod reprehendit Galenus lib. 1. de semine; Et quod adeò falsum est, vt in contradictionem duxerit eundem Aristotelem, qui secundo de generat. anim. cap. 4. tradidit, ossa, & neruos in prima partium constitutione, ex seminali excremento produci, sicuti reuera ex semine, ossa, nerui, venæ, cartilagines, membranæ efformantur, & ex sanguine fœmineo, caro præcipuè componitur.

Sanguis menstruus materia fœtus.

Causa similitudinis filiorũ.

Semẽ virtutem recipit ab anima.

Tota verò efficacia seminis masculini, & fœminini oritur ab anima; Quoniam semen non est actu animatum, & viuens, vt aliqui ex Platonicis existimarunt, sed est tantum potentia, & virtute animatũ, atque motum, & vim recipit ab anima, quæ in hominibus est eiusdem naturæ, & perfectionis, qualis fuit ab initio creationis Mundi, quandoquidem flagitiosum est putare, Deum animæ humanæ perfectionem, progressu temporis, vel mutasse; vel imminuisse. Ideò dicendum est, semen humanum esse eiusdem perfectionis, qua à Mundi primordijs fuit præditum; & consequenter calorem innatum, & humidum radicale à semine dependens, eiusdem esse vigoris, qualis fuit à Mundi incunabulis, & in primæua hominum ætate.

Duplex calor implãtatus, & influẽs

Spiritus naturales, vitales, & animales sunt eiusdẽ speciei

Porrò notandum est, duplicem esse calorem innatum, alium in singulis mẽbris, & partibus corporis insitum, & implantatum, qui generatur in efformatione embrionis, ante aduentum animæ rationalis; & alterum esse calorem influentem, qui aduenit corpori iam animato, & cuius munus est, excitare, actuare, instaurare calorem insixum, & implantatum, qui potius habet rationem passiui, quàm actiui; Qui calor influens à suis fontibus, scilicet ab hepate, corde, & cerebro, per venas, arterias, & neruos, in omnes partes corporis animati deriuatur, mediantibus spiritibus naturalibus, vitalibus, & animalibus, quos puto eiusdem esse substantiæ, & speciei, cum

Argenterio lib. 2. de somno, & vigilia, Mercen.volum.2.suarum dilucid.& Campanella lib. 2. de sensu rerum cap. 9. illosq; spiritus tantùm distingui per diuersa munia, quæ obeunt in corpore animato, & per diuersa loca, in quibus elaborantur, vt compertum est Medicis; Et quemadmodum hi spiritus deseruiũt facultati naturali, vitali, & animali, ita falsum est, deseruire immediatè intellectui humano ad intelligendum, & volũtati ad eligendum, vt scripsit Iulius Recalchus Conciuis meus comment.primo de corpore similari cap. 12. Hinc patet, quòd si calor innatus, & humidum radicale producitur à semine, & hoc virtutem habet ab anima, multò magis ab eadem anima humana vim habet calor influens, qui semper idem, & eiusdem vigoris permansit in genere humano, quia anima rationalis semper constitit eiusdẽ perfectionis, & virtutis.

Prima facie hæc ratio videtur non parui momenti; siquidem supponit, quòd cùm eadem perfectione prædita fuerit anima humana à Deo creata, & ab hac semen suam vim obtineat, & energiam, ipsum semen semper eiusdem fuerit vigoris, & perfectionis, quod sanè Ocelli opinionem de perpetua rerum consistentia validissimè roboraret; Sed contra Ocellum, animaduertendum est, in homine non esse plures animas, aduersus illorum philosophantium crimen, qui putarunt, duas in homine esse animas distinctas, scilicet sensitiuam, & intellectiuam; Sed vnam tantùm esse animam rationalem, in seipsa comprehendentem potentiam vegetatiuam, sensitiuam, & intellectiuam. Præterea considerandum est, semen humanum non recipere motum, & vires ab anima, vt rationalis est, sed vt sensitiua, vel non secundùm potentiam discursiuam, sed secundùm potentiam animalem; nam homo non generat, formaliter vt homo, sed formaliter vt animal, dicitur tamen homo generare hominem, non quia ipse homo producat animam rationalem, formam hominis, per quam homo constituitur; quoniam hæc immediatè creatur, & infunditur à Deo in materiam vel embrionem aptè organizatum ad ipsammet animam recipiendam, sed quia homo generãs, sua virtute semini inexistente concurrit effectiuè ad vltimas dispositiones in embrione introductas, ad quas consequitur anima à Deo creata; Et quoniam Agens introducens vltimas dispositiones, dicitur etiã formam impertire, ideò homo dicitur hominem generare. Quapropter seminis energia dependet à potentia sensitiua animæ rationalis, quæ potentia indiget organo, ipsiq; est alligata ad operandum. Quoniam verò organa potentiæ sensitiuæ in homine, progressu temporis, sunt debilitata, factũ est, vt etiam semen aliqua ex parte vires amiserit; Et quemadmodum semen hominis, iam senio confecti, non est ad generationem accommodatum, quia imbecillior facta est potentia sensitiua, & calor deferbuit, ita temperamentum in tota humana specie iam consenuit; & si comparetur cum temperamento hominum primæuæ ætatis, & ante diluuium, absq; dubio labefactatum est; Si verò cõferatur cum temperamento antiquorum Græcorum, vel Romanorum, mutatio adeò euidens, & conspicua non apparet. Nihilominus affirmandum est, sensim, & occultè humanum temperamentum in peius ruere, & dilabi, vt indicant deficientiæ hominum in Europa, & non adeò copiosæ eorumdem hominum generationes, quemadmodum supra demonstrauimus. Itaq; fateamur necesse est, calorem innatum, & humidum radicale in humana specie paulatim flaccescere, & hebetari, sed decremento adeò exiguo, vt vix innotescat, Idcircò à veritate prorsus alienum est illud, quod tanquam basis suæ argumentationis constituitur ab Ocello; nimirum, Mundum, & naturam in eodem semper vigore perseuerare.

Affertur ratio pro Ocello, & dissoluitur.

In quo sensu dicatur homo generare hominem.

Potentia sensitiua defecit in homine, & etiam semen.

Humanũ temperamentũ defecit.

Calor innatus, & humidum radicale imminutum.

Obijcies contra prædicta: Anni, quibus antiqui in sacris paginis enumerati vixerunt, non erant eiusdem quantitatis, cuius sunt anni nostrates, idcirco illi videntur longiores duxisse ætates, quã posteriores homines, & propterea breuiores dicitur facti cursus humanæ vitæ, & de diminutione caloris, & humidi natiui conquerimur. Quam dubitationem vt penitus exagitemus, necesse est, vt breuẽ de annis antiquis hebraicis tractationem conficiamus.

Digressio de annis antiquis Hebræorum.

Anni dispositio ab Adamo constituta

NOn mihi probatur opinio Dionysij Petauij parte 2. Rationarij temporum, putantis, compertũ non esse, quo anni genere vsi fuerint homines, ante diluuium; quod etiam innuere videtur Scaliger Prolegomenis in librum de Emendatione temporum. Etenim, cùm primus noster parens Adamus rerum omnium cognitione fuerit à Deo insignitus, existimandum est, ipsum certis regulis ordinatissimis dispósuisse menses, annos, sæcula, & vicissitudines; vnde posteri perpetuam rerum seriem conseruarent. Curauit primùm, vt annus semper inciperet à nouilunio, quoniam primus creationis dies fuit in nouilunio autumnali, in dominico die, seu die Solis, die 24. Septembris, vt autumat Origanus 1. p. de tempore, licet Vecchietus arbitretur fuisse die 29. Octobris, Hinc Adamus annum in duodecim dispertiuit menses, qui & ipsi similiter sua in nouilunijs haberent principia; Et quoniam hoc contingere non poterat, si menses sẽper eamdem dierum mensuram continerent, dispósuit, vt mensis primus haberet dies triginta, secundus verò viginti nouem, & sic alterna vice, à tertio ad quartum, & deinceps vsque ad vltimum, idẽ ordo continuaretur. Hinc illi menses pleni, isti vacui vocati sunt; atq; huc respexit Iob. cap. 7. dicens: *Si & ego habui menses vacuos*; qui menses ab exteris postea caui sunt nuncupati. Deinde statuit vt in quolibet cyclo, qui est reuolutio nouemdecim annorum, in quo temporis spatio Luna reuertitur ad congressum cum Sole in eodem loco, in quo primùm congressa fuerat, statuit, inquam, vt in quolibet cyclo, septem constituerentur anni, qui tredecim continerent menses, quorum vltimus superadditus, dicebatur intercalaris, siue embolismus, & anni constantes tredecim mensibus, pleni vocabantur, iuxta Psam. 72. *Et dies pleni inuenientur in eis*. Instituit etiam, vt primus annus plenus vltimum mensem intercalarem haberet, triginta, & vnius dierum, quem annum plenum, abundantem dicebant, ad differentiam anni secundi, triginta tantùm dierum, quem plenum ordinarium nuncupabant. Et sicut annus communis lunaris dies cõtinebat 354. ita annus plenus ordinarius 384. & annus plenus abundans 385. dies comprehendebat. Dispósuit etiam, vt in fine cuiuslibet anni centesimi intercalaretur vnus dies; Quæ omnia egregiè tradita sunt à Hieronymo Vecchietto tract. de anno primitiuo ab exordio Mũdi ad annum Iulianum accommodato, & de sacrorum temporum ratione cap. 13.

Hic igitur fuit annus à primo nostro parente institutus, quo vsi sunt Hebræi, vsq; ad Christum Dominum, vel vsq; ad vltimam Templi desolationem, & dispersionem, nam postea ab Hebræis annus mutatus fuit, & reformatus, tempore Constantini, per supputationem Rabbi Hillel; Sed antiquus à nobis indicatus annus est ille, cuius mentio habetur in monumentis veteris Testamenti; Idcircò antiquus Hebrẹorum annus fuit lunaris, qui vel erat communis, duodecim lunationes comprehendens, vel embolismalis, 13. lunationes complectens, & Hebræi vtrumq; obseruarunt, vt notat Scaliger sub finem lib. 3. de emendatione temporum. Ideò, quemadmodum mensem duodecimum vocabant Adar, ita decimum tertium appellabant Veadar; Hinc Hebræi cæremonias in Templo, ad motum Lunæ instituerunt, quod etiam præstiterunt, in ferijs, ac festiuitatibus dirigendis. Animaduertentes tamen, Solis reuolutioni annum lunarem non respondere, iuxta disciplinam, per traditionem, ab Adamo acceptam, mensem integrum tertio nonnumquam anno, nonnumquam etiam secundo intercalarunt; quo, & motui Solis, qui solus annum definit, annum accõmodarent, & intra iustos terminos, æquinoctia, & solstitia cohiberent; Ideò, vt dixi, tredecim lunationes fecerunt, & illi anni embolismales dicti sunt, idest superexcrescentes, vt inter cæteros eleganter tradidit Carol. Sigon. lib. 3. de Rep. Hebrẹorum.

Annus Lunaris ab Hebrais obseruatus.

Duplex anni principiũ ab Hebræis.

Duplex autem anni principium Hebræi constituerunt, alterum à nouilunio,

Au-

Autumnali æquinoctio, quo tempore putant, Mundum conditum fuisse; Propterea incipiebant annum à Septembre, vnde Iosephus lib. 1. antiquit. tradidit, diluuium Noe cœpisse secundo mense anni, qui respondebat Octobri apud Romanos. Et refert Moyses, cœptum esse diluuium die decimoseptimo secundi mensis; Alterum verò principium anni ducebatur a nouilunio, æquinoctio Verno, & hoc fuit præscriptum ipsis à Deo Exod. cap. 12. his verbis: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*; &, omnium consensu, existimatur, illum mensem fuisse Martium, Nisan hebraicè appellatū, atq; id in memoriam liberatæ captiuitatis Hebræorum, eo mense, ex Aegypto. Constat igitur ex dictis, annum Hebræorum antiquum duodecim mensibus fuisse conflatum. Hinc 3. Regum cap. 4. fit mentio de vndecimo mense; & Danielis 4. duodecimus mensis commemoratur. Itaq; falsa est opinio putantium, vnum annum de nostris continere decem de antiquis, siquidem, vt animaduertit Tostatus super Genes. quæst. 4 cap. 5. hæc falsitas euidentissima conuincitur ratione; Etenim in monumentis sacris habetur, aliquos genuisse, cùm essent annorum septuaginta, qui anni, secundùm illorum opinionem, annos septem de nostris constituunt, ideo cum dicitur, quòd Malalehel sexagesimo quinto anno, & Cainan septuagesimo genuerunt, intelligendum esset, quòd ille in sexto anno cum dimidio, hic in septimo genuisset; quod est prorsus impossibile, quoniam homo septennis ad generandum non est aptus.

Annus Hebræorum duodecim mensibus conflatus.

Vnus annus de nostris non cōponitur ex decem de antiquis.

Idem Tostatus in idem cap. Genes. quæst. 8. subtiliter obseruat, quòd aliqui nunc centum annos, aliqui centum viginti agunt, qui facerent mille, & ducentos, vel mille, & trecentos de annis illis; Quo admisso, sequitur nunc homines longiùs viuere, quàm vixerint antiqui homines in sacris monumentis recēsiti, inter quos nullus fuit, qui ad annū millesimum pertigerit; Et propterea sequitur, vel illos breuiori tempore vixisse, quàm nostros homines, vel nullum illorum, vsq; ad centum annos de nostris vixisse. Quę omnia, tamquam absurda, sunt reijcienda.

S. Augustin. lib. 15. de Ciu. cap. 12. his verbis commemoratum refellit errorem. *Neq; enim vllo modo audiendi sunt, qui putant aliter annos illis temporibus computatos, id est tantæ breuitates, vt vnus annus noster, decem illos habuisse credatur*; Et accuratis obseruationibus falsitatem tanti erroris demonstrat. Inter cætera verò animaduertit, annum Hebræorum non fuisse more Aegyptiorum computatum, qui annum quatuor mensibus conflabāt, quemadmodum Acarnanas annum sex mensibus composuisse, proditum est. Id namq; repugnat sacræ Scripturæ cap. 8. Genes. vbi fit mentio de vigesimaseptima die septimi mensis, quando arca Noe super montes Armeniæ requieuit; Et ibidem habetur, quòd decimo mense montium cacumina apparuerunt, ergo annus Hebræorum non erat compositus, vel quatuor, vel sex mensibus, neq; illorum anni trimestres fuere, sicut apud Arcades mos erat; neq; æstate vnum determinabant annum, & alterum hyeme, quoniā de hac re nulla mentio, neque in sacris paginis, neq; in alijs scriptoribus habetur. Itaque statuendum est cum D. Augustino lib. commemorato cap. 14. annos Hebræorum eiusdem quātitatis fuisse cum nostratibus. Ita enim loquitur Augustin. *Nunc tam videmus, quonam modo euidenter possit ostendi, non tam breues, vt illi decem vnus esset noster, sed tāta prolixitatis annos, quanta nunc habēmus, quos vtique circuitus conficit Solis, in illorum hominum vita prolixissima computatos.*

D. Aug. ac eadem re sestimo nium.

Annus Aegyptio rum quatuor mēsium.

Anni nostri idem cum antiquis, ex Augustino.

Aduersus hucusq; dicta, vnum obijci potest, non leui dignum animaduersione. Probabile est, Romanos suorum annorum institutionem ab Hebræis deriuasse, at Romani suum primum annum decem mensium constituerunt, igitur verisimile videtur, etiam apud Hebræos vsum decem tantùm mensium receptum fuisse. Fateor, omnes ferè priscos Romanos persuasum habuisse, annum ante ordinationem Pompilianam, non solùm decimestrem fuisse, sed talem à Romulo cum ipsa Roma conditum esse. Hinc cecinit Ouid.

Tempora digereret cùm Conditor Vrbis in anno,
Constituit menses quinq; bis esse suo.

Romanorū annus decē mensibus conflatus, ex Ouidio.

Et alibi idē cecinit Poeta; quòd tot mensium erat annus, quot mensibus vterum gestat mulier.

Quod satis est, vtero matris dum prodeat infans,

Hoc anno statuit temporis esse satis.

Propterea memoriæ proditum est, Numam Pompilium duos menses, Ianuariū, & Februarium, decem addidisse. Quod testatur Liuius his verbis, loquens de Numa. *Atq; omnium primus ad cursum Lunæ, in duodecim mensibus describit annum*; & Cicero in libris de legibus, Numam additionis illorum mensium authorem facit. Sed, vt animaduertit eruditissimus Iosephus Scaliger lib. 2. de emend. temp. ea omnia, quæ propter vetustatem ignorantur, ad auctorem Numam referri solent, etiam quæ ante, aut post facta sunt; Ideò putat vir præstantissimus, annum Romanum, ab initio non solùm duodecim mensibus, sed illis ad Lunæ cursum descriptis, constitutum fuisse; propterea in confirmationem suæ sententiæ, adducuntur ab ipso vetustissimi scriptores, Fenestella, & Lucinius Macer, qui opinionem de decem mensibus Romanorum, tamquam antiquitati aduersantem, reiecerunt. Et sanè fundamentum sententiæ, vel potius coniecturæ de decem mensibus Romanorum pro anno, est puerile prorsus, & futile, nimirum quòd nullus mensis, post Decembrem notatus sit à numero, quandoquidem hinc sequitur, Martium, Aprilem, Maium, & Iunium antea non fuisse, quia Martius non dicitur primus, Aprilis secundus, Maius tertius, Iunius quartilis. Deinde illud satis demonstrat, Romanos annum lunarem semper obseruasse, quòd à media nocte diem ordiebantur, quia Lunam nocturni temporis ducem, in dierum ciuilium diuisione, anniq; constitutione sequebantur. Notat Scaliger, quòd lunaris annus verus est dierum 354. cum triente, & paulò plus, quàm duorum horæ trientum. Modus verò anni Romani erat maior vero anno lunari horis 15. 16. quæ tamen differentia non erat talis, vt distingueret annum Romanum à lunari. Obseruat etiam, annum Latinum vnde Romanus propagatus est, fuisse dierum 355. Quoniam verò excessus Solis supra cursum Lunæ, est dierum vndecim cum quadrāte, vndecim autem dies post biennium, fiunt vigintiduo cum semisse, Romani alternis biennijs intercalabant mensem, nunc 22. nunc 23. dierum, qui mensis intercalaris apud ipsos erat Februarius, constans nunc 22. nunc 23. diebus. Itaq; habebat annus antiquus Romanus menses 12. dies 11. horas 6. Sed illi appendices dies, & horæ cum alteris totidē, biennio desinente, intercalabantur, & annus præter duodecim menses, habebat dies 22. horas 12. ex viginti duobus diebus fiebat mēsis, quem vocabant Merkedonium, duodecim autem horæ reseruabantur; Itaq; sequenti biennio excunte, bis vndecim dies, & bis duodecim horæ constituebant dies 23. & assurgebat mēsis, qui Merkedonius secundus appellabatur. Iulius verò Cæsar Dictator hāc confusionem intercalandi sustulit, iussitque annum esse 365. dierum, & quarto quoque anno ineunte, diem vnum sexto Cal. Martias intercalari, qui annus bissextus diceretur, quia bis sexto Calendas Martias, eo anno computamus. Ex quibus omnibus compertissimum fit, Hebræorum annum illius quantitatis fuisse, qualis à nobis supra fuit descripta; & omnino à veritate alienum esse, aliquando Romanos annum decem mensibus conflatum ab Hebræis accepisse. Existimo quidem, sæcula Hebræorum & Romanorum eiusdem quantitatis non fuisse; nam sæcula Hebręorum erant annorum centum, Romanorum verò sæcula centum, & decem, quia Romani constituebant sæculum ex lustris 22. periodorum quinque, & faciebant centum, & decem annos. Hinc Horatius in carmine sæculari.

Certus vndenos decies per annos

Orbis, vt cantus, referatq; ludos.

Propterea interuallum cētum, & decem annorum à Romanis summo obseruatum fuisse cultu, litteris consignatum est; Idcircò anno centesimo decimo vertente, & ineunte centesimo vndecimo, ludi sęculares instituebantur. Differebant etiam Hebræi à Romanis in annis, & sæculis enumerandis; nam Hebræi, primùm ab Orbe condito, deinde ab exitu de Aegypto, annorum numerum compu-

Scaligeri opinio de anno Romano ex 12. mensibus.

I. Cæsar anni instaurator.

Hebrei, & Romani differūt in sæculis.

Hebrei, & Romani differūt in principio enumerandi sæcula.

putabant. Romani autem ab Vrbe condita sua annorum principia ducebant. Vterq; autem Hebræus, & Romanus à Græcis differebant, quia Græci à primo anno regni Alexandri annos suos computabant, qui tamen, antequam Alexãder regnum obtineret, per olympiades, annos computabant, vna autem olympias quatuor annos comprehendebat, & ortum habuit à ludis celebratis in honorem Iouis Olympici, idest habitantis in monte Olympo; siquidem in illo mõte conueniebant iuuenes famosi, ad experimentum faciendum de corporis robore, & agilitate, quæ olympiades inchoatæ fuerunt à Pelope, auo materno Herculis, in honorem Iouis; sed quemadmodum, vt dixi, Romani non ab olympiade, non à Mundo condito, sed ab Vrbe fabrefacta annos numerabant; ita id præstiterunt, vsq; ad Octauiani tẽpora, quibus per æras computare annos cæperunt; Æra autem quinque erat annorum spatium, in quo singulis annis tributum Romanæ Ciuitati de varijs rebus tribuebatur, videlicet vno anno de auro, alio de argento, & sic de cęteris. Sed quia quolibet anno dabatur æs, ætates illæ æreæ dictę sunt. Verùm, vt reuertamur, vnde digressi sumus, affirmandum est, antiquos homines longissima vixisse sæcula, quoniam anni antiqui eiusdem fuerunt quantitatis cum nostratibus; ex quo inferendum est, breuiorem factum esse humanæ vitæ cursum; calorem natiuum, & humidum radicale in specie humana sensim defecisse, & in dies paulatim deficere; Quod nobis satis euidenter demonstrat, inane prorsus, & veritati contrarium esse fundamentum argumentationis Ocelli, scilicet naturam in eodem semper statu, & tenore consistere.

Græci à quo principio enumerarẽt ann.

Olympias, quæ fuerit.

Æra, quæ fuerit.

Homines antiqui lõgius vixerunt, quia anni sunt eiusdẽ rationis.

Obijcies, Vtrique ex dictis constare, parem esse anni antiqui hebraici cu nostro quantitatem, sed non patere, eamdem esse virtutem; Nam anni clymaterici, qui ab Hebræis obseruati non fuere, maximè lethales, atq; periculosi sunt; & experientia comprobatum est, multos homines in illis annis ex hac vita migrare. Igitur hinc etiam deducitur contra Ocellum, mutationem in ipsis annis cõtigisse.

Ad declarandam hanc dubitationem, animaduerto quosdam annos clymatericos appellari, idest scalares, siue gradarios; Nam Latinis scala, Græcis est κλιμαξ, quia per istos annos, quasi per quosdam gradus homines vitam traducunt. Clymatericos autem annos, ex septenario, & nouenario numero conflari, autumant fautores huius opinionis. Hinc vigesimus primus ex tribus septenarijs; quadragesimus nonus ex septies septem; sexagesimus tertius ex septies nouem, & nouies septem; octuagesimus primus ex nouies nouem; octuagesimus quartus ex nouies duodecim, anni clymaterici circumferuntur. Porrò illi, qui constant numero pari, minus periculosi sunt, vt quinquagesimus sextus, & septuagesimus, quia ille ex octies septem, iste ex decies septem componitur; conneniunt tamen omnes, annum sexagesimũ tertium magis periculosum, & perniciosum esse, quia in ipsum vterq; numerus septenarius, & nouenarius concurrit, & quia clymateras Chaldæis perinde est, ac periculosum, idcirco hunc annum vitæ noxium, & fortunæ maximè prædicant; Quamobrem refert A. Gellius lib. 15. Noct. Attic. cap. septimo, Augustum in Epistola, quam ad Caium scripsit nepotem, gauisum esse, se annum sexagesimum tertium euasisse. Quapropter, cùm multi in anno quadragesimo nono, & in sexagesimo tertio potissimùm intereant, quod priscis sæculis nequaquam contingebat, videtur aliqua in annis facta mutatio.

Clymaterici anni recẽsentur

Pro hac re explicanda opus esset aliqua de numeris ingerere, atque indicare, an vlla vis, & potestas numeris insit, quando efficacia anni clymaterici à septenario, & nouenario numero desumpta dicatur; Et hæc inquisitio aliena non esset ab hac disputatione Pythagorica, quoniam à Pythagorea Schola numerorum vis emanauit; Siquidem Pythagorei putarunt, Par, & Impar rerum omniũ esse elementa, & cuncta ex numeris esse conflata; Hinc appellarunt Deum vnitatem, & materiam dualitatem, quia materia est prima, quæ suscipit diuisionem, & est prima radix multitudinis. Verum Arist. multis in locis cõtra hanc Pythagoricam de numeris disputat assertionem, & præsertim in duobus postremis libris

Pythagorę doctrina de numeris.

libris Metaph. ostendens, numeros rerum principia esse non posse; Sed alijs prætermissis rationibus, afferam validissimam adductam à Georgio Raguseo disput. 12. de numerorum virtutibus ca. 9. Actio, & passio inter contraria fiunt, ex Aristotele 1. Physic. & 1. de Generat. & opus est, vt agens, & patiens genere conueniant; Sed numerus, vt numerus est, idest numerus numerans, & res naturales plusquam genere differunt, ergo numerus nullam in rebus naturalibus virtutem, aut efficacitatem habere potest, ergo numeri non sunt rerum naturalium principia. Minor propositio ita probatur. Res naturales sunt entia realia; numerus autem numerans, quia pendet ab anima, est ens rationis; at ens reale, & ens rationis plusquam genere differunt, ergo numerus numerans, & res naturales plusquam genere differunt, atque adeò nulla numeri virtus, atque proprietas in rebus naturalibus esse potest. Præterea, si consideretur numerus, vt est species quātitatis discretæ, iam compertum est, quātitati nullam competere actionem, sed ipsam sequi materiam, & tantùm rationem passiui induere. Itaq; cùm nulla vis, & potestas insit numeris, satis mirari nequeo, aliquos putasse, numeros Pythagoricos esse Platonicas Ideas, quas rerum omnium principia Plato constituit; & quamuis Plato in Epinomide tradiderit, diuinam inter omnes scientias esse numerorum cognitionem, tamen non existimauit Plato, suas Ideas à numeris facultatem, & potestatem obtinere.

Ragusei validissima ratio.

Numeri Pythagorici nō sunt Platonis Ideæ.

Idcircò Aristoteles lib. 12. Metaph. cap. 5 & ad initium lib 13. apertè significat, Pythagoræ numeros ab Ideis esse diuersos, & idem Aristoteles separatim disputat contra Ideas, & contra numeros; Quod sanè indicat, esse res omninò diuersas.

Ego arbitror, nullam numeris inesse virtutem, & efficaciam, & valdè miror, Io. Picum Mirandulanum in suis conclusionibus professum esse, se aliquot defēdere theses, secundùm Mathematicam Pythagoræ, quæ est de numeris scientia; imò se iactasse per numeros responsurum ad multas quæstiones; Quòd si ipse acriter insectatur Astrologos, & omnes occultos pernegat cælorum influxus, cur deinde tāti fecit efficaciam numerorum, quibus minus probabile est inesse potestatem occultam, quàm cælestibus orbibus, & syderibus? Quin si Picus irridet lib. 6. cap. vlt. aduersus Astrologos, annos clymatericos, appellans superstitionem, anni sexagesimi tertij obseruationē, cur postea tantam attribuit numeris potestatem?

Authoris opinio de numeris.

Propterea ad eneruandam, & diluendam hanc dubitationem, statuendum est, Naturam arcana quadam, & occulta vi, in quocumq; septennio, aliquam facere, vel ad bonum, vel ad malum mutationem, non quidem hauriendo vim, & robur à numero septenario, sed quia ita natura comparatum est, vt in septemplici cursu, vel dierum, vel annorum, aut coquantur, aut crudescant, aut congerantur, aut digerantur humores. Hinc mutationes, vel ad bonum, vel ad malum in septennio: hinc decretorij dies septenario conflati, à Medicis considerantur. Hanc ob causam dicebat Raguseus, annū clymatericum sexagesimum tertium plerumque periculosum esse, & lethalem, quia in illo multiplicato septenario, multoties humores congeruntur, qui cum à natura concoqui non possint, mortem inferunt homini. Aliam rationem de pernicie anni clymaterici affert sapientissimus Thomas Gianninius lib. de cæli nat. cap. 27. scilicet annum tertium & sexagesimum plerumq; lethalem esse, quia calor innatus, qui continenter aliquid accipit detrimenti, ætate ingrauescente, ita extenuatur, vt alimēta nequeat probè conficere, & ob id multa excrementa cumulentur, qui pariunt morbos, & mortem. Quare considerat hic Author annum sexagesimum tertium, vt annum ætatis senilis, in qua homo constitutus vires habet imbecillas, & non valentes morbos superare. Et sanè hæc ratio probabilior, & validior est, quam illa ab Astrologis allata, qui affirmant, in quolibet septimo anno dominari Saturnum, quoniam primo anno nati dominatur Luna, Mercurius secundo, & sic de alijs, atq; idem repetitur ordo. Itaque Saturnus, aiunt ipsi, septenario præsidēs anno, frigidus, siccus, & humanæ naturæ exitiosus, ea mala producit, quæ in septennio contingere solent. Sed hæc

Mutatio naturæ in septenario, non à numero orta, sed ab occulta vi.

Gianinij ratio de Anno clymaterico.

Reijcitur Astrologorū opinio de septenario.

fig-

figmenta sunt Astrologorum, alibi à nobis in Disputatione Astrologica refellenda.

Prisci homines in annis clymatericis non peribant.

Quæ cùm ita sint, assero, annos clymatericos in sacris paginis obseruatos non fuisse, & priscorum sæculorum homines, illis annis interire nequaquam solitos fuisse, quia tunc, tamquam à suo principio parum distans, validissimus, & robustissimus erat calor natiuus; vnde homo in septenario mutationes naturæ ad malùm non patiebatur; Quoniam verò, subsequentibus sæculis, natiuus calor deferbuit, & in multos defectus, viresque imbecillas humana natura lapsa est, euenit, vt in septenario, vel dierum, vel annorum, ea incommoda, & detrimenta sentiant homines, quę primæua Mundi ætate, ante diluuium, & etiam aliquo tempore post ipsum, neutiquam experiebantur; Quocirca asseuerandum est, mutationem non esse factam in annis, vel in eorum virtute, vt obiectio supra allata indicabat, sed totam mutationem contigisse ex parte naturæ humanæ, quæ præ virium imbecillitate, magis mutationibus est obnoxia. Et hæc de annis dicta sufficiant, quibus nostra contra Ocellum assertio magis, magisq; corroboratur, nimirum à veritate alienum esse, naturam semper in eodem statu, ac tenore persistere.

Iam tempus est, vt ad aliam eiusdem Ocelli argumentationem pro æternitate Vniuersi discutienda, transeamus. Et quidem lectorem monitum volumus, nos prouinciam non assumpsisse, omnes Ocelli rationes de Mundi æternitate ad examen reuocandi; quandoquidem aliquæ ex ipsis, vel in idem recidunt argumentum, vel omnino leues, & infirmæ habendæ sunt; sed tantum secreuimus eas, quæ difficultatibus scatent, & nobis amplam philosophãdi præbent materiã. Quocirca examinanda est sexta ratio ab ipso adducta, & petita à negatione causarum, potentium Mundum destruere; Quæ ratio, vti aliquo instructa videtur robore, ita multas, & iucũdas suppeditat dissertationes.

QVAESITVM TERTIVM.

De Causis potentibus Mundum destruere,

Alia vasta Ocelli de Mũdo non interituro.

Ratio ab Ocello ita conficitur. Si Mundus interibit, vel corrumpetur ab aliquo, quod sit extra Vniuersum, vel in ipso Vniuerso contentum; Non à primo, quia cùm Vniuersum omnia complectatur, extra ipsum nihil existit; Non à secundo, idest à re in Mundo contenta, quia id certè maius, ac potentius ipso Mundo oportet esse, dum illius interitum moliri potest; Quod tamen dissonum est, cùm omnia regat Vniuersum, vitamque singulis, & animam conferat. Quare cùm neque externa, neque interna causa vllum ipsi Mundo minari queat interitum, Mundus perennis erit, ac interitui nõ obnoxius. Hæc est potissima Ocelli ratio, cum qua acre quidem, sed iucundum etiam est à nobis suscipiendum certamen. Quoniam verò elementa Mundi complexu comprehenduntur, atque inter ipsa, Aqua, & Ignis validissima actione præstant, disquirendum est primo loco, An Aqua naturaliter possit Mundum demoliri, non quidem in superioribus Mundi partibus, sed in inferioribus, idest ita possit occupare, & obruere terram, vt in ipsa brutorum animalium, ac etiam hominum genus deleatur; quo extincto, vniuersa Mundi moles ferè euersa videretur.



CAPVT PRIMVM.

An Aqua possit naturaliter totum terræ globum obruere.

DVbitatio inde potissimùm oritur, quòd circumfertur, tanquam Aristotelica, elementorum decupla mensura, & proportio, adeo vt aqua sit decies maior terra, aer aqua, & ignis aere; Itaque supposita decupla quantitate aquæ, respectu terræ, non leuis oritur suspicio, quòd aqua aliquando totam terram demergat, qua submersa, animalia, & vniuersum genus humanum extinguerentur, atq; ita rueret ratio ab Ocello allata contra Mundi interitum, scilicet, quòd à causa interna interitus Mundo nequeat contingere; Quamobrem discutiendum est, quænam maior sit quantitas aquæ, vel terræ; si enim aquæ elemento erit maior terra, Ocelli ratio non leui innitetur fundamēto, quòd ab hac causa interna pars præcipua Mundi, quæ est terra, naturaliter destrui nequeat. Cæterùm maiorem esse aquam terra, inferunt aliqui ex Aristotele secundo de gen. & corrupt. cap. 4. text. 37. vbi tradidit, quod si terræ portio cōuertatur in aquam, erit decuplo maior illa aqua, in quam terra commutata est; & hinc deducunt aliqui, aquam decupla mensurā terram ipsam superare.

Pro decupla elemētorum proportione testimonium Aristotelis.

Antiqui putarunt, aquæ superficiem esse maiorem terra, & mare ex omni parte complecti tellurem. Hinc Plinius li. 2. cap. 66. hęc habet: *Est igitur in toto suo globo tellus medio ambitu præcincta, circūfluo mari*. Quod etiam existimauit Strabo, affirmans terram vndequaq; esse mare circumdatam, instar insulæ magnæ, vt ipsam appellauit M. Tullius lib. de somno Scipionis. Imò Geographi, dū nobis exhibent in mappis supremam terræ, & aquæ superficiem, maiorem partē terrestris globi tectam aquis repręsentāt. Sed vt ingenuè fatear, grauiter hallucinari puto Geographos antiquos, & recētes, illos, quoniam ipsis comperta non fuit illa terræ immensa magnitudo, quæ postea, succedentibus seculis, innotuit; istos verò nostrates, quia dum aquæ superficiem maiorem faciunt terra, non considerant terram Australem ignotam, quam maximam esse credendum est, vt detur proportio inter terram Septentrionalem, & Australem, & qua spectata, minor constituenda est superficies aquæ.

Aqua maior terra, ex diuersis Authoribus.

Aqua minor terra, respectu terræ Australis ignotæ.

Optaui semper videre apud Geographos, vel Hydrographos mensuratum ambitū aquæ, quemadmodū diuersas de ambitu terræ opiniones obseruaui; Etenim antiqui ipsius terræ circumferentiam ad quadraginta stadiorum millia esse, dicebant. Secundùm Eratosthenem, vnū, & triginta mille, & quingenta milliaria continebat. Ex Hypparcho, milliaria trigintaquatuor mille sexcenta vigintiquinque. Iuxta Ptolomæum, vigintiduo milliaria, & quingenta. Ad mentem Alphragani, & Thebitij, viginti mille, & quadringenta milliaria. Secundùm Fernellium, vigintiquatuor millia quingenta quattuordecim. Secundùm Scaligerum, terræ ambitus est circiter milliariorum tricies semel millium quingentorū. Secundùm recentiores argonautas, circuitus terræ complectitur 19080. idest milliaria nouies, & decies mille superque octoginta; Secundùm modernos Astronomos 21600. Qua in diuersitate constituendi ambitum terræ, obseruo, antiquiores metientes terram illam maiorem semper fecisse, recentiores verò semper minorem; Quòd euenit, vel ex diuersis metiendi modis, & instrumentis, vel quòd terræ globus paulatim deficit, & imminuitur, quod certè plurimū adueršatur Ocello.

Diuersæ opiniones de ambitu terræ.

Sed quæcumq; ex his opinionibus recipiatur (puto tamen recentiorum sententiam veriorem esse) non patet hinc, ambitum terræ esse minorem circumferentia aquæ, nam opus erat, vniuersam superficiem, & ambitum aquæ metiri, illoque comparato cum ambitu terræ, statuere, aquam maiorem esse terra. Verùm, quāuis plurimę mensuræ lacuum, fluminum,

ma-

marium, à Geographis traditæ sint, tamẽ plurimæ etiam sunt prætermissæ, adeò vt ambitus aquæ à nemine, quem viderim, sit declaratus, quemadmodum de ambitu terræ statutum fuit. Propterea, aquam minorem esse terra, videntur mihi magnam facere fidẽ verba sacræ Scripturæ Genes. 1., vbi Dominus Deus dixit; *Congregentur aquæ, quæ sub cælo sunt, in locum vnum, & appareat arida.* Nam, si maior terræ pars aquis cooperta esset, sanè congregatæ non essent aquæ, vt appareret arida, sed maior terræ pars appareret aquosa. Et ex illis verbis constat, Dominum Deum in locum vnum aquas collegisse, vt terra esset aquis discooperta; si autem aquæ maiorem terræ ambitum occuparent, non obtinuisset suum finem Deus, *qui congregat, sicut in vtre, aquas maris*, ait Psaltes, ad demonstrandum, aquas esse restrictas, & non dilatatas super terræ superficiem.

Minorẽ esse aquã terra, indicat sacra Scriptura.

Maiorem non esse aquam terra, egregiè edissetit I. Cæsar Scaliger exercit. 37. in Cardan. his verbis: *At vides sub Cancri circulo terra multum, maris parum, sub Capricorno maris plurimum, terra parum, at ratio par. Sub Arcto, quantum aqua, tantum penè terra sub Antarctico.* Atq; idem Scaliger exercit. 42. *Non operitur tota terra mari, imo sub torrida, cùm & terra multum sit, & maris, plus est terra.* Et exercit. 38. hæc subdit. *Sub omni aqua terram esse, necesse est, non autẽ sub omni terra aquam.* Ex quibus patet, grandiorem esse superficiem terræ, quàm sit superficies ipsius aquæ.

Minor quantitas aquæ, respectu terra ex Scaligero.

Quoniam verò decupla mensura elementorum potissimùm spectanda est penes ipsorum profunditatem, consideranda remanet profunditas aquæ, & terræ; & de aquæ profunditate loquens Aristoteles ait, maria septentrionalia esse cæteris minus profunda, atq; asserit, ab Euxino mari in Ægeum profunditatem augeri. Mare Gadditanum, ad columnas Herculis constitutum, quod fretum Gibilterræ appellatur, intra septem milliaria satis profundum perhibetur. Fretum Magalicanum, ita appellatum à Fernando Magalianes Lusitano, ipsius inuentore, quod fretum deriuatur à mari Sur, habet longitudinem leucarum 120, latitudinem leucarum sex, sed de eius profunditate nihil certum proditum inueni. Memini quidem, me apud Scaligerum exercitat. 46. hæc verba legisse. *Nulla vsquam terrarum plaga extitit, quæ pluribus obsideatur aquis, quàm regio Suecia, Scandauia, Noruegia, ad quarum littora tanta est profũditas maris, vt nullus anchorarum vsus sit, & ferreis annulis nauigia cohibeantur*; Quod sanè singulare est, & ferè admirandum de aquæ profunditate, de qua loquens idem Scaliger exercit. 38 hæc habet: *Aquæ profunditas non multa, nempe raro passus excedit octoginta, plurimis in locis non excedit ad vicenos, haud paucis senos explet, paucissimis ad centenos accedit, paucioribus hunc superat numerum.*

Diuersa aquarum profunditas.

Ab hac sententia parum distat Iosephus Blancanus in sua Sphæra, affirmans, profunditatem maris ordinariam esse semilliaris, raro maiorem esse vno milliari, sed vel milliariam, vel minorem milliari.

Blancani opinio, de profunditate maris.

Id confirmatur ex sententia putantium, maris profunditates, & montium altitudines perpendiculariter emensas, æquales esse, sibiq; inuicem respondere, quoniam terra, ex qua, initio mundi, à præpotenti Deo extructi fuerunt montes, educta fuit ex illis cauernis, in quas, tertia creationis die, ad terram aquis detegendam, congregatæ sunt aquæ. Quare, cùm ordinaria montium altitudo perpẽdicularis sit minor altitudine sesquimilliari, ex eodem Blancan. p. 3 Sphæræ, appendic. de altitudine montium, patet, maris profunditatem, perpẽdiculari celsitudini montium coæquatam, exiguam esse. Quoniam verò semidiameter terræ, seu ipsius profunditas, siue distantia ab eius superficie ad proprium centrum, ex ipso Blancano, eadem p. 3. cap. 5. cõstat tribus millibus quadringẽtis trigintasex milliarijs, vel vt alij asserũt, 3600 milliaria continet, perspicua fit ingens differentia profunditatis aquæ, & terræ; supposito etiam, quod affirmant aliqui, scilicet, maria, quæ profundissima sunt, ad duo descendere milliaria, quod rarissimũ est, siquidem communiter non excedũt quinquaginta, aut sexaginta passus.

Montes educti ex cauernis, in quas Deus collegit aquas.

Diuersa opinio de semidiametro terra.

Huic veritati magnam adstruit fidem id, quod sacris litteris de Moysis transitu per mare Rubrũ, vel Arabicum proditũ est, per cuius alueum Moyses, euadens vna cum populo Israelitico, arma, & insi-

dias Pharaonis, ficco pede pertranfijt, nõ quia Moyses nactus fuerit occasionem maris decrescentis, & defluctis, vt facrarum litterarum osores temerè, & impiè mentiti sunt, sed quia fluctus, tamquam firmi parietes, hinc illinc diuinitus suspensi, & constituti fuere, iuxta id, quod cecinit Moyses in suo cantico. *Stetit vnda fluens, congregata sunt abyssi in medio mari.* Itaq; cum populus Israeliticus à terra Ægypti ad fũdũ maris descenderit, atq; è fũdo maris rursus ad terram ascẽderit, si magna fuisset illius maris profunditas, haud facilè potuisset populus ille in fundũ descẽdere, & è fundo in terrã assurgere. Neq; dicẽdũ est, illius maris fundũ diuinitus eleuatum fuisse, quia, neq; id sacra refert historia, neq; miraculum absq; causa est concedendum, sed affirmandũ est, & mare Rubrum eleuari supra Aegyptum, sicuti Aegyptus eleuatur supra mare mediterraneum, in quod influit Nilus, & simul asseuerandum est, profunditatem maris exiguam esse, & ferè illã, quæ à Blancano, & cæteris hydrographis tradita est. Hinc, superiore sæculo, Hispanici Regis exercitum Belgicum mare pedibus transiisse, luculentissima testatur oratione Eminentissimus Cardinalis Bentiuolus prima parte libri sexti Historiæ de Bello Belgico, quod etiam elegantissimè descripsit P. Famianus Strada lib. 7. de Bello Belgico his verbis. *Nec minus interea in Zelandis Mondragonius Tribunus cum bis mille, ex omni exercitu, selectis militibus, ausus Oceanum pedibus transmittere, quinque circiter passuum millia, admirabili fortitudine Gocsium, ad Schaldis ostium, obsidione liberauit.* Ex quo planè constat, saltem in aliquo mari, minimam esse profunditatem. Cuius metiendi varios, & ingeniosos modos tradidit doctissimus P. & numquam satis celebratus, Marius Bettinus è Soc. Iesu in suauissimo suo Apiario; quemadmodum egregium modum mensurandi terram excogitauit P. Cabeus, lib. 1. ad text 7. quæst. vnica.

Exigua profunditas maris ex mari Rubro indicatur.

Parua profunditas maris historijs confirmatur.

Iam verò afferenda est ratio, qua minor aquæ profunditas demonstratur. Et potissima ratio petenda est à centro, quod terræ, & aquæ commune est. Etenim ex aqua, & terra vnus efficitur globus, cuius centrum grauitatis, & magnitudinis idem est, respectu aquæ, & terræ, & simul est centrum totius Vniuersi. Causam affert Plinius lib. 3. cap. 65. his verbis. *Quod ita formasse artifex natura credi debet, vt cùm terra arida, & sicca, constare per se, ac sine humore non posset, nec rursus mare aqua, nisi sustinente terra, mutuo complexu iungerentur, hac sinus pandente, illa verò permeante, totam intra, extra, supra, venis, vt vinculis discurrentibus, atque etiam in summis iugis erumpente.*

Obijcies. Videtur non esse idem centrum grauitatis, & magnitudinis, tùm respectu terræ, tùm respectu aquæ ad centrum terræ; nam si à centro Vniuersi ducantur lineę ad montium celsitudines, & ad depressiones vallium, quis non videt, lineas ad montes porrectas, longiores esse lineis, ad valles ductis? Idem patet de aqua, quia marium superficies, non æqualiter, sed plus minusue distant à centro, eò quia aliæ sunt eleuatiores, aliæ minus eleuatæ; Hinc Oceanus Indicus plurimùm supereminet Mediterraneo; & mare Rubrum, quod est superius Aegypto, in quam antiqui noluerunt aquas maris deriuare, ne ipsa Aegyptus submergeretur, est etiam superior Mediterraneo mari, in quod influit; Quin obseruatum est, Ligusticum mare altiores habere aquas, quam Hadriaticum, Igitur propter humiliores, & elatiores marium superficies oritur in lineis à centro deductis ad maria quædam disparitas, quæ facit non idem esse centrum grauitatis, & magnitudinis aquarum: Nihilominus dicendum est, terræ, & aquæ rotunditatem dupliciter spectari posse; vel secundum rotunditatem perfectam, & mathematicè exquisitam, vel secundùm rotunditatem physicam, in qua partes depressiores, & eminentiores non auferunt talem rotunditatem, quoniam partes depressiores, vel elatiores nullum faciunt momentum comparatione totius molis, vel terræ, vel aquæ. Quare negandum est, plus distare à centro lineas ad montes ductas, quàm ad valles, quoniam illa inæqualitas nihil facit, in comparatione totius terræ magnitudinis. Idem dicendum est de diuersis superficiebus marium

Dubitatio de communi centro aquæ, & terræ.

Soluitur dubitatio.

rium

rium, quarum aliquæ sunt depressæ, alię magis eleuatæ; id enim nihil refert, comparatione totius aquæ magnitudinis. Vnde statuendum est, effici vnum globum, ex terra, & aqua, & vtriusque idem esse centrum. Ex quo patet, falsam esse opinionem illorum, qui putarunt, Deum tertia die collegisse aquas in locum vnum, ex vna parte, & ex altera eleuasse terram, eamq; aquis detexisse; Ex hoc enim inferri posset, vnum non esse centrum aquæ, & terræ, nec vtriusque superficiem esse cōcentricam: sed à Deo aqua, & terra fuerunt intermixtæ, ad ortū, & occasum, sub æquinoctiali, & sub vtroque polo, & globus ex terra, & mari constans, æquis ponderibus vbique libratus consistit, non perfectè, & mathematicè concentricus, sed physicè rotundus, & concentricus.

Inæqualitas montiū vallīū, & aquarum non tollit identitatē centri terræ, & aquæ.

His ita præmissis, talis conficitur ratio, ad minorem aquæ profunditatem demonstrandum. Partes aquæ minorem habent accessum ad suum centrum, quàm partes terrę; Igitur aqua minorem habet profunditatem, quàm terra. Antecedens ita ostenditur. Partes terræ, vtpotè grauiores partibus aquæ, se magis ad medium vrgent, & impellunt, nam aquæ partes non ita se inuicem premunt, quia inter ipsas partes aquæ intercipitur aer, cuius leuitate suspenditur, vt sic dixerim, & minus grauitat grauitas illa, quæ à natura communicata est aquæ; Quare partes terræ, vt grauiores, faciliore descensu ad proprium centrum labūtur, ipsumque occupant. Propterea tanta non est profunditas aquæ, quanta est ipsius terræ. Quamobrem ex dictis satis patere arbitror, non solùm non dari decuplam porportionem aquæ, respectu terræ; sed terram maiorem esse aqua, quoad omnes mathematicas dimensiones.

Maior profunditas terræ, quā aquæ euidēti ratione demonstratur.

Ad testimonium autem Aristotelis supra allatum, respondendum est, sensum ipsius esse, ostendere, quod eadem materia sub inferiori elemento minorem quantitatem requirit, quàm sub superiori. Quocirca affert exemplum de substantia terræ, quæ conuertitur in aquam, asserens, aquam esse decies maiorem illa parte terrę, quæ in ipsam aquam conuersa est. Vbi animaduerte, quòd Aristoteles, nomine decuplæ quātitatis, ponit numerum determinatum pro indeterminato, numquam existimans, aquam decupla quantitate terram excedere. Præterea obseruandum est, Aristotelem obiter ibi hac de re agere, atque ipsius morem esse, suam veram aperire sententiam, tantùm in eo loco, in quo ex professo de tali tractat materia. Quapropter ratio Aristotelis supponit, quòd si terra conuertatur in aquā, materia terræ, quæ erit sub forma aquæ, maiorem occupabit quantitatem, non autem hinc deducitur, aquæ elementum in præsenti statu maius esse terra. Ex quo rectè infertur, aquam minorem terra, ipsam naturaliter occupare, & obruere nequaquam posse. Quod sanè fauet Ocello asserenti, à causa interna Vniuersi ipsum Vniuersum neutiquam destrui posse. Cæterùm qui aqua videtur altior ipsa terra, quamuis sit minor ipsa, consequitur tamen, aquam terræ prædominantem, facilè ipsam obruere posse. Idcircò non erit alienum, rem hanc breuiter examinare.

Explicatur Arist. circa decuplam proportionem elementorum ab ipso non admissam.

CAPVT SECVNDVM.

An aqua sit altior terra.

Aliqui putarunt, maris aquam esse terra sublimiorem, & aquā solo Dei præcepto cohiberi, ne ad terram defluat, eamque operiat vniuersam. Hæc fuit sententia Burgensis, & Catharini ad cap. primum Genes. & primùm fuit M. Tullij lib. 2. de nat. Deorum his verbis expressa. *Mare, cùm supra terram sit, medium tamē terræ locum expetens, congregatur vndique aquabiliter, neq; redundat, neque effunditur* Et huic sententiæ videtur adhæsisse D. Th.

Authores pro altitudine aquæ super terram.

p. parte quæst.69. art. 1. Fauet huic sententiæ sacræ Scripturæ pronunciata; nam vbicumque loquitur de situ maris, tamquam miraculum quoddam, & diuinæ omnipotentiæ argumentum, repræsentat, quòd mare in terras non dilabitur. Ex quo datur intelligi, mare suapte natura esse altius terra, & dempto miraculo, aliquando terram naturaliter obruiturum esse. Testimonia sacræ Scripturæ id suadentia sunt hæc potissima.

Testimonia sacræ Scripturæ pro eadem altitudine

Dauid psalm. 114. ait. *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neq; conuertentur operire terram.* Isaias cap. 5. *Posui arenam terminum mari, præceptum sempiternum, quod non præteribit.* Prouerb. 8. *Legem ponebat aquis, ne transirēt fines suos.* Iob. cap. 38. *Quis conclusit ostijs mare, quando erumpebat, quasi de vulua procedens? circumdedi illud terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi; vsque hùc venies, & non procedes amplius, & hìc confringes tumentes fluctus tuos.*

Nihilominus verior contraria est opinio, scilicet mare inferius, & decliuius esse terra, vt existimant D. Augustin. in psalm. 135. D. Chrysost. hom. 9. ad populum Antiochenum, & alij. Porrò experientia ostendit, mare inferius esse terra, quia flumina per terram labuntur in mare, tamquam in locum decliuiorē. Ideò illi, qui mare petunt, descendere in mare dicuntur, iuxta Psalm. 106. *Qui descendunt mare in nauibus.* Præterea, si mare altius esset terra, nauis multò velocior ferretur ad portum, & ad littus quàm ex portu, & littore soluat; nam ex littore soluens, ascenderet, & ad littus rediens, descenderet. Contrarium tamen videmus, nauem scilicet maiori velocitate, & impetu ad mare ferri, quā ad portum, ergo mare est inferius, & humilius terra.

Testimonia, & rationes pro altitudine terræ supra mare.

Ad Scripturæ testimonia, quibus mare quasi miraculo coactum, ante oculos exhibetur, respondet Pererius tom. 1. in Genes. lib. 1. cap. 1. de opere tertiæ diei, quòd Scriptura asserit præcepto Dei coerceri aquas, ne terram exundēt, quia Deus, naturæ author, à principio indidit aquis has leges, quòd terram non inundent; non quia hoc miraculosè fiat, sed per leges naturę, quæ præcepta Dei dicuntur, iuxtà quem sensum ait Iob, quòd Deus præcipit Soli, vt oriatur, et occidat, & luci præscribit viā, qua procedat. In illis igitur Scripturæ locis indicatur, aquas sic fuisse à Deo creatas, ac in talibus locis collocatas, vt nequeant ad operiēdam terram exire, quia Deus opposuit, & obiecit aquis magna scopulorum, littorum, & montium impedimenta, & quasi carcere quodam ita perstrinxit aquas, vt ex suo receptaculo, effractis repagulis, ad inundandam terram effluere non possint, iuxta illud Psalmi 32. *Congregans sicut in vtre aquas maris.* Profūditas verò, & locus infimus aquarum indicatur ab eodem Psalte psal. 68. *Non me demergat tempestas aquæ, neq; absorbeat me profundum;* quin oracula eiusdem Vatis, terram superiorem esse aquis, ita demonstrant. *Qui firmauit terram super aquas*, & alibi; *super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam.* Hìnc diuinus ille Conditor vniuersam tellurem, tamquam insulam, in medio aquarum, ipsis aquis supereminentem procreauit, quod etiam expressit M. Tullius in somno Scipionis, referens ea, quibus anima patris Scipionem filium est allocuta, his verbis: *Omnis terra, quæ colitur à vobis, angusta verticibus, lateribus latior, parua quædam insula est, circumfusa illo mari, quod Atlanticum, quod magnum, quod Oceanum appellatis in terris.*

Ad scriptura testimonia pro altitudine aquæ supra allata responsio.

Authoritates sacræ Scripturæ pro inferioritate maris.

Confirmatur, quia si aqua naturaliter posset occupare terram, iam huius occupationis aliquod initium, vel vestigium conspiceretur, & præsertim pars occidentalis, magna ex parte aquis demergeretur, quandoquidem mare ab Oriente in Occasum fluit, vt experientia comprobatum fatentur illi, qui ab orientalibus plagis soluunt ad occidentales oras, nouum Orbem petentes; Siquidem cursum breuiori tempore conficiunt, in eundo, quàm in reuertendo, quia nauigant per aquas ab Oriente decurrentes, & cursum nauis retardantes; Quocirca patet euidenter, oras occidentales aquis non occupari, vnde apparet etiam, aquam maris non habere naturalem propensionem terram ipsam inundandi, sed potius naturalis ipsius inclinatio est, se in rotundam figuram conglobandi, quod etiā ipsius aquæ descen-

Rationes pro inferioritate aquarū, respectu terra.

sum

sum aliqua ex parte compescit. Quòd si aliquis asserat, mare septentrionale ad Austrum defluere, & in ora australi maiorem esse partem aquæ, quàm terræ, concedendum utique est, septentrionalem Oceanum ad Austrum defluere, propter quandam deuexitatem terræ à polo Arctico ad Antarcticum, sed ex hac ipsa deuexitate colligitur, tantam esse altitudinem terræ supra mare, ut hac posita deuexitate, non queat adhuc mare vniuersam Australẽ plagam inundare; Et quoniam terra Australis, vt in mappis conspicitur, adhuc est ignota, nullo modo est asseuerandum, aquam ibi maiorem esse ipsa terra.

Obijcies, quòd aliqua extitere diluuia, quæ olim aliquam terræ partem demerserunt; Igitur quamplurima contingere possunt, quæ naturaliter vniuersam terræ faciem operiant. Etenim compertissimum est, historijs, & fabulis celebratum, Deucalionis diluuium in Thessalia, regnante Athenis Chranao, longo tempore, post demigrationem Hebræorum ex Ægypto, de quo diluuio multa fabulosa referuntur, scilicet, Deucalionem, patris Promethei monitu, vnà cum Pyrrha vxore, in quadam arcã seruatũ fuisse, ex qua ipse Deucalion coruum, vel columbam, quam secum habebat, emisisse dicitur, ad quantitatem aquarum explorãdam, referente Plutarcho, libello de Industria animalium; Quę ex sacris paginis, & ex Noetico diluuio deprõpta esse, nemo non intelligit; quandoquidem aliqui ex antiquis, historiam sacram coinquinãtes, ad fabulas impiè detorserunt, & mos apud ipsos inoleuit, plus ęquo fabulis lasciuire, in rebus serijs describendis. Alterum diluuiũ ante Deucalioneum euenit in Achaia, à quo fuit submersa, regnãte Agyge Rege; Quæ diluuia penitus distincta sunt à Noetico, quoniam diluuiũ Ogygis, vel Agygis contigit post Noeticum plus quingentis annis, & Deucalionis diluuium fuit posterius Ogygiano, ducentis triginta annis; de quibus, & alijs inundationibus loquitur Orosius lib. 1. c. 7. & Augustinus lib. 18 de Ciu. cap. 10, & 11. Cæterùm hæc diluuia euenerunt, vel propter ingentem copiam imbrium, qui cùm in multas partes labi deberent, in vnam, coactis à ventis vaporibus, & nubibus, congregati fuere, vel à fluminibus, quæ ruptis repagulis, aliquam terram, & prouinciam inundarunt; sed hæc non cõuincunt, vniuersam tellurem naturaliter diluuio obrui posse; Etenim Noeticum diluuium, quo vniuersa telluris facies operta fuit, naturale non fuisse, sed à diuina productum iustitia, facilè potest demonstrari, quamuis aliqui perperam existimarint, ipsum à naturali causarum ordinatione profectũ fuisse. Etenim Berosus Chaldæus illud vniuersale diluuium retulit in coniunctionem Planetarum in Capricorno, ad differentiam Petri Alliacensis, idem diluuium cõfigurationi stellarum in Cancro adscribentis; Quapropter aliqui, impietatem Berosi sectantes, ausi sunt affirmare, Noe ex inspectione syderum, futurum diluuium præuidisse, ad quod euadendum, sibi condidit nauem, in figuram arcæ, cuius nauis imaginem in naui Argos, cælo emicante, obseruasse, & tanquam ideam, sibi ad imitandum proposuisse, effutiunt; Inter quos fuit Henricus Mechliniensis, commentarijs editis in magnas Albumazari coniũctiones; Siquidem hic Author putauit, ante diluuium præcessisse coniunctionem Iouis, & Saturni, non in Capricorno, vt asserit Berosus, sed in fine Cancri, vt autumat Alliacensis, & è regione Argolicæ nauis, arcam, vt ait ille, Noeticam repręsentantis. Quæ pronunciata adeò leuia sunt, & falsa, vt potiùs deridenda sint, quàm longo refellenda sermone. Non prætermittam tamen, quòd si diluuium illud vniuersale à præcedentibus stellarũ cõfigurationibus indicatum fuisset, probabile est, quòd alij præter Noe, eas obseruantes constellationes, vnà cum Noe diluuium prędixissent, & vniuersam Mũdi internecionem extimuissent; Verùm cùm homines illius temporis, sacra testãte Scriptura, nõ solum futurum non crederent diluuium, sed Noe prædicentem redarguerent, & subsannarent, argumentum satis validum est, diluuium illud à cõstellationibus minimè profluxisse. Vnde satis mirari nequeo, Gulielmum Parisiensem in commemoratum fuisse errorem, & verba Moysis de apertis cæli cataractis interpretatum esse de illis coniunctionibus, & aspectibus, quos Astrologi vocant apertiones portarum, & de illis syde-

Ex particularibus diluuijs nõ infertur vniuersa terra inundatio naturaliter.

Noeticum diluuium fuit supernaturale.

Refellũtur Authores de Noetico diluuio falsa, & impia opinantes.

Falsa interpretatio de cataractis cæli apertis refellitur.

ſyderibus, quæ ab illis aquatica appellã-tur, vt Cancer, Piſces, Hyades, Orion, & Pleiades. Hanc eamdem falſitatẽ acerrimè amplexatus eſt Petrus Alliacenſis quæſt. in Geneſ. & lib. de cõcordia Theologiæ, & Aſtrologiæ cap. 1. vbi efformãs figuram de coniunctione Saturni, & Iouis, quæ diluuium generale præceſſit, affirmat, à tali coniunctione diluuium productum fuiſſe, de qua falſa opinione nũc diſputare abſtineo, quãdò ipſa in Diſputatione Aſtrologica à me penitus conuellẽda eſt. Quamobrem prętermiſſis Aſtrologorum erratis, exploratiſſimum eſt, diluuium, quod vniuerſam obruit terram, poſt mille ſexcẽtos quinquagintaſex annos à Mundo condito, ſupernaturali Dei potentia, & iuſtitia illatum fuiſſe, ad Mundi crimina diluenda, & expianda, vt ore proprio Geneſ. 6. ipſemet Deus his verbis expreſſit: *Ecce ego adducam aquas diluuij ſuper terram, vt interficiam omnem carnem, in qua ſpiritus vitæ eſt, ſubter cælum; & vniuerſa, quæ in terra ſunt, conſumentur.*

Diluuium Noeticũ ſupernaturale ex verb. Dei.

Multæ quidem cauſæ naturales, tamquam diuinę poteſtatis pediſſequæ, & diuinæ inſtrumenta iuſtitiæ, adhibitę fuerunt ad inducẽdum diluuium. Talis fuit ruptio omnium fontium abyſſi magnæ: talis apertio cataractarum cæli: & talis cõtinuatio pluuię, per quadraginta dies, ac noctes. Per abyſſum non intellexit Moſes barathrum, aut tartarum, vel immenſam aquarum copiam circa terrę centrum conſiſtentem, de quo tartaro verba facit Socrates apud Platonem in Phædone. Neq; per abyſſum intellexit mare, quod tantum intumuerit, vt montium vertices, quindecim cubitis ſuperauerit; ſed per abyſſum, ex interpretatione Pererij, intelligit Moyſes cauernas ſubterraneas plenas aquis, aut ſtagnantibus, aut fluentibus, quæ vel à mari per occultos terræ meatus deferuntur, vel ibi ex denſatis vaporibus concreſcunt, & generantur. Neq; per cataractas cæli accepit Moyſes ſigna Cancri, vel Capricorni, vel Piſcis, aut alias conſtellationes, aquarum copiam influentes, ſed per cataractas apertas; ſiue, vt hebraicè habetur, per cæli feneſtras reſeratas, indicauit Moyſes apertionem factam a Deo in media aeris regione, quam Deus tempore diluuij aperuit, & quaſi proſcidit, vt fusè proſequitur Pererius tom. 2. in Geneſ. lib. 12. cap. 8. Cæterùm quamuis Dominus Deus, ad afferendum diluuium, adhibuerit cauſas naturales, tamen ipſas cauſas naturales ſupernaturaliter alterando, & coniungendo, effecit, vt diuinitus inductum, diluuium illud ſit dicendum.

Germana interpretatio exponitur abyſſi, & apertio cataractarũ.

Et ſanè diluuium Noeticum à naturalium cauſarum ordinatione, & poteſtate productum nequaquam fuiſſe, ex eo conuincitur; quòd pluuiæ, quamuis aſſiduæ, terram naturaliter obruere nequeunt; Quoniam cùm pluuiæ nihil aliud ſint, quã vapores primùm eleuati à Sole, mox attenuati ab ipſo, & in aquas reſoluti, non poteſt naturaliter tanta vaporum copia ad aerem euehi, & aggregari, vt in imbres commutata, vniuerſam terræ faciem poſſit operire. Siquidem tantum aquæ ſolùm ab aere refunditur, quantum ad ipſam in vaporibus aſcendit. Idcircò aliqui putarunt, tunc Deũ creaſſe ingentem copiam aquarum in aere, vel partes aeris in aquã condenſaſſe, vel aquas, quæ ſunt ſupra firmamentum, ſcilicet ſupra aeream, & cęleſtẽ regionem, in terras pręcipites ruiſſe; queadmodum exiſtimauit Martinus Delrio, ibi veras extare aquas, adducens pro ſua ſententia quinquagintaduo Patrum teſtimonia. Atq; hanc opinionem de lapſu aquarum ex firmamento in terram, refert Beda lib. de natura rerum, eiq; adhæſit Steucus Eugubinus in annotationibus in Geneſ. Et licet aliqui aſſerant, quòd propter maximũ interuallum à cęlo ad terram, res grauis, niſi longiſſimo tempore, è cęlo deſcendere poſſit ad tellurem, vnde putant, quòd aliquod graue à cælo Lunę deſcendens, ſex dierum ſpatio indigeret, attamẽ ſuppoſito deſcenſu illarum aquarum à firmamento, Deus talem impetum illis aquis dediſſet, vt facilè, & breui tempore, ad terram inundandam, pręcipites egiſſet. Præterea illa verba Geneſ. *Ruptæ ſunt omnes fontes abyſſi magnæ*; demonſtrant quidem omnes aquas, tum à maribus extractas, tum eductas è viſceribus terræ, ad terram ipſam demergendã; Sed quoniam, vt ſupra oſtenſum eſt, tanta non eſt quantitas aquę, vt maior ſit terra, eamque operire poſſit, idcircò opus fuit, vt diuina poteſtas extractas aquas ex ſuis locis ſubterraneis coniungeret cum aquis

Rationes, ob quas diluuium Noeticũ naturale eſſe nõ potuit.

Aquas poſitas ſuper firmamẽtũ in terras ruiſſe, qui aſſerunt.

Ex coniunctione supernatura li aquarū superiorū cum inferioribus facta est diluuium.

pluuialibus, & hac media coniunctione aquarum superiorum, & inferiorum, terram vniuersam obrueret.

Opinio de condensatione aquarū tertia die creationis à Deo facta

Sententia fuit Cornelij à lapide, & Molinæ, Deum tertia die creationis, cōgregando aquas in locum vnum, vt terram aquis detegeret, condensasse ipsasmet aquas, quæ cum vniuersam faciem terræ occuparent, non potuissent in vnum locum, & in cauernas terræ subterraneas, si eædem remansissent, congregari, & coarctari, idcircò Deus illas coegit, & densauit. Qua sententia supposita, aliqui existimarunt, Deum, tempore diluuij, easdē aquas ad raritatem reduxisse, easq; rarefactas, ampliorem locum ita impleuisse, vt quindecim cubitis montes excesserint.

Opinio, quod aquæ rarefactæ à Deo induxerunt diluuium.

Quam opinionē, vti ingeniosam, & sacræ Scripturæ non aduersantē, reprobare non audeo, sed diluuium vniuersale diuinitus euenisse, & non naturaliter, inde satis patere arbitror, quòd imbres soli non sufficiebant ad inundandam terram, vti satis non erant aquæ maris, & etiam aquæ in omnibus terræ cauernis inclusæ, sed quia Deus supernaturali sua potestate, omnes superiores aquas descendentes, cum eruptione omnium aquarum inferiorum cōiunxit; idcirco, adhibitis quidem causis naturalibus, sed modo supernaturali, diluuio vniuersali totam telluris faciem operuit, & humanum genus a criminibus expiauit. Quæ cùm ita sint, statuendum est cum Aristotele lib. 1. Meteor. cap. vlt. naturaliter dari non posse diluuium, totā obruens, & deuastans terram, ideoque Mundum à causa interna aquarum minimè destrui posse. Quæ à me, quamuis nō aduersantia Ocello, contra quem disputo, declarata sunt, vt hinc compertissimum fiat, Mundi interitum futurum non esse naturalem, vt ipse Ocellus arbitrabatur, sed penitus supernaturalem, à Dei omnipotentia mirabiliter inducendum.

CAPVT TERTIVM.

Continet Disputationem aduersus P. Iosephum Blancanum, existimantem, Mundum naturaliter, per vniuersalem inundationem interire posse.

IOsephus Blancanus è Soc. Iesu, insignis Mathesis professor olim in Vniuersitate Parmensi, in qua ipsum habui Magistrum, in sua sphæra p. 3. c. 4. de figura terræ, probare contendit, flumina multum terrę ad mare deferre, ex quo littora crescunt, & sinus maris perstringuntur, vnde eadem maria aliquando terras inundant. Quare eò tandem res perueniet, inquit ipse, vt terra sit tota aquis cooperienda, vt fuit initio Mundi; atque ita cessabit generatio, ac finis Mūdi continget; Idcircò subiungit Blancanus, quòd si ex fide christiana, cataclismus ignis Mundum destruere non deberet, tandem aquarum illuuies ipsum Mundum demolietur. Hanc suam sententiam explicat idem Blancanus in alio suo opere, scilicet in libro in loca mathematica Aristotelis in primum meteor. vbi ostendit, terram quotidie ad sphæricitatem magis perfectam se reducere, & ad illam prorsus rotunditatem, quam initio suæ creationis habuit, eò quia montes deciunt, & decrescunt, & per multas annorum myriadas, adeò extincti remanebunt, vt terra perfectam obtineat rotunditatem, qua comparata, eueniet, vt aquę accommodatam sibi telluris figuram facillimè inundent.

Explicatur opinio Blancani de natura li, & vniuersali inundatione terræ.

Ad examinandam opinionem Blancani, opus est plura explicare pronunciata, quæ in ipsa comprehenduntur, vt illorum cognita veritate, vel falsitate, quid de hac opinione sentiendum sit, firmiter statuatur. Et primum, terram esse sphæricam, & hac figura in sua creatione à Deo donatam fuisse, validissimis conuincitur rationibus; Etenim Sol eodem temporis puncto nobis non oritur, & illis, qui sunt magis occidentales, vt Hispani, sed vna, vel altera hora, post horam nostram, illis nascitur. Præterea Sol, quando à Luna eclipsatur, eodem tempo-

Rationes pro rotunditate terræ.

ris

ris momento, non videtur ab omnibus eclipsatus; Etenim Luna non potest interponi eodem temporis articulo inter Solem, & oculos omnium habitantium, itaut Sol, Luna, & oculus sint in eadem linea, & hoc prouenit à terræ rotunditate. Imò eclipsis Lunæ, quamuis eodem temporis articulo fiat, & ingrediens conum terræ, ipsum ingrediatur, respectu omnium habitantium terram, tamen vbique locorum eclipsis non fit eadem hora, quia Sol non occidit omnibus eadem hora, sed diuersa; vnde istis hora secunda noctis, illis hora quarta, Luna eclipsatur. Ex quibus omnibus patet rotunditas terræ, non solùm ab Oriente in Occidentem, sed etiam ab Aquilone ad Austrum, ne aliquis putaret, terram esse cylindricam, aut figuræ oualis; nam illis, qui nauigant ab Aquilone ad Austrum, semper polus Arcticus magis eleuatur, quod non contingeret, si terra etiam à polo ad polum rotunda non esset. Id tandem manifestè constat ex vmbra terræ, quæ, Luna eclipsata, vbique circularis apparet, vmbra autem corporis figuram sequitur.

Error aliquorum de figura terra non rotunda.

Hinc satis excusari non potest error Lactantij lib. 3. diuinarum institut. cap. 23 Bedæ de rat. temporum cap. 23. August. lib. 16. de Ciu. cap. 19. putantium, terram non esse rotundam, ad modum sphæræ, sed esse planam, instar patinæ, circa quam Sol non rotatur, sed recedens ab Occidente, iterum circa Horizontem reuolutus, redeat ad Oriētem. Propterea idem Augustinus eod. lib. c. 9. existimauit, Antipodas non esse, quod his verbis explicauit: *Quod verò & Antipodas esse fabulantur, idest homines à contraria parte terræ, vbi Sol oritur, quando occidit, nobis aduersa pedibus nostris calcare vestigia, nulla ratione credendum est, neque hoc vlla historica cognitione, didicisse se affirmant, sed quasi ratiocinando coniectant, eò quod intra conuexa cæli, terra suspensa sit, eumdemque locum Mundus habeat, & infimum, & medium, & ex hoc opinantur, alteram terræ partem, quæ infra est, habitatione hominum carere non posse.* Hæc Augustinus; Qui in hunc errorem lapsus fuit, vt ipsemet ibidem refert, quia nimis absurdum putabat, aliquos homines ex his nostris regionibus, in illas, Oceani immensitate

Scriptores negantes Antipodas.

traiecta, nauigare, ac peruenire potuisse, vt etiam ibi ex primo homine Adamo humanum genus institutum fuerit. In hunc eumdem erroris scopulum impegit Lactantius lib. 3. de falsa philosophia cap. 24. vbi iocos, & inanes fabulas censet, Antipodas reperiri, atq; irridet philosophos, qui cùm hortos pensiles inter miranda recenseant, agros, maria, montes, vrbes pensiles faciant. Hinc non est mirandum, Vigilium Saleburgensem Episcopum circa annum 745. rerum Astronomicarum, & Geographicarum magis peritum, quàm tunc illa Christianorum ferebat ætas, dum concionaretur, esse homines in rotunda terræ conuexitate vestigia nobis vrgentes aduersa, quos Antipodas appellauit, ita multorum animaduersionem in se concitasse, vt Bonifacius Episcopus Moguntinus illum apud Zachariam Pontificem hæresis accusauerit, quòd, Antipodis inductis, nouum Christum induceret. Superioribus sæculis, compertissimum factum fuit, Antipodas existere, & oppositas diametraliter habitare terræ partes; Quod tamen non est simpliciter, & absolutè verum, quia in aliquibus locis, in vna parte, seu emisphærio, est terra; & altera pars, in altero emisphærio opposita, est mare; sed multæ tamen terræ terris habitatis opponuntur. Neq; hinc sequitur, habitatores illos de genere Adæ non esse; Etenim populi illi sunt ex duabus, & septuaginta gentibus, quæ in totidem linguas diuisæ fuerunt. Quomodo autem illuc peruenerint, non est quidem facile explicare; attamen asserendum est, homines à Deo monitos, & instructos, vel pedestri itinere ad illas oras se recepisse, per vias soli Deo notas, quibus hic Orbis cum illo, aliqua parte continuatur, vel nauibus, tempestatum vi, illuc esse iactatos, vel tandem post terræ vniuersalem illuuionem, ab Angelis simul cum feris, quæ in illis insulis reperiuntur, quantumuis à continenti disiunctissimis, fuisse translatos. Confirmatur oraculo Psaltis, asserentis psalmo 18. Apostolorum prædicationem in omnem terram diffusam esse. *In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Quæ verba considerans Chrysostomus in ep. ad Rom. cap. 10. homil. 13. affirmat, ad omnem Mundi

Demōstratur, Antipodas esse.

par-

partem christianæ fidei prædicatores peruenisse.

Circa quod grauiter hallucinatus est Abulensis in cap. primum Genes. quæst. 20. vbi quærens, an homines vltra æquinoctialem habitent, respondet negatiuè, quia, inquit ipse, Apostoli peragraucrunt omnem terram, & prædicarunt Euangelium omni creaturæ, idest omni homini ex mandato Christi, Matth. cap. vlt. sed constat ex historijs, subiungit ipse, quòd nullus eorum æquinoctialem circulum pertransiuit, ergo vltra æquinoctialem homines non habitare putauit. Qua in re, vt dixi, turpiter errauit; quandoquidem Apostoli totum terrarum Orbem lustrarunt, idest non solum Europam, Asiam, & Africam, sed etiam Americam vt fusè tradit Maluenda lib. de Antichristo, asserens in Brasilio, Mexico, & Peruuio, extare monumenta Apostolici aduentus in ea loca, qua de re in Scripturali Disputatione differemus.

Apostoli ad Antipodas peruenerunt.

Pronunciatū igitur Blancani de rotunditate terræ vtique consonum est veritati, & sphęricam figuram à primordio suæ creationis tellurem obtinuisse, non est dubitandum; An verò terra tunc fuerit perfectè rotunda, non montuosa, & inæqualis, atq; ita manserit primis diebus, vt videtur supponere Blancanus, dubium est, & incertum. Etenim multi grauissimi Authores existimant, montes cum terra non esse creatos, sed tertia die, terræ partes eleuatas fuisse in montes, & factas esse in superficie terræ magnas cauitates, atq; etiam intra viscera terræ, in quas defluxerunt aquæ, quæ vniuersam faciem terræ velabant. Ita opinati sunt Ambrosius in Hexamer. Augustin. I. de Genes. Damascen. de fide orthodox. Procopius in Gen. & inter recentiores Pererius, & Molina de Op. sex dier. Qua supposita sententia, censet Blancanus, longo temporum progressu, terram futuram esse absque montibus, continuò deficientibus, & decrescentibus, & primam illam perfectam sphæricitatem cōsecuturam esse, atq; ideò aquas vniuersam terram occupaturas, quemadmodum creationis primordio totam faciem terræ tūc montibus carentis tegebant.

Existimāt terrā fuisse creatam sine montibus, & tertia die ipsos fuisse productos.

Præmissa debita erga tot insignes Authores reuerentia, arbitror terram creatam non fuisse rotundæ figuræ omnino sphæricè, & mathematicè perfectè. Etenim de terra non est perfectiùs iudicandum, quàm de orbe lunari, qui terra cælestis fuit appellatus, & in quo adesse cauitates, & eminentias Telescopio obseruatas, pro certo, & indubitato habetur; Quin magna cauitas in orbe Martis fuit animaduersa; igitur nulla fit iniuria terræ minoris perfectionis, quàm sunt cælestia corpora, si illa dicitur condita, & creata cum cauitatibus, quæ sunt valles, & cum eminentijs, quæ sunt montes; Quin cùm à Deo terra perfecta creata sit, & maximus terræ ornatus, ac perfectio sit montium sublimitas, putandum est illam vna cum montibus à supremo Numine fuisse productam, cum montibus, inquam, celsissimis, & illis quidem, de quorum sublimitate supra egimus.

Terra nō fuit perfectè rotunda creata

Fuit creata cū montibus.

Concedo quidem vna cum Authoribus commemoratis, Deum tertia die in cauernis, & visceribus terræ aquas congregando, terram illam, in qua efformatæ fuerunt cauernæ, è suo loco eductam in montes erexisse; sed assero duo esse genera montium, siquidem alij vnà cum terra à Deo fuere producti, alij ex terra extracti ad fossas aquarum efformandas, quorum montium altitudo perpendiculariter spectata, proportionem, & æqualitatem habet cum profunditatibus maris. Secus autem dicendum est de altissimis montibus, quos supra commemorauimus, quorum sublimitas vniuersam marium profunditatem penè immenso superat interuallo.

Duo genera mōtiū; alij creati cū terra, alij tertia die.

Neq; aliquis obijciat, quòd, si antea tertiam creationis diem extitissent montes aqua cooperti, non potuisset tanta aquarum copia congregari in cauernas altissimis montibus prorsus inadæquatas; quandoquidem respondeo, Deum ad detegendam terram, vnaque montes aqua opertos ipsasmet aquas condensasse, vt in locum angustiorem redigerentur, & ab illo comprehenderentur. Quapropter sicuti non admitto terram absque montibus fuisse primordio suæ creationis productam, ita non concedo Blancano terram longissimo sæculorum decursu ad primæuam illam sphæricitatem ita redigendam esse, vt absque montibus reperiatur, adeout possit aqua natu-

Aqua à Deo congregata tertia die, fuit condēsata.

turaliter vniuersum telluris globum obruere.

Vt probet Blancanus, montes aliquando non esse futuros, obseruat, montium tuberositatē ab aquis continuò exedi, & consumi, quam diminutionem ego quoque supra concessi, sed obseruaui, sphæricitatem terræ perfectam ex hac causa nequaquam induci posse, quia si montes dissipantur, & diluuntur, illa pars terræ, quæ ab imbribus, à torrentibus, ab alijs causis educitur è mōtibus ad ima, & ad planitiem terræ, alibi assurgit, & eleuatur, vel ab industria hominum, vel ab alia causa, Itaut, acquisita sphæricitas terræ in vna parte, scilicet ex parte montium decidentium, & se in planitiem dissoluentium, deperditur ex altera, scilicet ex parte terræ, quæ ex materia montium alibi altior assurgit. Itaque cum mea sententia consonant verba S. Iob. *Lapides excauāt aqua, & alluuione paulatim terra consumitur.* Quæ verba non intelligenda sunt totaliter de tota terra, alioquin ipsa tellus ab initio Mundi, vsque ad hæc tempora diminuta esset, & minor facta, sed accipienda sunt de partiali consumptione terræ, quæ tamen si in vno loco consumitur, in alio generatur, & crescit; Propterea, si in vna parte deficiunt montes, in altera crescunt, & eleuantur.

Montes in vna parte decrescētes, in altera crescunt.

Dictum S. Iob explicatur.

Præterea supponit Blancanus, montium terram paulatim ab aquis in cauitates maris deductam, sinus, & alueos maris perstringere, & angustos efficere; vnde colligit aliquando fore, vt ipsa vastitas maris, intra cancellos nimis arctos coacta, erumpentibus fluctibus, vniuersam terram inundet; Quod sanè verum est, non solùm de terra è montibus in maris viscera educta, sed etiam, vt loquitur Blancanus, verum est de fluminibus, quæ, cùm rapido cursu in mare feruntur, secum aduehunt limum aggestum, quo sinus maris impletur, & coarctatur. Et hæc maris restrictio in Bosphoro Thracio potissimum apparet; quandoquidem antiquis sæculis, vt animaduertit Olympiodorus comment. in cap. 2. lib. primi Meteor. mare ibi æquorea dorsa, longè lateq; ostendebat, fluminibus verò incursantibus, limumque aggregantibus, locus ille redditus est angustus, vnde angusta pelagi hodie quoq; appellantur.

Sinus maris aliquādo perstringitur.

Demus Blancano, mare in aliqua parte perstringi: nō tamen infertur, mare intra aliquos limites coarctatum, vniuersam terram obruere posse. Etenim si mare in aliquibus oris, propter materiam à fluminibus inuectam, & propter adaggerationes angustiatur, in alijs oris dilatatur, & augetur, propter continuā permutationem terræ, & maris, consideratam ab Aristotele primo Meteor. cap. 2. Quare cùm terra maris naturam induat, & mare terra efficiatur, numquā eueniet, vt aqua naturaliter vniuersam terram valeat occupare.

Mare perstrictū in vno loco, dilatatur in alio.

Et quidem mare in terram commutari, loco præallegato probat Aristoteles ex Aegypto, quæ antiquitus mare erat, & postea in terrestre solum indutuit, & facta est terra à Nilo, semper recentem materiam cænosam aggerente. Propterea Nilus dicitur, quia Ilon, cænum græcè significat. Vnde Herodotus Aegyptum, donum Nili appellauit. Et sanè Memphim, Aegypti regiam, illorum Regum præclaram arcem, Pyramidum miraculis illustrem, Homeri tempore, vel mare fuisse, vel stagnum, conijcit Aristoteles ex eo, quòd Homerus de illa nullam fecerit mentionem, cùm de alijs preclaris vrbibus, sicuti de Thebarum Ciuitate, quæ centum claudebatur portis, carmina panxerit. Arenosa Lybia quondam, & ipsa mare fuit, quæ postea ex influxu fluminum in terrestrem euasit naturam, Meotidis quoq; palus antiquitus mare erat, postea congesto littore, & limo ducto, palus magna effecta est. Ex quibus coniectari licet, quòd vbi antiquitus mare fuit, ibi terra subrogata est; Idcircò mare ab Athenis quinque milliarijs recessit, & ab Epheso, vbi quondam Dianæ templū, mare alluebat, & circa Ilium mare fuit, nunc verò incultum ibi esse agrum, monumenta testantur. Quare ex Aristotele hæc est perpetua rerum vicissitudo, vt vbi terra erat, ibi aqua fluat, & vbi aqua excurrebat, ibi terra consistat. Hæc autē maris, & terræ commutatio, quæ, vt Aristotelis verbis vtar, ordine quodam, & ambitu fit, impedit, ne mare, quamuis

Testimonia de permutatione maris in terram.

a ma-

à materia inuecta coarctatum, obruere possit terram, quia si perstringitur in vno loco, dilatatur, & erumpit in altero, & vbi mare erat, ibi terra assurgit, adeo vt illa non possit à maris fluctibus naturaliter inundari.

Hæc, cùm iam aliquot annos scripsissem, occurrit mihi eruditissimum opus P. Nicolai Cabei, amici dilectissimi, & Conciuis, in quo in commentario ad text. 67. Aristotelis lib. 1. Meteor. q. 1. deridet explicatam ab Aristotele maris, ac terræ permutationem, ac vicissitudinem, & asserit eadem prorsus esse flumina, ac maria, quæ iam à prima Mundi fuerunt ætate. Non est meum consilium cum viro eruditissimo frequenter litterarium certamen suscipere, sed tãtùm animaduerto, quòd ipse quoque concedit, magnam factam esse mutationem in nostro Pado, qui cùm ad Spinetum, nunc Primarium appellatũ, ad vrbem Rauennæ deflueret, iam aliquot annos desexit ad quinquaginta ferè milliaria aduersus Venetias. Quæro, quid factum sit de illo loco, per quem antea Padus fluebat; Certè campus euasit, & ager. Quid de alueo, per quem idem Padus, amœnissimæ olim Ciuitatis Ferrariensis mænia ferè deosculans, ad Velanam excurrebat? Ferè totus exsiccatus est in terram, excultus in agros; & ibi pascuntur armenta, & currus feruntur, vbi natabant pisces, & excurrebant nauigia, & hæc est illa terræ, & aquæ permutatio, quam cõtendit Aristoteles ita loquens, text. 67. *sed sit mare quidem vbi arida, vbi autem mare, ibi iterum terra.*

Consideratio P. Cabei de vicissitudine maris, & terræ.

Sed huic præstantissimo Authori non mea nihili facienda, sed Philonis plurimi æstimanda verba obijciamus, qui lib. Quod Mundus sit incorruptibilis, hæc habet: *Mare iam decreuit, vt testantur Rhodus, ac Delus, Insularum clarissimæ; Nam hæ quòndam sub marinis vndis latuerant, procedente verò tempore, his paulatim decedentibus, exortæ sunt, sicut proditur earum annalibus. Præterea magnorum marium magnos, profundosque sinus exsiccatos, continenti additos, cum incremento non contemnendo oræ proximæ satis, arbustisq; consitæ; impressisq; in his signis inundationis pristinæ, conchas, marinosque calculos, & id genus alia, quæ fluctus solent eÿcere in littora.* Et paulò post, explicans maris vehemẽtiam in partes terræ, ita prosequitur suam sententiã: *Ignoratis celebrem de Siculo freto historiam? quomodo Italiæ continenti Sicilia quondam adnexa fuerit? Sed cùm vastum vtrinque mare violentius incitatum concurreret, medium spatium ruptum, & inundatum est; Vnde Græci vrbem in proximo sitam nominauerunt Rhegium, mutatis rerũ vicibus; nam maria priùs disiuncta cõfluxerũt in vnum; terra verò, quæ in medio continuabatur, interuentu freti scissa est; & Siciliam continenti abruptam fecit Insulam, aliæ quoq; multæ Ciuitates, mari oppressæ deletaq; ferũtur, & in his tres Peloponesiacæ, Aegira, Burra, Helice, quondam fortunatæ, vndis absumptæ, vna cum ipsis mænibus. Iam verò Atlãtis Insula maior, quàm Asia simul, & Africa, vt Plato in Timæo prodit, intra vnius diei, noctisq; spatium, ingenti terræmotu inundationeq; in mare mersa fuit, non quidem nauigabile, sed cænosum voraginosumq;.* Hucusq; Philo. Non me latet, fabulosum ab aliquibus æstimari id, quod de mari affirmat Atlantico, tamen id verum etiam asserit Lipsius, lib. 1. de Constantia, cap. 16. & proditum est, Christophorum Columbum Atlãticum mare peragrantẽ, aliquãdo in partes terreas impegisse, & quasdam moles sub aquis inspexisse. Porro eruditissimus Lipsius prędicto lib. maris, & terrę assiduam mutationem eleganter ita descripsit: *Diluuies maris, subitæ inundationesq; quot terras vorarunt, aut absorpsit: cærulus ille diuus nouos sibi aperit sinus, lambens quotidie, & abrodens infidum marginem. Nec terra ipsa muliebri ignauia cessat, sed interdum se vindicat, & in medio mari insulas sibi facit, mirante, & indignante cano illo patre.* Ita Lipsius.

Philonis testimoniũ de permutatione maris in terram.

Authoritas Philonis de vehementia maris terrã obruẽtis.

Atlanticum mare primùm erat insula.

Lipsius cõfirmat permutationẽ terræ, & maris.

Et sanè de mutatione maris in terram amplissimam faciunt fidem innumeræ, quę superioribus sęculis ignotę fuerunt insulę, quarũ magnitudo in medio mari demonstrat, terram aliquando superemincre aquę, terramq; ipsam iura maris sæpius vsurpare. Hinc Boterus 2. parte Relat. lib. 4. agens de insulis Philippinis, testatur, quòd in Oceano inter nouam Hispaniam, & Sinensium fluente, extant vndecim millia insularum, insignis magnitudinis. Addit, insulas Mal-

Multa Insulæ recensentur, & demonstratur terram aquis superemincre.

diuę esse numero septem millia, & tandem nauigantes mare, quod dicitur Sur, insulas pænè innumeras reperire, affirmat. Quid dicam de insulis, quæ Moluccæ nuncupantur, quas antiquitus aquis obrutas fuisse, fama est, nunc verò, cum supereminent aquis, clarè demõstrant mutationem maris in terram. Inter insulas Oceani Atlantici extanr insulæ Canariæ, quæ fortunatæ dicuntur, & post Imperij Romani excidium, multo tempore delituerunt, inter quas assurgit insula nomine Zeneriphes, cæteris omnibus celsior, propter sublimem, quem continet, montem, figuram adamantis præseferẽtem, quindecim leucis, vt aiũt, eleuatum.

Dices. Hìc supponitur, Insulas fuisse ab augumento terrę supra mare productas, & tamen grauissimorum Authorum opinio est, ipsas fuisse ab initio Mundi creatas. Respondeo, concedendo, multas fuisse insulas à Mũdi primordio creatas, sed etiam multas temporum decursu, propter maris recessum, & terræ exuberantiam, fuisse productas; atq; adeò magnam esse permutationem maris in terram; Ex quo datur intelligi, à veritate prorsus alienum esse id, quod ab ipso Blancano assertum est, nimirum aquam naturaliter aliquando occupaturam esse vniuersam terram, atq; ita Mundi cataclysmum, mediante aqua, futurum esse, si sacra oracula caraclysmum per ignem non docerent. Cęterùm quærendum est, an id ab igne præstari possit.

Aliqua Insula à principio Mundi creata, alia à mari producta.

CAPVT QVARTVM.

An ignis naturaliter Mundum possit deuastare.

QVamuis hęc disputatio Pythagorica aduersus Ocellum instituta sit, attamen mihi non incumbit onus refellendi ea omnia, quæ ab Ocello constituuntur. Argumẽtatur Ocellus Mundi immortalitatem à causis internis, non potentibus Mundum demoliri; Atq; cùm in superioribus capitibus ostensum sit, aquam Vniuerso excidium parere non posse, restat inquirendum, An inter elementa id valeat ignis efficere; Et licet ab ipso id præstari nequaquã posse ostensurus sim, nihilominus Ocello non consentio in Mundi æternitate constituenda, nam cùm ostendero, causas internas, nempè Mundi partes, ipsum naturaliter deuastare non posse, postea planum faciam à causa externa, nimirùm à Deo, excidium Mũdo inferendũ esse, quod nõ cognouit Ocellus, existimans, nihil extra Mũdum reperiri, ignorata Dei immensitate, & omnipotentia. Hoc quæsitum de igne petit quæstionem, à Philosophis exagitatam, an detur ignis elementum, quod negant Telesius, Campanella, Cardanus, contra quem disputat Scaliger exercitat. 9 & quos secutus est Alex. Tassonius in suis Italis problematibus, problem. 1. Et primũ fuit Pythagoreorum opinio, qui putarunt præter ignem, quo nos vtimur, & qui in subterraneis locis cõditur, non extare aliud ignis elementũ propè orbem Lunæ; quin in centro Mundi ignem constituerunt, & locum illum Iouis custodiam, & totius Mundi focum appellarunt, vt referunt Arist. lib. 2. de cæl. cap. 13. Plutarchus 3. de plac. cap. 11. Augustin. lib. 2. de Genes. ad litt. Hinc aliqui dixerunt, ignem ex centro transmittere spiritus vegetabiles, fouere interna viscera telluris, & perfectã mixtionem rerum efficere. Quicquid sit de igne subterraneo, quem in centro terræ existere, ex verissimis fidei christianæ principijs pro certo habemus, recolendum est, in prima rerum omnium creatione, quatuor elemẽta fuisse à Deo producta, vt tradiderunt Beda in lib. Hexameron, Damascen. lib. 2. fidei Orthodox. cap. 5. D. Basil. hom. 2. de Mundi opificio, licet Moyses duo tantum commemorauerit elementa, nempè terram, & aquam, vt potè notiora rudi populo, quem instruebat. Quamobrem, sicuti tria elementa, terra, aqua, aer habent in Vniuerso suum locum, & sedem destinatam, ita receptaculum ignis est prope orbem

Negantes elementũ ignis.

Quatuor elementa creata habentia proprias sedes.

bem Lunæ, vel in concauo Lunæ.

Consideranda quidem sunt verba Aristotelis 1. Meteor. cap. 4. *In medio igitur, & circa medium est grauissimum, & frigidissimum segregatum, terra, & aqua; Circa hac autem, & attigua his, & aer, & quod propter cõsuetudinem vocamus ignẽ, non est autem ignis; excessus enim calidi, & velutì feruor est ignis.* Sensus Aristotelis est partes aeris raras, tenues, & subtiles, quæ reperiuntur in superiori parte sphæræ elementaris, ex consuetudine appellari ignem, cùm tamen verè non sint ignis, quoniam ignis est excessus calidi, & est feruor; ille autem aer non est feruidus, neq; habet caloris excessum, idcirco non est ignis. Vulgariter tamen, & ex consuetudine, ignis appellatur, vel quia ille aer est proxima potẽtia ignis, & facilè in ignem cõmutabilis, vel quia cùm vocabulum πῦρ sit barbarum, vt testatur Plato in Cratylo, & propriè tantum significet inferiorem ignem, qui ob densitatem materiæ, & partium inter se cohærentium validissimus est, & acerrimè vrit, quod cum non efficiat ignis supra aerem positus, ex consuetudine tantum illo vocabulo notatur; Et hæc est interpretatio D.Th. in ea verba quam sequuntur Conimbric. lib. 3. de cælo c. 5. quæst. 1. art. 2. Quapropter Peripatetici asserentes ignem esse in concauo Lunæ, non loquuntur de igne nostrate, omnia deuorante, sed nomine ignis elementaris ibi insidentis, intelligunt illã partem aeris, subtilem, raram, magis spiritosam, & magis viuidam, quæ suapte natura sursum ascendit, & hoc est quartum elementum corporum, quoniã ex his partibus subtilibus, & spirituosis omnia sublunaria componuntur. Hinc non approbo pronunciatũ recentis Philosophi, scilicet elementũ ignis, ex quo conflantur mixta, esse partem sulphuream, iuxta illud chimicum proloquium, omnia mixta sale, sulphure, & mercurio componuntur; Sed ignis elementaris non est sulphur, at illa pars rara, & tenuissima aeris, quæ, vt loquitur Aristoteles, potentia est ignis, & facilè flammam concipere potest.

Ignis elementaris non est sulphur, sed pars subtilis, & spiritosa aeris.

Obijcies; Ignis sursum ascendit, & eleuatur, vt coniungatur suo principio, nimirum Igni elementari existenti in superiori parte ætheris. Cæterùm, si ignis actu ibi non reperitur, vnde oritur motus ignis ad partes supernas? facilè responderi potest, ignem sursum ferri, vt vniatur quidem suo principio, sed soli, & syderibus, quæ sunt igneæ substantiæ, vt Quæsito sequenti explicabo; Eleuatur autẽ in figura pyramidali, vt faciliùs ascendat, & quia illa figura aptior est ad scindendum aerem.

Ignis sursum ascendit, vt vniatur sideribus igneis.

Obijcies secundo. Si illa substantia cælo contigua non est ignis, est certè aer subtilis, & tenuis, potentia ignis, vt diximus, idest proximè dispositus ad accipiendam formam ignis; ex quo fit, vt motus cæli, ex Aristotele, disgregando, & quasi diuellendo partes magis accensibiles illius aeris, easque deorsum detrudendo, possit incendio Vniuersum absumere. Hanc obiectionem paulò infra dissoluam, examinando modũ, quo Sol calefacit, & refellendo Aristotelem putantem, à motu cæli aerem disgregari, & igniri, atq; ignem deorsum deijci.

Quæ cùm ita sint, asserendum est, illum ignem supradicto modo consideratum, proximum orbi Lunæ, & in ipsius concauo existentem, non posse inferiora elementa, & mixta naturaliter comburere, tùm quia non est actu ignis, sed tantum potentia, tum etiam, quia esto, quòd esset ignis actu, ipsius feruor, & vehemẽtia obtunditur ab humiditate aeris, imo à frigiditate mediæ regionis aeris, adeò vt non possit cætera elementa destruere. Addo, quòd ille calor est in substantia rara, vnde multò minus efficax est, quàm in materia densa; Idcircò minus vrit flamma, quàm carbo, & minus carbo, quàm ferrum candens. Tãdem tanta est inter se elementorum consonantia, & armonia, vt vnum aliud, vel alia vnum destruere nequeãt. Ideò quaternarius numerus elementorum per tot sæculorum myriadas semper durat, & quę incommoda elementa à se mutuo accipiunt, agendo, & patiendo, resarciunt etiam, & compensant.

Si ignis existit in concauo Lunæ non potest inferiorẽ Mũdum destruere.

Porrò hoc elementorum æquilibriũ, quo Mundi author contraria elementa ita temperauit, vt nullum ex eis reliqua excedat, preclarè ab Aristotele describitur lib. de Mundo ad Alex. cap. 6. his verbis:

verbis: *Author natura naturas quàm maxime contrarias, veluti edicta concordia, adstrixit ad conseruum, mutuumque commercium, cuius rei causa est concordia elementorum; Concordia porrò est causa aequabilitas, & quod alterum altero non plus pollet; Ad aequilibrium enim adaquat grauia cum leuibus, calida cum frigidis, natura vtiq; nos docente, in maioribus aequalitatē esse nutricem concordiam, ac seruatricem.* Id quod etiam eleganter cecinit Boethius lib. 4. de cōsol. Philosoph. hisce carminibus.

Æquilibrium elementorū ex Arist.

Idem ex Boethio.

Hac concordia temperat aquis
Elementa modis, vt pugnantia
Vicibus cedant humida siccis,
Iunganti; fidem frigora flammis,
Pendulus ignis surgat in altum,
Terraq; graues pondere sidant.

Verùm, si ignis naturalibus non pollet viribus ad Mundum inflammandum; supernaturaliter, vt instrumentum diuinæ iustitiæ, & potestatis id præstabit, vt in 2. parte huius Tractatus explicabimus.

QVAESITVM QVARTVM.

CAPVT PRIMVM.

An Sol naturaliter Mundum possit inflammare.

OCellus argumentatione supra allata sibi persuadet, à nulla causa interna excidium Mundo inferri posse, & demonstratum à nobis est, Mundum neq; ab aqua, neq; ab igne postrema clade naturaliter afficiendum esse, atq; cùm nullum sit dubium, quòd terra, vel aer mundanum occasum moliri queant, superest inuestigare, an Sol, & astra incendium vniuersale producere possint. Quæ dubitatio hac de causa potissimùm vrget, quia Sol, & sydera igneæ sunt naturæ; Ideò cùm sua magnitudine terræ globum longissimè superent, dubitandum est, ne aliquando incendio Solis, & syderum, mundana moles conflagret. Solem autem, & sydera igneæ substantiæ constituerunt non solùm antiqui Philosophi Democritus, Anaximander, Xenophanes, Anaxagoras, Empedocles, Zeno, & in primis Plato, sed sacri nostræ religionis, & christianæ doctrinæ proceres, Basilius, Ambrosius, Cyrillus Hierosolimitanus, Augustinus, Gregorius Nyssenus, Beda, Isidorus, Athanasius, & alij, quorum testimonia recensere supersedeo, quia videri possunt accuratim collecta à P. Christophoro Schemer Rosa Vrsina parte 2. cap. 17. vbi afferens authoritates Patrum existimantium, [illegible] aquas supra cælos reperiri, indicat, Patres ad id affirmandum potissimùm adductos esse, vt illis aquis syderum ardor, ac æstus iugiter temperetur. Quamobrem cùm priscorum philosophantium, & sacrorum Doctorum calculo firmatum sit, Solem igneæ naturæ præditum esse, iuremeritò oritur causa contra Ocellum dubitandi, an Sol hunc inferiorem Mundum naturaliter queat inflāmare. Porrò ad hanc dubitationē penitus excutiendā, opus est rei certè [illegible] omnes modos, quibus Aristoteles, & Peripatetici putarunt, Solē calefacere, non quidem propter suam igneam substantiam, sed ob alios modos, & causas, quas accuratè examinabimus, vt nimirum, alienis erroribus patefactis, maneat indubitatū, Solem esse igneum, & allata dubitatio in maiori robore consistat.

Sidera ignea substantia.

Atq; vt ab Aristotele auspicemur, ipse modum excogitauit, quo Sol hæc inferiora calefacit, putauitq; Solem propter suam propinquitatem, motusque celeritatē, disiicere, segregare, conterere aerē, ipsumq; inflammatum ad interiora detrudere; cuius verba ponam 2. cæli text. 42. *Calor autem ab ipsis, & lumen generatur, attrito aere ab illorum latione; nam natura aptus est motus ignire, & ligna, & lapides, & ferrum.* Et rursus idem Aristoteles repetit. *Aerem autem, cùm sub corporis circulariter moti sphæra existat, necesse est, cùm illa fertur, incalescere, & hac maxi-*

Arist. sententia de modo, quo Sol calefacit.

maximè, qua Sol extat infixus. Qua propter, approximante ipso, & oriente, & super nos existente, generatur calor. Et primo Meteor. cap. 4. hæc habet. *Cum autem fertur primum elementum circulo, & corpora, quæ in ipso sunt, id quod propinquum est, semper inferioris Mundi, & corporis motu disgregatum accenditur, & facit caliditatem.*

Hęc opinio penitus est improbanda. Etenim cùm Sol, non in secunda sede, vel orbe, vt perperam censet Aristoteles, sed in quarta sphæra supra Lunam, Mercurium, & Venerem ab omnibus collocetur, non potest Sol attingere aerem sibi proximum, vt supponit Aristoteles, ipsumque conterere; Sed esto, non Solem, sed vniuersam cælorum molem, & congeriem, vt Aristotelis dicta extorta explicatione interpretatur Auerroes, attingere aerem, ipsumque agitare, imò aerem contiguum, & propinquum cælo, motione cæli diuelli, & vi deorsum detrudi, non tamen hinc sequitur, hoc modo calefieri, & inflāmari hæc inferiora; Etenim sola corpora solida, stabilia, densa, & dura, quæ sibi inuicem magno impetu resistunt, & quæ recipiunt, & sustinent plures ictus, apta sunt excitare flammam ex aere inter ipsa corpora interiacente, vt videre est ex mutua percussione duorum ensium, quorum aer intermedius contritus, & disiectus, concipit flammam, vel vt aliqui asserunt de calybe, silicem percutiente, ex quibus ictibus assurgit ignis, qui oritur, tùm ex particulis siccissimis eiusdem silicis in ignem cōuersis, tum ex aere inter silicem, & calybem percusso. Cæterùm, cùm aer motus, & agitatus a Sole, vel à tota cæli congerie diffugiat, cedat ictibus, nullatenus renitatur; planè sequitur, aerem non posse ad cæli tactum inflammari.

Refellitur opinio Aristotelis.

Sed magis perstringenda est Aristotelis ratio; Nam considero aerem, ex ipsius sententia, in concaua superficie Lunæ inclusum, & assero, ignem, vel aerem illum, moueri quidem circulariter cum diuturna circumrotatione Lunæ, sed nequaquam diuelli, aut deorsum detrudi; Non ob rationem allatam à Galileo in disputatione inita inter ipsum, & P. Grassium, personatum nomine Lotharij, scilicet, quia non aspera, sed æqualis, læuigata, & polita est superficies Lunæ, vnde non potest premere, atq; propellere aerem, ipsumque detrudere; sed quia reuera diuulsio, & separatio illius corporis fluidi, tenuissimi, ac leuissimi repugnat ipsius naturæ, & substantiæ, quę carens omni grauitate, violentiæ solùm deorsum descenderet, atq; ita in natura, imò in parte superiori ipsius naturæ, esset violentum continuum; quod sanè abhorret Philosophia. Nam quemadmodum corpori liquido incluso in vase naturale est moueri, & rapi cum ipso vase super suum axem velociter rotato, vt patet in aqua, quæ simul cum vase, quod implet, velociter rotatur, absq; vlla diuulsione aquæ, quin partes aquæ diuisioni resistunt, & sibi tenaci naturæ conatu adhærent, ita inclusus aer, vel ignis in concauo Lunæ, vel illa superficies sit aspera, vel læuigata, circumfertur quidem, sed non diuellitur, neque deorsum impellitur, quia id naturæ, vnioni, & continuationi aeris repugnat.

Ignis deorsum non detruditur.

Porrò exemplum ab Aristotele allatum de sagittis, quæ dum feruntur per aerem, igniuntur, atque in plumbatis mucronibus colliquescunt, vt ipse asserit secundo de Cæl. text. 42. est penitus ab experientia reprobatum. Imò experientia patet, ferrum candens per aerem rotatū, non liquefieri, sed refrigerari; Quod si globus plumbeus è sclopo explosus, maiori velocitate defertur per aerem, quàm sagitta ab arcu excussa, & tamen ille globus non liquescit, nec incalescit, multò minus incalescet, & liquefiet sagitta; Vnde mirandum prorsus est, tam insignem Philosophum adeo inania proferre. Sed vltrò demus Aristoteli, corpus illud tenuissimum proximum Soli, esse ignem, & deorsum violentia propelli, ex quo sequitur calefactio in hoc Mundo inferiori, dico hinc etiam sequi, quòd tam ęstate, quam hyeme, calor sentiatur à nobis, cùm omni tempore illud corpus à motione cęli deorsum trudatur, & tàm in vmbris, syluis, & speluncis, quàm in aperto agro æstus vrgere possint, cùm æqualiter illud corpus ad omnia loca calefacienda im-

Exemplū Arist. de sagittis ignitis per aerem eluditur.

Ignis deiectus etiam in hyeme calefaceret.

impellatur. Propter quæ absurda eximij Peripatetici; Philoponus inter Græcos, Zabarella, & alij inter Latinos, coacti fuerunt hac in re deserere Aristotelem, quamuis Alexander, & Auerroes ipsum tueri nitantur fallacibus rationibus, & cauillis, quos redarguit Telesius, lib. 2. de rerum natura cap. 18.

CAPVT SECVNDVM.

Alij reijciuntur modi, quibus Sol dicitur calefacere.

Simplicius secundo cæli in text. 42. existimauit, caliditatem Solis à proprio lumine deriuare, eò quia radij, tanquam subtilia corpuscula, attenuãt, & rarefaciunt aerem, ad quam rarefactionem sequitur calor. Sed hæc opinio omni caret probabilitate, quoniam Aristoteles lib. 2. de Anima text. 69. lumen non esse corpus, clarissimè demonstrauit.

Radij non sunt corpuscula.

Alij affirmarunt, lumen reflexum calefacere, quia scilicet in reflexione fit recursus radiorum ascendentium, & descendentium, quæ duplicatio validior est, cùm fit ad angulos rectos, quibus magis partes aeris atteruntur. Verùm id supponit lumen ex sua natura calefacere, quod primùm est probandum; Namq; si id non habet ex se, nec etiam ingeminatum id præstare poterit. Addo, quòd si naturaliter impertita esset lumini facultas calefaciendi, non confugisset Aristoteles ad circumlationem Solis circa aerem ab ipso attritũ, & calefactum, sed sat fuisset asseuerare lumen suapte natura calefacere.

Lumẽ ex se non calefacit.

Hinc grauiter hallucinatur Cæsalpinus lib. 3. Peripateticarum Quæstionum quæst. 7. asserens perspicuum, in quo recipitur lumen, pati susceptionem quandam, dilationem, apertionem, & dispositionem à lumine; quę dispositio, inquit ipse, est attritionis, & caliditatis principium; decipitur, inquam, quoniã lumini, eò quòd non est corporea, sed spiritalis qualitas, nulla attritio, nulla extenuatio conuenire potest.

Error Cæsalpini, quod lumẽ atterat aerem.

Zabarella lib. de calore cælesti cap. 10. ferè consentit cum Cæsalpino, putans, hanc esse naturã luminis, vt calefaciat per attritionem, & aerem extenuãdo, ad quam extenuationem sequitur calor; Quod lumen, subdit ipse, debet esse magnum, & vehemens, quia debile, & exiguum id præstare nequit: Deinde considerat Zabarella, lumen, seu radios rectos, & simplices, aut nullum, aut exiguum producere calorem; Et hac de causa media aeris regio non calefit à radijs Solis ipsam percurrentibus, quia simplices rectà transeunt, sicuti vehemẽter æstiuo tempore postrema aeris regio incalescit, quia radij in terram proiecti, ex ipsa terra resilientes, inuicem geminantur, vnde radiorũ inter se collisione extenuatur aer, atque calidior euadit.

Zabarellæ sententia de lumine atterente aerem explicatur, & refellitur.

Hæc sententia Zabarellæ à veritate longè recedit; nam eò dirigitur, & collimat, vt admittat radios, tanquam corpora, attenuare, & conterere aerem, quod certè non concedit Aristoteles, qui agnoscens attenuationem, sectionẽ, & disgregationẽ non competere, nisi corpori, eiusdem aeris contritionem, & disiectionem non lumini, sed Solis circumrotationi attribuit. Imò primo de cælo, text. 42. hęc habet. *Calor autem ab astris, & lumen generatur, attrito aere*; Quare Aristoteles, licet perperam, putauit potius ab attritione aeris lumen ipsum produci, quam quòd lumen in aere attritionem efficiat. Sed quemadmodũ falsum est, lumen atterere aerem, ita absurdum est, aerem attritum à Sole calorem producere; Etenim cùm aer à motu cæli omni tempore atteratur, vt supra indicaui; sequitur, quod hyeme, nocte, & in vmbris calor persentiatur: quin in extremis Mundi polis calor aliquis excitabitur, quamuis enim cælum ibi tardius moueatur, minusque aerem impellat, nihilominus ex aeris qualicumque disiectione, calor ibi producetur,

tur, & tamen compertissimum est, vtrumque polum in suis extremitatibus frigidissimum esse.

Valesius lib. 1. de sacra Philosoph. cap. primo asserit, ignem non habere sedem in natura determinatam, carere proprio motu, & tamquam animam Vniuersi, per omnes partes moueri, & permeare, & cùm habeat similitudinem, & cognationem cum lumine, trahi ab ipsomet lumine, adeout vbi maior est copia luminis, ibi copiosior sit cursus ignis ad ipsum lumen accurrentis. Quamobrem, cùm æstiuo tempore maior sit solaris luminis copia, diùque in aere moretur, acrior etiam, & vehementior æstus percipitur. Hæc Valesij sententia alias mihi probata fuit, & in publicis thesibus à me iuuene expositis olim defensa, atque explicata in Italo Discursu, quem olim Romæ habui in nobilissima Academia Serenissimi Principis Sabaudiæ Mauritij, eo tempore Cardinalis, quem Discursum vna cum alijs Augustinus Mascardus, vir nunquam satis laudatus, & de humanioribus litteris optimè meritus, typis mandauit.

Valesij opinio de cognatione ignis cum lumine refertur, & refellitur.

Sed dum animo reuoluerem, quî fieri possit, quòd lumen attrahat ignem, agnoui, Valesium in lumine cæcutire; Siquidem attractio conuenit, vel causæ finali, quæ dicitur attrahere, sed metaphoricè; vel causæ efficienti, quæ non attrahit, nisi cum re attracta coniungatur. Quare si lumen attrahit ignem, non quidem in ratione causæ finalis, & metaphoricæ, sed causalitate efficienti ipsum trahat necesse est; Ideò ignis attractus à lumine mouebitur motibus contrarijs, nimirum sursum, deorsum, dextrorsum, sinistrorsum, & orbiculariter; quoniam per has omnes locorum differentias lumen diffunditur. At quis ignorat vni corpori simplici, vt est ignis, plures, imò contrarios motus attribuendos non esse? Quamobrem, cùm hæc attractio luminis ignem quodammodo cum seipso colligantis, sit figmentum, à Valesij sententia recedere cogor.

Huic opinioni aliqua ex parte adhæsit Thomas Gianninius Philosophus egregius, Conciuis meus, tract. de lumine cap. 18. vbi non admittit quidem, ignē sedem determinatam in natura non habere, imò approbat ignem in concauo Lunæ collocatum à latione cæli deijci, & detrudi, & lumini Solis, tamquam qualitati simili, copulari. Quæ opinio ratione supra allata refellenda est, scilicet, quòd cùm semper fiat eadem Solis circumrotatio per aerem, & eadem simul ignis deiectio, consequitur quòd tā æstiuo, quàm hyberno tempore, ignis deiectus, & lumini Solis coniunctus, hæc inferiora calefaciat. Et quantum attinet ad ignem motu cæli ad inferiora proiectum, multa hinc egerminant absurda.

Gianinij opinio explicatur, & reijcitur.

Primum admittitur, ignem ad suum proprium, & naturale munus obeundū, quod est calefacere, accedere violenter, nimirum depulsum, & à cælo deiectum. Præterea, cùm ignis duo sint munera, nimirum esse partem cōstitutiuam Vniuersi, & principium, seu elementum, componens vnumquodq; mixtum, quî fieri potest, vt violentia expulsum relinquat propriam sedem, quam obtinet, vt est pars Vniuersi, scilicet hypecauma Lunæ, & veniat ad mixtionem? Porrò, si ignis deiectus, per mediam aeris regionem pertransit ad hæc inferiora calefacienda, quis inficiari potest, ipsum ignem mediam aeris regionem frigidissimam in transitu non calefacere? vnde illa regio non frigida, sed temperata, erit existimanda. Animaduertendum est, hæc errata supponere, ignem existere in concauo Lunę, quod tamen nos, etiam ad mentem Aristotelis, supra negauimus, & dolemus, Peripateticos hoc absurdum impingere Aristoteli.

Rationes cōtra ignē deiectū à concauo Lunæ.

Vt igitur in re prorsus difficili meam qualemcumque exprimam sententiam, existimo, Solem calefacere, quia formaliter est calidus, non virtualiter, aut eminenter, itaut sit causa æquiuoca caloris in Mundo inferiori producti, vt plures Peripatetici affirmant, & vulgatum est dicterium; sed quia est causa vniuoca formaliter calida, & ignea prædita natura. Itaque sicuti Sol habet naturalem potentiam illuminandi, ita & calefaciēdi; Neq; lumē Solis calefacit, sed calor coniunctus lumini quemadmodum lumen ignis non calefacit, sed calor emanans à substantia ignis. Etenim lumen præcisè, & per se non habet facultatem cale-

Authoris sententia de vera calefactione Solis.

Lumen ex se non calefacit sed calor.

calefaciendi, sed tantùm illuminandi, alioquin omne lumen calefaceret; & nihilominus communi Astrologorum cõsensu decretum est, lumen Saturni, & Lunæ non calefacere. Quoniam verò non solum lumen reflectitur, sed etiam calor, qui, vt patet experientia, in materia densa, puta ferrea ignita, conduplicatur, & reflectitur; idcircò assero, calefactionem Solis augeri quidem à reflexione caloris, directè tamen calorem ipsius Solis calefacere; Quapropter hyberno tempore, quo Sol obliquo radio percutit tellurem, sicuti non ingeminatur lumen, ita nec duplicatur calor, vnde eo tempore frigescimus, licet Sol nobis sit propinquior per octoginraduos semidiametros terræ; secus euenit tempore æstiuo, & præsertim in solstitio, quando Sol pũcto nostro verticali propinquus, radios, & calorem ad angulos rectos ad terrã eiaculatur, vnde radius, & calor in seipsum reflectitur, & idem quodammodo fit ascendens, & descendens; Propterea calor per lineas rectas descendens, magis recipitur in plano, cuius plures partes à lineis rectis percutiuntur, quæ magis vniuntur, quàm obliquæ, & consequenter maioris caloris portiones producunt. Hanc sententiam eò veriorem esse reor, quò magis ipsam innixam video non solùm SS. Patrum, sed etiam sacræ Scripturæ testimonijs, quæ notanda sunt apud Scheinerum loco commemorato. Quocirca semper admiratus sum, Aristotelem acutissimo suo ingenij lumine hanc veritatem non obtinuisse, sed fortasse ductus libidine cõtradicendi antiquis Philosophis existimantibus, sidera igneæ substantiæ esse, in syrtes supradictas impegit.

Non solũ lumen, sed calor reflectitur.

Causa caloris Solis æstate, & nõ hyeme.

Porrò veritas huius sententiæ magis fundatur in contrarijs obiectionibus euertendis, quarum tres potissimæ ipsam premunt, & vrgent Prima est: Igni conuenit, tanquam corpori simplici, vnicus motus, scilicet à medio sursum; ergo si sol, & sydera sunt ignea, ignis habet alium motum, nempè orbicularẽ, à quo cùm perpetuò agitetur, planè sequitur, ignẽ æterno motu violenter cieri, quod non est admittendum. Cui difficultati facilè potest occurri, si duplici ratione spectetur ignis, nempè vt est in fieri, & generatur extra proprium locum, vel vt iam integram, perfectamq; naturam, ac proprium locum adeptus est. Ignis primo modò consideratus, sursum fertur ad quærendam integritatem suæ substãtiæ: ad locum proprium cõsequendum: ad se suo principio coniungendũ; Quod totũ reperit in cęlo, in quo dũ ignis conflatus, & conglobatus in orbem mouetur, non violẽter, sed naturaliter cietur, acquisita iam perfectione, & proprio loco; Itaq; plures motus conuenire possunt vni corpori simplici, sub diuersis rationibus spectato, scilicet, vt habet rationem perfecti, & imperfecti, vel vt est extra proprium locũ, siue vt in proprio loco reperitur.

Igni conuenit duplex motus diuersa ratione

Secunda Obiectio maioris ponderis ita conficitur. Media aeris regio communi sapientum placito, frigida est, quę frigiditas inde oritur, asserũt aliqui, quòd radij solares à terra reflexi, ad tantam altitudinem non pertingunt. Cæterùm si demus, Solem, & cætera astra ignea esse, suoq; calore hæc inferiora calefacere, cũ omnis actio in extrema debeat primùm tangere, & afficere medium, necessariò sequitur, mediam aeris regionem vi caloris solaris incalescere. Confirmatur, magisq; declaratur obiectio; quandoquidem lumen, & calor Solis per aerem diffusus, non est idem numero lumen, & calor, qui à corpore Solis immediatè profluit, alioquin accidens de subiecto in subiectũ migraret, quod Philosophi prorsus abhorrent, sed lumen, & calor, dum emanant à Sole, elabuntur etiam continuò, & euanescunt, habentq; semper esse in assiduo fluxu, & fieri; itaq; non traijcitur calor immediatè à Sole ad aerem, sed calor Solis calefacit supremam aeris regionẽ, in qua ignitæ impressiones generantur, hęc verò in parte post partem calefacta, confert suum calorem propinquæ regioni, idest mediæ, quæ eodem modo calefacit inferiorem.

Ad eneruandã hanc difficultatem, consideranda est media aeris regio secundùm se, vt est aer, vel secundùm ea, quæ in ipsa regione continentur, quæ sunt materiæ conflatæ ex vaporibus, & exhalationibus, habentes in seipsis aliquam densitatem, & naturalem frigidi-

tatem; Quocirca, si consideretur substantia aeris suapte natura tenuis, peruia, & dispofita ad recipiendum calorem, & lumen, vtique admittendum est aerem mediæ regionis esse aptum natum calefieri; Si verò considerentur materiæ illæ in aeris complexu contentæ, densæ nimirum, ac frigidę, atq; cum calore Solis luctantes, dicendum est, mediam aeris regionem frigidam esse, quia quamuis calor Solis per illam trãsiens contendat agere in illas materias, easq; calefacere, attamen, cùm magnam in ipsis inueniat repugnantiam, certant inter se, neque aer concipere potest calorem, à quo frigida in ipso comprehensa perdantur; Quapropter media aeris regio, vt aer est, Solis calorem recipere potest, vt verò est veluti armamentarium pluuiarum, grandinum, & fulminum, frigida est. Quod ita fas sit magis explicare. Tolluntur spiritus calidi vi Solis è terra, aquosis immixti vaporibus, atq; vnà quodammodo peregrinãtur; In media regione, propter ipsius natiuum calorem incremento frigoris constipati, vapores humidi concrescunt in nubem; spiritus, seu exhalationes, quasi hoste obsidente, per antiperistasim inter sese coeunt, & collecta vi, acriùs incalescunt; vt incaluere, laxantur, nam calor partes laxat, quas frigus addensat; laxati spatiosiorem sedem exposcunt. Nubes, ne perrumpant, obsistit, illi ad latera nubis elisi, atque ipsa conflictatione, & motu succensi, nube tandem disrupta, eduntur in tonitrus, micant in fulgetra, erumpunt in fulmina; Quæ omnia demonstrant, mediam regionem aeris nõ amittere natiuã caliditatẽ, & tamen frigidam esse. Igitur quamuis suprema aeris regio à lumine Solis, vi caloris Solaris calefacta, communicet aliquam caloris portionẽ regioni mediæ, ipsa tamen maximam in se continet frigiditatem.

Media aeris regio sub duplici ratione consideratur.

Tertia, & vltima Obiectio est Achilles contra Ocellum instructus ab Aristotele lib. primo Meteor. cap. 3. nimirũ, si Sol, & astra sunt ignea, cum sua magnitudine infinito quasi interuallo molem elementorum superent, eueniet aliquando, vt Mundum inferiorem inflãment, atque Mundus pereat per cataclysmum ignis naturaliter; atq; ita falsitatis conuinceretur Ocellus putans, à causa interna Mundũ interfici nõ posse.

Huic obiectioni respondendum est, negando elementa à Sole, & ab astris, licet igneis, destrui posse, hac potissima de causa, quia tanta est distantia elementorum, & præsertim terræ ab astris, vt nequeant in tanta distantia suas effundere vires, suamque exercere validissimam actiuitatem. Etenim necesse est, vt causa agens tangat subiectum patiens, si ipsum debet commutare; at cùm Sol longissimè distet ab elementis, & potissimùm à terra per multos terræ semidiametros, quos considerant Astronomi, & nos quoq; Disputatione Astronomica obseruabimus; non potest ipse Sol terram comburere, quamuis sit maior ipsa terra, vel centies sexagies, vt antiqui, vel centies quadragies, vt recentiores opinantur; multò minus id præstabunt illa astra, quæ minori quantitate, quàm Sol, terræ molem excedũt, & sunt ab elementis magis remota. Prętererea, si Sol naturaliter Mundum inferiorem comburere potest, vel id faciet, quà calidus est; vel quà calidus, vnaque factus propinquior telluri; Si id efficiet, vt calidus, ergo cùm ab initio suæ creationis eadem caliditate semper præditus fuerit, iam aliquam partem elementorum destruxisset; At videmus, Solem, & astra nullam lęsionem ad hæc vsque tempora elementis attulisse, igitur, non vt calidus simpliciter, Sol destruere potest hanc inferiorem plagam; Si verò vt calidus, & vt propinquior factus id efficiet, ostendenda est illa ficta propinquitas Solis, quam imaginatur Campanella, contra quem aeriter in Disputatione Astronomica disputabimus; Quare, cùm Sol, neq; mutauerit, neq; naturaliter mutare possit sedẽ, & telluri propinquior fieri, planum fit, ipsum vnà cum astris naturaliter nõ posse sublunarem orbem comburere. Accedat, quòd calor Solis continuò retunditur ab humiditate aeris, & à frigiditate terræ, & aquæ; vnde hæc tria elementa cum Solis calore pugnantia, satis possunt seipsa ab incendio solari defendere: Non prætermitto, cælum ab vniuersa sapientum cohorte principium vi-

Distantia Solis a terra impedit incendium Solis.

Sol neque, vt calidus neque, vt propiquus, comburere potest Mũdum inferiorem.

vitale rerum inferiorum, & primam causam omnium generationum appellari, quæ attributa Soli potissimũ attribuuntur; igitur prorsus præstantiæ Solis, & syderum aduersatur pernicies, & interitus Vniuersi; Et quamuis hæc à nobis tradita Ocelli argumentationi consona sint, nimirùm, quòd neque ab hac causa interna interitus Mundi profici sci potest, attamen non sequitur, ipsum immortalem fore, cùm ab alia potentiori causa interitus sit ipsi Mundo inferendus. Aliquam ingerit difficultatem circa hanc thesim Aristotelis opinio de zona media inhabitabili, eò quia comburitur à Sole; nàm si verum esset, quòd aliqua Mundi pars ab ipso Sole inflammaretur, certè timendum esset, ne incendio eiusdem Solis reliquæ Mundi partes absumerentur. Itaq; non est ab re de opinione Aristotelis aliqua breuiter considerare.

CAPVT TERTIVM.

An zona torrida sit habitabilis, vel à Sole combusta.

Zona torrida à torrendo appellatur, quam inhabitatam esse, propter Solis inflammationẽ Aristoteles lib. 1. meteor. cap. 2. alijq; veteres Philosophi Græci arbitrati sunt, atq; inter Latinos, Beda, qui lib. de temporum ration. cap. 32. ita loquitur: *Neque enim, vel Antipodarum vllatenus est fabulis accommodandus assensus, vel aliquis refert historicus, vidisse, vel audisse, vel legisse se, qui meridianas in partes Solem transierunt hybernum; Itaut post tergum relicto, transgressis Aethyopum feruoribus, temparatas vltrò eos, hinc calore, hinc rigore, atq; habitabiles mortalium sedes reppererint.*

Authores pro Zona torrida inhabitabili.

Compertum est etiam, Virgilium in Georgica sententiam secutum esse Aristotelis his carminibus.

Quinque tenent cœlum zonæ, quarum vna corusco
Semper Sole rubens, & torrida semper ab igne.

Id quod etiam cecinit Ouid. lib. 1. metamorphos.

——— totidemq; plaga tellure premuntur,
Quarum, quæ media est, non est habitabilis æstu.
Nix tenet alta duas, totidem inter vtramq; locauit,
Temperiemq; dedit, mixta cum frigore flamma.

Itaque antiquis persuasum fuit, mediam zonã ardore Solis flagrare, duas extremas zonas, propter Solis distantiam, nimio frigore obrigere, reliquas autẽ duas præ cœli benignitate, & clementia, temperatas esse; Nunc verò longa temporis experientia compertum est, & nauigationibus celeberrimis comprobatum, zonas frigidas habitabiles esse in vltimis Septentrionis partibus, ex quibus, vt supra diximus, copiosissimi exercitus prodierunt, & elapso sæculo, Hollandi Zemblam, quasi sub polo positam, detexerunt. Porrò media zona plerisq; in locis, non solum æstu non torretur, sed temperata est, & ingenti fructuum copia abundat. Causa autem præcipuè petitur ab imbrium frequentia; etenim in locis sub zona torrida cõstitutis, viget quidem calor, qui multam vaporum copiam euehit in sublime, non tamen ita vehemens est, vt vapores absumat, qui proinde in nubes concrescunt, & creberrimis aquis ea loca irrigando, æstum compescunt, & demulcent. Multùm etiam prodest ad temperandas Solis flammas Oceani propinquitas, præsertim in ea parte mediæ zonæ, quæ ad nouum pertinet Orbem, cuius magna pars aquis Oceani alluitur, præter ventos è mari semper efflantes, ardoresque mitigantes; Neque eadem est totius æquinoctialis plagæ temperies; quoniam in aliquibus locis frigida est, vt multi ad Occidentalem Indiam nauigantes, testati sunt, quia ibi excelsi assurgunt montes, quorum ca-

Rationes pro Zona torrida habitabili

capita perpetuis niuibus canescunt; In alijs autem locis feruida est, sicut in Monopatama,& in insulis Molucis,atq; in regione, seu regno Regis Abyssinorum, quæ regio in medio zonæ torridæ cõstituitur;Non tamen summa Æthyopum nigredo Soli nimis feruenti attribuẽda est, sed vel Æthiopum stirpi, vel illius telluris qualitati,quę arida, & sicca, Æthyopum corpora nigredine afficit; Tandem temperies eiusdem zonæ ex qualitatibus incolarum colligitur;Etenim gentes illę timidæ sunt, atq; imbelles, ingenio tamen pollent, & industria, quod est proprium calidorum climatum,quemadmodum frigidis regionibus inest quidam ingenij stupor, sed animi ingens ferocitas,atq; audacia.

Hæc sub æquinoctiali temperies adduxit aliquos ad putãdum, Paradisum terrestrem ibi à Deo fuisse plantatum, quam opinionem adamarunt Tertullianus in Apologetico aduersus Gentes, D. Bonauentura, & Durandus. Caterùm D. Thom. prima parte quæst. 102. art. 1. docet, Paradisum terrestrem in Orientalibus partibus constitutum fuisse, quia credendum est, ait ipse, quod in nobiliori terræ loco fuerit collocatus;Cùm autem Oriens sit dextera cæli, ex Philos. 2. de cælo text. 15. & dextera sit nobilior sinistra, decebat, vt in Oriẽtali plaga Paradisus terrestris a Deo institueretur; Quod antea tradiderunt Damascenus lib. 2. de fide orthodoxa cap. 10, & Isidorus lib. 14. ethimolog. cap. 3. atq; id clarissimè patet ex Moysis verbis, quibus enarrat ad plagam Oriẽtem regionis Heden locatum fuisse Paradisum; Terra verò Heden, vel Mesopotamiæ pars est, vel ei propinqua. Porrò constat duo Paradisi flumina, Tigrim, & Euphratem, originem ducere ex mõtibus Armeniæ, & decurrendo per Mesopotamiam, Assyriam, & Chaldæam, in sinum Persicum deuoluere, & cum alia duo flumina, Phison, & Gehon, non inde procul fluant, coniectari fas est, Paradisum terrestrem circa illas regiones consitum fuisse. Itaque quamuis temperatissima sit zona torrida, non ibi tamen constituendum esse Paradisum terrestrem, tradidit eruditissimus Æneas Syluius, qui fuit Pius II. libro histor. Asiæ, & Europæ cap. 5. Idcirco placuit Pererio lib. 3. in Genes. cap. 2. affirmare, vel in Mesopotamia, vel non indę procul Paradisum extitisse.

Paradisus non fuit sub Zona torrida, sed in Oriente.

Opus est rationes pro Aristotelis opinione de inhabitabili zona torrida diluere. Ratio autẽ potissima hæc est. Quò magis radij Solis directè feriunt, magis calefaciunt; sed loca sub media zona collocata perpendiculariter feriũt, ergo ipsa inflammare potens est Sol; Et quidem directè, vel ad angulos rectos Solem percutere loca sub zona torrida constituta, patet ex Syene, Ciuitate ibi posita, de qua canit Lucanus.

Rationes Arist. de Zona torrida inhabitabili refelluntur.

—umbras numquam flectente Syene.

siquidem asserunt Geographi, quòd cũ Sol directè sit verticalis illi Ciuitati, circum circa per triginta stadia corpora nullas proijciunt vmbras; Quare cùm sub ęquinoctiali vmbra pusilla sit, patet ipsum Solem perpẽdiculariter ibi ferire; Nihilominus ex hac ratione non infertur, calorem ad angulos rectos à Sole ibi productum comburere terram, sed quidem maiorem esse calorem, quàm sit ille, qui radio non recto producitur, & hinc non concluditur terram illam inhabitabilem esse. Et animaduertẽdum est, Solem in circulo æquinoctiali, ob directum Zodiacum, nullo ferè tempore consistere; in Tropicis autem, in quibus Zodiacus flectitur, ob illum flexum maiori temporis spatio commorari. Hinc solstitia appellantur, quia ibi Sol stare videtur. Itaq; magnam caloris impressionem Sol in ea parte æquinoctiali efficere nequaquam potest. Considerandum est etiam, ibi duas æstates, & duas hyemes esse, inter quarum vtramq;, & æstates, tres menses intercedunt, Vnde fit, vt æstates neq; valde calidæ, neque hyemes valde frigidæ sint. Propterea quod apud nos semel generatur, ibi copiosè bis producitur; & hoc argumento esse debet, illam tellurem à Sole non inflammari. Et quamuis Sol bis singulis annis per verticẽ illarum regionum incedat, attamen in alijs anni partibus, ab æquatore recedit, vt inque grad. 23. cum dimidio, & tunc regio illa nullo torret æstu; sed prorsus temperata existit.

Sub Zona torrida exigua umbræ.

Sol parũ consistit in circulo æquinoctiali.

Longius moratur in Tropicis.

Duæ æstates, & duæ hyemes sub Zona torrida.

Ibi copiosa rerũ productio.

stit. Quin, cùm Sol ascendit per verticem, solùm in puncto meridiei perpendiculariter terram percutit, in alijs autem horis obliquè ferit. Quamobrem cùm duodecim horis illas plagas illuminet, & totidem horis sub terra lateat, quod non facit in Tropicis; fit vt mora lõga Solis sub terra ipsius calorẽ diurnum ita temperet, & imminuat, vt nocturno tempore, aere maximè refrigerato, habitatores in Brasilia ad ignem accurrant. Iraque sicuti falsò supponit Aristoteles, zonas extremas esse inhabitabiles, propter nimium frigus, cùm experientia compertum sit, de regionibus intra circulos polares positis, iam barbaras gentes, composito exercitu, prodijsse, & continuò erumpere; ita clarissimum est, zonam mediam habitari, vt præter Africæ loca, fidem faciũt Peruuium, atque insulæ Molucæ, & Philippinæ; Quare constat, Solem suo radio, & calore non posse naturaliter terram comburere, & verũ esse illud, quod obijciebat Ocellus, scilicet, neq; ab hac causa interna Mundum posse extingui. Cæterùm, cùm id de Sole demonstratum sit, remanet idem de stellis patefacere.

CAPVT QVARTVM.

An Stella Canicula Mundum inferiorem valeat inflammare.

Non de omnibus stellis, sed de Syrio, vel Canicula præsertim oritur dubitatio, quia Cardani, & aliorum Astronomorum consensu firmatum, est Canem maiorem, Syrium dictum, Arabicè Alhabor, sua magnitudine Solem ipsum superare; De qua stella oriente asserunt Astronomi, quòd ipsa Mundum immodico torquet æstu, plantas exsiccat, canes in rabiem agit, & maria turbat· & à Medicis stella male ca, & corporibus humanis noxia æstimatur. Idcirco Hippocrates prohibuit purgationes eo tempore, lib. 4. Aphorism. aphoris. 5. *Sub Cane, & ante Canem difficiles purgationes.* Cuius dicti ratio affertur à Galeno, scilicet, quia eo tẽpore calor natiuus à maximo calore externo euocatus, hebetatur, vel quia cùm purgatio sit motus à circũferentia ad centrũ, & calor excitatus à Canicula trahat à cẽtro ad circumferentiam, si tunc temporis adhibetur purgatio, fit motus in corpore contrarius. Itaq; non leuis oritur dubitatio de malefica actiuitate Caniculæ in Mundũ inferiorem, adeò vt timendum sit, ne ipsa aliquando ipsi Mundo postremam afferat perniciem.

Canicula maior Sole.

Canicula maxima vis.

Eiusdem malefica qualitas.

Ad hanc dubitationem euertẽdam, supponendum hoc loco est illud, quod in Disputatione Astrologica fusè declarabimus, nimirum stellas fixas, vel totum lumen recipere à Sole, vt putauit Blancanus in sua sphera parte 3. cap. 4. vel saltem proprio lumine paruo, & exiguo fulgere. Quod si de planetis multi ex Astronomis idem affirmant, cur hoc negandum est astris fixis? Hinc cecinit Sanctissimus Vates Vrbanus VIII ode de D. Ioanne Baptista strophe prima.

Stellæ fixæ, & Planetæ habẽt lumen à Sole.

Vidit hac atas Venerem bicornem
Fulgere Phæbes æmulam;
Sed luce lucent Solis: hic, fons luminis,
Splendet, & irradiat
Cæli sydereos globos.

Ipsas autem stellas fixas lumen recipere à Sole indicant ipsarum ortus, & occasus; Ortus, inquam, Heliacus, quo apparet astrum, quod antea ob Solis viciniam non apparebat, & occasus Heliacus, quo occultatur astrũ, itaut amplius prę Solis vicinitate cerni nequeat. Hinc Sol singulis annis inerrantes stellas percurrens, & fulgore suo eas contegit, idest heliacè occidit, & easdem prætereriens, suo fulgore liberat, quod est heliacè oriri, & apparere, vnde fit vt earũ lumen à propinquitate maiori, atq; minori ipsius Solis ita varietur, vt totum lumen à Sole haurire videãtur. Quapropter

Ortus Heliacus, & occasus syderum.

per si Canicula recipit lumen à Sole, ergo etiam ab eodem calorem mutuatur; si autem Sol terram comburere nequit, neq; minùs id præstare poterit Canicula.

Pro qua re penitus explicanda, demonstrandum à nobis est, æstum tempore Caniculæ vrgentem, per accidens tantùm contingere, atq; ob causam diuersam ab illa, quæ vulgo iactatur. Consideranda sunt ea, quæ tradita fuere ab Aristotele secundo Meteor. c. 5. vbi affert causam, propter quam in ortu Orionis, ortu, inquam cosmico, vsque ad Etesias, & Prodromos, magna tranquillitas aeris existat, quia scilicet, docet Vicomercatus, iuxta mentem Aristotelis oritur Orion, Geminis exorientibus, positus inter Geminos, & Taurum. Et cùm suprema stella in cingulo Orionis secundæ magnitudinis, tricies, secundùm Tychonem, imò plus, secundùm alios, terram mole sua superet; absoluitur huius stellæ ortus cum ortu Cancri, quo tempore Sol ad verticem nostrum ita accedit, vt vlteriùs progredi nequeat, atque ita perpendiculari radio tellurem percutit, vt æstus maximè sentiatur, qui summus ardor Solis dissipat, absumit, extinguit exhalationes, ex quibus venti turbantes aerem conficiuntur. Ob id iuremerito dixit Aristoteles, in ortu Orionis tranquillitatem in aere dominari, vsque ad Etesias, & Prodromos, qui, vt ipsius verbis, post Versiones flare incipiũt: per Versiones autem intelligit Tropicos, siquidem Tropicus idem valet, atq; sonat ac conuersiuus, nempè, postquã Sol à Tropico Cancri discessit; Et Vicomercatus, exponens ea verba, sic legit: *Etesiæ autem, post solstitium, & circa Canis ortum spirant*; quamuis Plinius putauerit, spirare diebus octo ante ortum Caniculæ. Sunt autem Etesiæ venti Aquilonares, qui singulis annis flantes, nomen Etesiæ sortiti sunt, quod latinè significat anniuersarium, quos ventos cùm quidam venti certis diebus præcedant, eorum prænuncij, & prodromi, idest præcursores dicti sunt. Causa autem, ob quam post Versionẽ, idest post discessũ Solis à Cãcro, & post Canis ortũ spirent Etesię, ab Arist. affertur; quia nimirum duæ sunt vniuersaliter causæ tranquillitatis aeris, videlicet, altera nimius calor, altera nimium frigus. Ille dissipat, & consumit exhalationes, ex quibus venti non possunt generari: istud suffocat, & extinguit easdem exhalationes, ne possint nimia frigiditate oppressæ consurgere; Ideò venti Aquilonares, existente Sole in Cancro, non spirant, quia Sol suo vehementi calore exhalationes dissijcit, & extinguit; spirant autem post exitum Solis à Cancro, & oriente Canicula, quia tunc non ita efficax est Solis calor, neque potens est absumere, & penitus extinguere exhalationes ab ipsius radio subleuatas. Ex quo apparet, minorem vrgere æstum tempore Caniculæ, quam antea, alioquin si tantus sæuiret ardor, exhalationes disgregaret, & exterminaret, neque venti Aquilonares, neque Etesiæ, & Prodromi perflarent, maria turbantes, & procellas excitantes; Igitur tamquam falsum asseritur, oriente stella Canicula, magis inferiorem Mundum exardescere, ergo etiam alienum à veritate est, posse à Canicula inferiorem Mundum inflammari.

Ortus stellæ Orionis.

Prodromi venti explicantur.

Calor, & frigus nimiũ extinguunt exhalationes.

Stella Canicula nõ est causa maximi æstus.

Cæterùm videtur experientia repugnare his, quæ à nobis hucusque tradita sunt; Quandoquidem, diebus canicularibus, maioris caloris vehementiã humana corpora experiuntur. Quocirca eodem modo philosophandum est de calore caniculari, quo ratiocinari fas est de frigore hyemali, quod maximè excitatur, & persentitur mense Ianuarij, & Februarij, quo tempore iam Sol exiuit è Capricorno, & ad nos incipit accedere per signa Aquarij, & Piscium, vnde tepidiores deberent esse dies, quàm fuerint in mense Decẽbris, & tamen ipsos acerbiores, & frigidiores experimur, glacie, & niue frequenti, per ea tempora tellurem obsidente. Ratio est, quia cùm Sol nobis fit propior, ipsius calor adeò est tenuis, & exilis, vt vapores quos subleuat, nequeat dissipare; idcircò isti occupantes aerem, conuertuntur in niues, & terram infrigidant. Non dissimili ratione putandũ est, causam maioris caloris in diebus canicularibus esse, quia Sol anteactis diebus, dum signũ Cancri percurreret,

Causa maioris frigoris in vltima parte hyemis.

ma-

Causa ma ioris æstus in diebus canicularibus. maximam sui caloris in aere, aqua, & terra impressionem fecit. Propterea subsequentes dies caniculares calidiores sentiuntur, non quia stellæ, quæ Canis maior, & minor appellantur, maiorem calorem ad terram eiaculentur, vel Sol eo tempore maiores calefaciēdi vires ab illis stellis desumat, sed causa est impresio iam facta à Sole, adeout calidam dispositionem iam introductam calor vehementior consequatur. Corroboratur hæc veritas experientia, quæ *Dies caniculares sæpe varij, & instabiles.* sæpè recepta est, dies caniculares varios, & instabiles esse, modò calidos, modò tepidos, aliquando etiam frigidos, vt ego expertus fum anno 1633. Quod certè demonstrat, Caniculam nō habere eam, quam vulgus æstimat, ingentem, & validam calefaciendi facultatem; Vnde manifestò conuincitur, Caniculam nullis pollere viribus ad Mundum elementarem comburēdum; Et de hac dubitatione sat sit.

Audio Lectorem insusurrantem mihi Phaetontis casum, quo incendio olim Mundum conflagrasse fama est; Ideò timendum, ne simili incendio vniuersa Mundi moles absumatur. Propterea non est ab re in Phaetontæis flammis paulisper, absq; læsione, versari.

CAPVT QVINTVM.

An ex incendio Phaetontis colligatur futurum vniuersale rerum incendium.

FAbulosa prętermitto de Phaetonte, luculentissimè commemorata ab Ouid. lib. 2. Metamorph. & à Luciano in Dialogis Deorum, atque historica tantum sectanti, mihi occurrit, quod litteris consignarunt Berosus, & Eusebius, scilicet Cecropem, primum Atheniensium Regem, quadringentis fermè annis bellum Troianum antecessisse, & tēpore interiecto inter Cecropem, & Troianum excidium, diluuium Deucalionis, & incendium Phaetontis *Tempus incendij Phaetōtis.* contigisse; Berosi hæc sunt verba de Phaetonte cap. 10. *His etiam temporibus adeò iugis, & grauis æstus incanduit, vt Sol per deuia transuectus, vniuersum Orbem, non calore affecisse, sed igne torrusse dicatur, impressumq; feruorem, & Aethyopes plus solito, atque etiam Scythas non tulisse. Ex quo etiam quidam, dum non concedunt Deo ineffabilem potēttam suā, inanes rationculas conquirentes, ridiculam Phaetontis fabulam texuerunt.* Hæc Berosus.

Illi, qui Phaetontis fabulam allegoricè interpretati sunt, vt Boccatius, & Natalis Comes, affirmant, tempore æstiuo, maximo calore Orientis partes & præsertim Gracię, ita affectas esse, *Allegoria di Phaetōtis incēdio.* vt videretur incendiū Solis illas oras depopulari, quod etiā aliàs alibi cōtigit, & præsertim in Gallia, Græcia, & Italia, anno salutis nostræ 1242. quo tempore tanto Solis calore terra incanduit, tantaq; siccitate illæ Prouinciæ exarserunt, vt vitali aeris qualitate corrupta, magna vis pestilentiæ anno sequenti illas regiones inuaserit, & deuastarit. Quare Phaetontis incendium aliud nō pręfefert, quàm insolitum Solis ardo- *Phaetōtis nomen quid significet.* rem. Nam Phaeto gręcè significat ardere, & Clymene Phaetontis mater humiditatem significat, ad indicandū, Solem suo calore vapores attollere, vnaq; disijcere, vnde maior caliditas, & siccitas ingruit. Hinc fabulati sunt Poetæ, Iouem fulmine iugulasse Phaeton- *Alia allegoria de Phaetōtis incendio.* tem, dum curru Solis ad signum Scorpionis accederet, ita iudicantes, caliditatem nimiam defecisse tempore Autumni, Sole signum Scorpionis percurrente. Vel dicamus, quòd occidente Sole in Scorpione, ortu Heliaco oritur Pallilitium, siue oculus Tauri in Oriente, cum quo oriuntur Pleiades, aliæque stellæ pluuiales, quæ ingentem illam caliditatem, & siccitatem extinguere potuerunt.

Antiquus Poetarum rumor increbuit, Eridanum Phaetontem fulminatum suis aquis excepisse eo tempore, quo Sol in signo Scorpionis effulgebat.

Quod

Eridanus cur Phaetontis sepulchrum. Quod significat, autumnali tempore Eridanum copiosissimis aquis affluxisse, quarum affluentia summa illa caliditas sublata est; Ideò Eridani alueus, nobile Phaetontis sepulchrum veteri Poetarum cantu celebratum est.

Phaeton rex Astronomiæ insignis. Non prætermittam id, quod à Plutarcho in Pyrrho traditum est, nimirum Regem Phaetontem fuisse Astronomiæ peritia insignem, Solis filium appellatum, & currus solaris aurigam, quia Solis cursum per Zodiacum primus percepit, & docuit, & cùm perierit antequam artem Astronomicam perfectè calleret, dictus est cœlesti fulmine deiectus.

Diuersa conflagrationes ab incendio Phaëtontis significantur. Berosus lib. 5. Antiquit. refert, multa contigisse incendia, & in Italia tribus in locis per multos dies arsisse, apud Istros, Cymeos, & Vesuuios, & describuntur hæc incendia sub anno Mundi, bis millesimo centesimo nonagesimo septimo, quo tempore aduentus Phaetontis in Italiam traditur; Vnde ipsius Phaetontis incendio adumbrata est Vesuuiana conflagratio, quæ eo tempore excitata fuit, & hæc est interpretatio Ioannis Annij, expositoris Berosi.

Mihi magis probatur doctissimi Ficini interpretatio comment. in Timæum, in quo Dialogo Plato de Phaetonte verba facit, & Ficinus declarat fuisse Cometam, nomine Phaetontem, Solis filium, quia ex substantia Solis prodijt, & dictus est Solis currum duxisse, quia nocte splendescens, solare lumen æmulabatur; quam interpretationẽ amplectitur Olympiodorus in lib. primum Meteór. text. 38. *Phaetōtis incēdium est Cometa.*

Postremò affirmandum est, iuxta aliquorum sententiam, Phaetontis incendium fuisse Pentapolis, & sociarum Ciuitatum conflagrationes, propter flammas diuinitus emissas, & à Moyse enarratas, ex cuius monumentis, vt aliàs adnotaui, multa Poetæ surripientes, rerum sacrarum puritatem fabuloso cœno confœdarunt. Quæ cùm ita sint, nulla ex incendio Phaetontis oritur coniectura, de futura mundanę molis conflagratione. Quoniam verò demonstratum est, à causa nulla naturali interna, atque in Mundo comprehensa, Vniuersum destrui posse; superest inuestigare, an aliqua artificialis causa valeat inferiori mundanę moli excidium inferre, & occurrit iucundum Quæsitum, nimirum, an confici possit speculum à Sole illuminatum, ex quo recurrentes radij solares, vires habeant ad Vniuersum cõburendum.

CAPVT SEXTVM.

An dari possit speculum, vel Diaphanum vstorium inferioris Mundi.

Ratio hac de re dubitandi ex Historijs petita est, quibus cõsignatum habemus, Archimedem speculo affabrè facto, ex quo Solis radij vehementissimè reflectebãt, classem Romanam, cui Appius, & Marcellus præsidebant, è Syracusanæ vrbis mænibus concremasse. De quo Archimede ita Liu. Dec. 3. *Archimedes erat vnicus spectator cæli, syderumq; mirabiliũ tamen inuentor, & machinator bellicorũ tormentorum, quibus hostium opera ludificarentur*; Sed quoniam de speculo Liuius mentionem non facit, audiamus *Speculo Archimedis Romanam classem cõcremarunt.* Galenum lib. 3. de temperamentis ita loquentem. *Hoc vtique modo aiunt, Archimedem per comburentia specula hostium triremes incendisse.* Idem refert Zonara tom. 3. his verbis: *Speculo quodam versus Solem suspenso, radios excepit, æreq; ob densitatem, & leuitatem speculi ex ijs radijs incenso, effecit, vt ingens flamma rectà in naues illata, omnes eas cremaret.* Scio aliquos putasse, Archimedem non accendisse naues Romanas speculis vstorijs, sed quibusdam lapidibus in ipsas iactatis, Quam opinionem redarguit Dauid Riualtus in suis commentarijs

rijs de speculis vstorijs Archimedis, & penitus reprobatur à Galeno ibidem loquente de domo, quę in Mysia regione Asiæ à calore Solis fuit combusta, & subdit incendium nauium Marcelli; Ex quo colligitur, Galenum loqui de calore Solis, non de pilis igniferis excitãtibus ignem in triremibus.

Idem Zonara refert de Proclo, qui Anastasio Dicoto imperante, anno Christi 492. Archimedis æmulatus artem, æris speculis classem Vitaliani Byzantium obsidẽtis, incendit, cuius verba sunt hæc: *Specula ex ære fabricasse vstorrafertur Proclus, in qua cùm solares radij impegissent, igne inde, fulminis instar, erumpente, classiarios, ipsamq; classem combussit.* Quare argumenta ri fas est, tale fortasse confici posse speculum, è quo radij Solis repercussi, ignemq; eiaculantes, terræ molem accendant.

Procli specula aliã classem incēderunt.

Vt verum fatear, aliquam mihi in hac re ingerebant difficultatem, quæ traduntur à Io. Baptista Porta in sua Magia naturali lib. 17. cap. 17. vbi ita loquitur. *Sed longè cæteris præstantiorem modũ trademus, à nemine equidem, quod sciam, traditum, antiquorum hominum, & recentiorum inuentionem superantem, nec puto humanum ingenium maiora excogitare posse; Hoc speculum non ad decem, viginti, centũ, aut mille passus comburit, vel ad determinatam distantiam, sed in infinitum, nec in cono accendit, vbi radij coeunt, sed à speculi centro vstoria linea procedit, cuiusuis longitudinis, quæ omnia obuia comburit. Præterea accendit retrò, ante, & ex omni parte.* Hæc Porta: Ex quibus intelligitur, non solum verum esse illud, quod de speculis vstorijs Archimedis, & Procli memoriæ proditum est, sed etiam, componi posse speculum, quod vniuersa cõburat propter lineam vstoriam, quam putat Porta, in infinitum extendi. Cæterùm sicuti hic Author in multis se nimium iactat, & nimia fertur leuitate; ita in speculo à se excogitato conficiendo, non solum deficit, sed nunquàm edocet modum ipsum componendi, & verborum ambagibus id, quod ignorat, inuoluit; Et circa lineam vstoriam ab ipso conceptam, animaduertendum est,

Speculum adducitur à Porta, quod in in finitũ accendit.

ex Dioptricæ pronunciato, quod tradit Kepplerus in sua Dioptrica, angulos ęquales incidẽtię facere angulos ęquales reflexionis, ac refractionis, quare radij recti paralleli incidentiæ possunt quidem in vnum colligi punctum; sed quia formant diuersos angulos incidẽtiæ, non possunt in reflexione in vnam lineam vstoriam coire. Quare, si nomine lineæ, intelligit Porta lineam strictomodo omnis latitudinis expertem, concipi non potest, radios reflexos talem lineam efformare; Si verò, nomine lineæ, sumatur extensio cum latitudine, instar cylindri, vel alicuius exigui tubi, itavt radij in illo tubo constricti, præferant imaginem lineæ vstoriæ, talis linea non combureret in omni loco, & ad omnem loci positionem non extenderetur ille tubus plenus lumine, quia radij continuò in illa, quamuis parua expansione, & latitudine debilitãtur. Etenim illam vim, & virtutem, quam fortasse consequerentur in linea vera, & mathematicè spectata, deperdunt in linea physico modo, & cum aliqua latitudine considerata.

Refellitur opinio Portæ de linea vstoria in infinitum.

Hinc obiter animaduerto, incendiũ nõ produci solùm ab vnione radiorum in puncto, vt est sententia Keppleri, sed quoq; si in angustum spatium ipsimet radij coarctantur; quod experimur in speculis sphęricis, in quibus producitur incendium, & tamen in ipsis radij non solum in vnum punctum vniuntur, sed in aliquam porriguntur extensionem; Ideò manus obiecta speculo recipit radios, & calorem reflexum à Sole, non in puncto concursus, sed aliquantulum ab ipso distans, & in ea positione, in qua radij non amplius in puncto copulantur. Quod etiam obseruo aduersus Portam existimantem, ex linea vstoria, cuius solum extremitas est punctum, vehemens incendium produci. Reiecta igitur Portæ opinione, breuiter disquirendum est, quænam inter species, & sectiones speculorum efficaciorem vim habeat comburendi.

Idem Porta lib. 4. Magiæ, cap. 20. vna cum Io. Iacobo Vueckero lib de Secretis, cap. 10. existimat, parabolicam sectionem inter cæteras maximè

vrere:

vrere; radios enim, inquit ipse, violentiùs congregat in vnũ coactos, & radij tali speculo incidentes perpendiculariter ferientes, simul in vnum reflectuntur, & coincidunt, adeout vnius radij vicem gerentes, multùm comburant. Propterea affirmant hi Authores, inter sectiones nullam esse, quæ longiùs, & valentiùs ignem emittat, quam Parabola, cuius speculi efformandi modum vterq; Author plenissimè docet, sed Porta cap. antecedenti eandem virtutem videtur speculo simpliciter cõcauo concedere, nã si Solis radijs obijciatur fomes, vel accendibilis materia, & centri loco in tali speculo collocetur, inducitur flamma, quæ diù perseuerans, plumbum, vel stannum colliquat, quamquã aurum etiam, & argentum tali speculo colliquatum fuisse, Porta testatur. Sectionis parabolicæ fuisse speculum Archimedis, putat P. Bonauentura Caualerius in Bononiensi Gymnasio celeberrimus Mathesis professor suo Italo libro de Speculo vstorio cap. 30. vbi affert propriam speculationẽ, & inuentionem speculi, ad comburendum aptissimi, quam hìc afferre supersedeo, ne illa, quæ admirabili subtilitate ingenij, & orationis perspicuitate ab ipso exposita fuere, à mea imperitia implicentur, & obscurentur.

Parabola inter sectiones speculorum efficacior, ex Porta.

Parabola fuit speculum Archimedis.

Cæterùm à viris doctissimis demonstratur neq; ellipsim, vt putauit P. Grũberger, lib. de speculo elliptico, nec Parabolam, neq; aliam conicam sectionem excepta Hyperbola, vel illi proxima sectione, cogere posse vehementiùs radios omnes refractos ad vnum punctũ, hancq; sectionem cæteris ad vrendum dioptricè validiorem esse. Ratio potissima est, præsertim in Parabola, quia nõ benè se se accõmodat ad certos angulos, ac nimis frangit radios laterales extremos è diaphano prodeuntes; sic de elliptico, & sphærico diaphanis. At refractio facta per hyperbolicã sectionem ostenditur à dioptricè scientibus, esse per angulos, qui radios parallelos incidẽtes cogũt in vnum punctum post Diaphanum. Quamobrem viri eruditissimi diaphanum hyperboliforme à radijs Solis percussum efficacius esse Ellipsi, & Parabola ad flammam producendã existimarunt. Hanc sententiã inter recẽtiores tuetur P. Marius Bettinus, ingeniosissimus, & elegantissimus arcanorum Mathesis indagator, Apiario 6. progymnas. 2. cap. 4. & tantæ efficaciæ hyperbolicum speculum constituit, vt plumbum, stannum, & similia metalla liquare putet. Quin affert historiam de quodam in carcerem coniecto, qui media hyperbola Soli opposita, plumbeas cõpages, quibus ferreæ crates perstringebantur, colliquauit, vnde liber è carcere euasit.

Hyperbole magis efficax ad vrendum dioptricè.

Itaq; quemadmodum inter specula vstoria primum sibi vendicat locum Parabola, ita inter diaphana maius in vrẽdo robur habet sectio hyperbolica. Specula etiam parabolica præstant vstione sphæricis. Etenim in concauis sphæricis non omnia puncta, ad quæ incidunt radij paralleli, conferunt ad vstionem, sed tantùm sexta sphæræ portio vrendi vim habet catoptricam, imò nec in sexta sphærici speculi concaui portione, omnia puncta radios reflectunt ad idem punctum, vt euenit in parabola, sed variæ circa diametrum fiũt radiosę pyramides, & coni vstorij, qui pro maiori, & minori longitudine, atq; præ basium varietate in vnum punctum neutiquam coire, vel confluere possunt.

Parabola quã sphæricum cõcauum efficacior ad comburendum.

Admiranda certè est inter omnia artificiata, speculorum structura, ex quibus nõ solum radij reflexi flammas producunt, sed in eisdem receptæ impressiones ab obiectis frigidis reflectunt frigiditatem. Quocirca si speculo, vel parabolico, vel elliptico, vel hyperbolico, aut simpliciter concauo sphærico, massa niuis, aut glaciei obijciatur, ab ipso magnum frigus reuerberatum percipitur. Hinc si in debita distantia carbones accensi speculum concauum percutiant, sua reuerberatione excitant incendiũ, nã à carbonibus accẽsis simul vnitis exeunt infinitæ lineæ ad omnes positiones, quæ, si non impediantur, eò prosiliunt quò ipsarum peruenit actiuitas; Vnde lineæ parallelæ in puncto speculi vniuntur, & producunt incendium.

Specula recipiunt impressiones frigidas, vel calidas, easque reuerberant.

Idem affirmandum est de sono, qui in speculo receptus, ab eodem reflectitur,

Speculum recipit sonum, & reflectit. tur, & in concauis potissimùm speculis colligitur sonus, quia concauitas multum iuuat ad sonos recipiendos, & reflectendos. Ideò in concauitatibus murorum, vel montium, præsertim superficiei ellipticæ, Echo perfectissima auditur; Hinc Nympha Echo à Poetis nemorum incola fingitur, quia in nemoribus, & speluncis concauitatem habêtibus, Echo maximè resonat. Qua de re vidêdus est P. Blâcanus in sua Echometria.

Sed de speculis, & Diaphanis vstorijs longiùs differere non est opus, quia longè nimis à meo instituto euagaretur oratio; & hęctantum indicasse volui, vt mihi faciliorem sternerem aditum, ad demonstrandum, confici non posse speculum, vel Diaphanum vstorium Mundi inferioris. Qui plura hac de re videre cupis, consulat, inter priscos Vitellionem, Orontium, Rogerium Bacconium, mox Cardanum, dein Io. Baptistam à Porta, & Vueckerum, atque inter recentiores Maginum, Blancanû, P. Bonauenturam Cauallerium, & P. Marium Bettinum, duo clarissima Mathematicæ scientiæ lumina, quibus nostra ætas illustratur.

Iam verò ad propositam dubitationem enodandam, pro comperto habêdum est, confici non posse speculum hyperbolicum, ex quo Solis calores reflectentes, hunc inferiorem Mundum valeant comburere. Etenim si tale speculum conderetur, tàm ingentis esset magnitudinis, vt in ipso radij, vel ardores emanantes à Sole, nequaquam vnirentur, nec in vnum punctum coirêt; sed potiùs per vastæ magnitudinis spatia disgregati dispergerentur, & vagarentur, nullamq; vel saltem leuissimam reflexionis vim obtinerent; vnde proposita obiecta non inflammarent. *Rationes ob quas nô possit côfici speculû vstorium Mundi.* Prætereа speculum ex recurrente Solis calore materiam non comburit, nisi quâdo ipsum speculum rectà obijcitur Soli, & illius calidos radios in seipso excipit, ad obiecta proposita repercutiendos. Itaq; si speculum proponatur Soli orienti, non comburet nisi partes oriêtales, inter Solem, & speculum interiectas. Si obijciatur Soli in meridie æstuâti, meridionalia duntaxat à speculo flammam concipient; Si autem Soli occidenti exhibeatur, arbitror, propter inefficaciam radiorum Solis occidentis, nullum, vel tenuissimum à speculo incendium prodire posse. Difficile autem est, speculum immensæ quantitatis diuersis Mundi situbus, & partibus accommodare. Neq; solum difficultas incendij mundani ex parte speculi spectanda est, sed etiam ex parte obiectorum, in quæ Solis calores reuerberati agere debent, eaque flammis exurere; Quandoquidem tellus sua naturali duritie, & frigiditate oppidò calori Solis è speculo euibrato reluctabitur, & flumina, & maria frigida immensitate calores è speculo emissos retundent, & infirmabunt. Quapropter figmentum prorsus est, opinari, confici posse speculum vstorium Mundi inferioris.

Tâdem illud vsurpare fas est, quod crebrò in ore habebat Archimedes, scilicet, quòd totâ è sua sede commouere terram aufisset, si extra terram pedem figere, ac instrumenta motui accómodata collocare potuisset. Simili ratione dicendum est, quòd requiritur locus extra Mundum elementarem, in quo constituatur speculum vstorium elementorum. Nam, cùm necessaria sit debita distantia inter speculum à Sole percussum, & obiecta à speculo combustibilia, vt fiat sufficiens radiorum, & caloris reflexio, oportet vt speculum ponatur in loco distanti, ac remoto à Mundo inferiori; Quod fieri non posse, nemo est, qui non intelligat. Quamobrem satis eluditur huius vanitas Quæsiti, quod sanè in hanc arduam, & grauem dissertationem de fine Mundi non insinuassem, nisi mihi aliquando Romæ hac de re cum viro doctissimo, & Mathematicis disciplinis apprimè exculto, disputatio contigisset, & nisi pollicitus essem de controuersia ab ipso excitata, in hoc meo Tractatu verba facere. Quoniam verò satis superque ostensum est, causas intra Mundum existentes, materiales, & corporeas, Mundum interficere non posse, superest inuestigare, an sint causæ spirituales, & immateriales intra Mundû comprehêsę, quæ rerû vniuersitati inferre valeât excidium.

QVÆ-

QVAESITVM QVINTVM.

CAPVT PRIMVM.

An à substantia immateriali creata sit Mundo finis imponendus.

ADhùc persistimus in exagitanda Ocelli argumentatione, quæ continebat, Mundũ interiturum non esse, quia neque causa interna, neque externa poterat Mundo occasum præbere. Nos hucusq; demonstrauimus, à causa interna materiali Vniuersum destrui nequaquam posse, quoniam, neq; aqua, neq; ignis, neq; calor Solis Mundo inferre queunt excidium. Remanet perscrutari, vtrum id efficere valeat Planetarum occulta coniuncta vis, & influxus ab Astrologis decantatus; sed quoniam hoc argumentũ in Disputatione Astrologica fusè discutiemus, superest in præsentia, pro integra consideratione argumẽtationis Ocelli perquirere, an à substantia creata immateriali, & spirituali intra Mundum comprehensa, finis eidem Vniuerso naturaliter possit imponi.

Substantiæ autem creatæ immateriales, quas ipse Mundus complectitur, duæ sunt, nimirum anima humana, & Angelus. Et primùm quidem de anima humana, pro certo habendum est, quòd ipsa nullam habet vim, ad ipsum Vniuersum turbandum; Et quidem hoc manifestissimum est de anima iuncta corpori, quę non habet vim motiuam, nisi ad corpus sibi coniunctum, & est ex propria natura, determinata ad mouendum tantùm corpus à seipsa viuificatum. Hinc D. Thom. p.p. quæst. 117. art. 4. infert, quòd anima separata à corpore, sua naturali virtute non potest aliquod corpus mouere; quoniam, quod conuenit ei ex natura, non variatur ex vario modo essendi. Cùm autem sua natura, habeat facultatem dũtaxat mouendi corpus, cuius est forma; acquirit, dum est separata, maiorem virtutem, alia corpora mouendi. Addit Caietan. in comment. illius artic. quòd anima humana est vltimus motor inter substãtias spirituales; Igitur eius vis ad corpus humanum, quod est paruissimum mobile, respectu mobilium ab Angelis, determinatur, aliter non esset in infimo gradu, & limitatione motorum spiritualium collocata; Quoniam verò Mundi turbatio fieri nequit, absque plurimis motibus localibus rerum in Mundo existentium, vt in Disputatione Astronomica primùm, & postea in secunda parte huius Tractatus disputabimus, dubio procul cùm anima separata non possit corpora localiter mouere, patet, eius operationem nullam Mundo afferre posse perniciem; Itaque tota vertitur disputatio circa Intelligentias, vel Angelos; Vtrum scilicet Angeli possint Mundum euertere. Cæterùm antequam id considerandum aggrediamur, opus est inuestigare, an Angelus sit causa interna, vel externa Mundo; & an iuxta Ocelli sententiam, inter causas internas Mundi recenseatur.

Anima separata naturaliter non potest aliquod corpus mouere.

Anima humana est vltima inter motores spirituales.

Anima separata non potest Mũdo naturaliter damnum afferre.

Quænam fuerit Ocelli opinio de existentia Intelligentiarum, ex suo libro de Vniuerso colligi nequaquam potest: & quia Pythagoras Ocelli magister, vel quid exiguum, vel nihil monumentis consignauit, incertum prorsus est, quid de Intelligentijs Pythagorici arbitrentur. Propterea, quantùm spectat ad inquirendum, vtrum Angelus, vel Intelligentia, excepta prima, sit intra, vel extra Mundum, occurrit examinandum testimonium Aristot. 1. de cælo cap. 11. text. 100. his verbis expressum. *Extra autem cælum, quod neque est, neque contingit esse corpus, ostensum est; manifestum igitur est, quòd neque locus, neque vacuum, neque tempus est extrinsecus; quapropter, neq; quæ illic sunt, nata sunt in loco esse, neq; tempus ipsa facit*

Aristotelis textus de Intelligentiarum existentia extra cælum, examinatur.

cit senescere, neque vlla transmutatio vlbius eorum est, quæ super extima disposita sunt latione, sed inalterabilia, & impassibilia optimam habentia vitam, & per se sufficientissimam perseuerant toto æuo.

Quæ verba diuersam nacta sunt interpretationem; Etenim Alexander Aphrodisęus ipsa exponit de cælo, quod non est in loco, secundùm totum, sed secundùm partes; Quam interpretationem D. Thom: in comment. super eisdem verbis, extortam appellat, obseruans Aristotelem allatis verbis omnem mutationem excludere, quod sanè non conuenit cælestibus corporibus, quę localiter cientur. Præterea impropriè dicitur, quòd extra cælum sit cęlum; & percipi non potest hæc propositio. Asserit etiam Aristoteles, quòd illa entia, quæ sunt extra cælum, sunt inalterabilia, & penitus impassibilia, habentia optimam vitam, & per se sufficientissimam, quia non indigent aliquo, vel ad conseruationem propriæ vitæ, vel ad executionem operum vitæ; Quorum quædam attribui possunt corporibus cælestibus, nempe, quòd impassibilia, & inalterabilia sint; sed animaduertit S. Thom. alia duo eisdem orbibus neutiquam conuenire, quia cælestia corpora propriè non habent vitam, siquidem carent anima informante, contra aliquot Peripateticorum sententiam, falsam omninò, & à christiana doctrina penitus alienam; sed esto quòd aliquo modo vitam habeant, sanè non habent per se sufficientissimam, quia indigent motu, ad suum bonum consequendum, quod est cōseruatio Vniuersi, ad quam cælestes motus ordinati sunt. Itaque Simplicius, & D. Thom. accusantes expositionem Alex. docent, Aristotelis verba intelligenda esse de Deo, & de substantijs separatis, quæ neque in tempore, neq; in loco continentur, vtpote seiunctę ab omni motu, & magnitudine; Tales autem substantiæ (vt S. Thomæ vtar verbis) extra cælum esse dicuntur, non sicuti in loco, vel sicuti contētæ, aut inclusæ, sed potius vti continentes res corporales, & totam corporalem naturam excedentes; Idcirco ipsis Intelligentijs rectè conuenit illud ab Aristotele assertum, nempe, quòd eorum non fit trāsmutatio, quia super excedūt supremam lationem vltimæ sphæræ, quæ ordinatur ad motum, sicuti causa extrinseca, & contentiua omnis mutationis. Quamobrem ex Aristotelis testimonio, & ex interpretatione Simplicij, & D. Thom. Intelligentię, siue Angeli sunt extra cælum, idest extra vltimam sphæram, ibique ducunt vitam perfectissimam. Ex quo datur intelligi, aliquas Intelligentias, ex Aristotelis mente, non esse enumerādas inter causas internas Mundi, quas asserit Ocellus, Vniuersum demoliri non posse.

Expositio Alexandri de supradictis verbis reprehenditur.

Recipitur expositio Simplicij, & Diui Thom. de Intelligētijs extra cælum.

Dixi aliquas Intelligentias, & non omnes, quia Aristoteles in. 12. Metaph. c. 8. text. 47. cælestibus sphæris circumuoluendis constituit Intelligentias, easque non extra Mundū, sed in ipso Mūdi ambitu collocauit; Vnde apparet aliqua in ipso Aristotele contradictio. Neq; admittenda est opinio Auerrois putantis, Aristotelem de Intelligentijs loquentem, vsurpasse numerum pluriū Intelligentiarum, pro numero vnius; id enim palàm aduersatur eiusdem Philosophi pronunciatis, sed satius est affirmare, Aristotelem non satis firmum, & constitutum habuisse, quid de numero Intelligentiarum decerneret, vt obseruauit Io. Picus lib. 3. contra Astrologos cap. 4. & alias Intelligentias extra cælum, alias intra cælorum complexum recepisse.

Alia Intelligētia ab Aristotele calorum motibus intra calum assignantur.

Relecta Aristotelis sententia, vera Philosophia, & sacra Theologia docet, omnes Angelos intra Mundum contineri, vel partem præcipuam ipsius Vniuersi, ad cuius perfectionem requiritur, quòd sint aliquæ creaturæ intellectuales, inter quas Angeli primum obtinent locum. Neq; sufficit, quòd detur anima humana, spiritualis, & intellectualis, quæ est forma hominis, nam ad complementum Vniuersi existere debent substantiæ incorporeæ, intellectuales, completæ, quarum essentia ita eleuata sit supra corpus, vt nec ipsa, nec eius operatio, per organum corporeum exerceatur, & hæ substantiæ sunt Angeli.

Ad perfectionem Vniuersi requiritur substantia angelica.

Præterea Angelus est in loco, non quidem circūscriptiuè, vt corpus, quod commensuratur loco, sed definitiuè,

quia

quia ita est in vno loco, vt non existat in alio; Est autem in loco, ex doctrina D. Thom. prima parte quæst. 52. art. primo, per applicationem, & contactũ suæ virtutis; Ideò, cùm Angelus extra cælum, & in nihilo suam nequeat applicare virtutem, limitatam ad aliquem locum, extra Mundum existere non potest. Et quemadmodum falsa est opinio aliquot Græcorum, putantium, Angelos ante Mũdum visibilem creatos fuisse, cõtra quos disputat D. Thom. in Quæstionibus disputatis, quæst. 3. de creat. art. 18, alioquin, vt ipse docet, Angeli Vniuersum proprium sibi constituerent; ita veritati, & christianæ Fidei consonum est decretum de creatione Angelorum, vnà cum cæteris creaturis. Propterea in Decretalibus de summa Trinitate, & Fide Catholica, cap. *Firmiter*, habetur, *quòd Deus sua omnipotenti virtute, simul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, spiritualem, & corporalem, angelicam videlicet, & humanam*. Ideò Angeli sunt pars vniuersi, & intra ipsius complexũ comprehensi. Hinc docet D. Thom. p. parte quæst. 61. art. 4. Angelos creatos fuisse in cælo Empyreo; siquidem conueniens fuit, Angelos in supremo corpore creari, tanquam toti corporeæ naturæ præsidentes, & eorum creatio in sacro Moysis codice, per cælum intelligitur, sicuti per terram, corporalis natura indicatur, vt Augustin. interpretatur initium Genesis. *In principio creauit Deus cælum, & terram.* Quapropter, si cælum Empyreum nõ extra Mundũ, sed intra limites Vniuersi creati collocatur, etiam Angeli in Empyreo creati, sunt inter substantias, & causas Mundi internas enumerandi. Quibus conuenit quidem negatio temporis, & loci ab Aristotele definiti, vti Intelligentijs extra cælum existentibus negauit Aristoteles. Nam in Empyreo propriè nõ est tempus, neque locus, eo modo, quo describitur ab Aristotele, sed quidem adest extensio partium corporis, intra spatia cæli Empyrei, ex tenuissima substantia, vel ex igne purgatissimo conflati; vnde nomen deduxit; Quare corpora Beatorum, quæ ibi nunc sunt, vt corpus Sanctissimæ Virginis, & ex aliquorum Doctorum sententia, corpora Enoch, & Eliæ, sunt ibi localiter descripta à continentia illius spatij, quod ipsa corpora complectitur; Corpus autẽ gloriosissimum Christi Redẽptoris nostri est in suprema Empyrei parte, & extra illud cælum extenditur, ibique realiter est præsens, absque corpore circũscribente, & replet corporaliter illud spatium, quod occupat, non quia spatium illud, prout condistinctum à corpore Christi, sit aliquid reale, sed quia per ipsius corporis præsentiam, fit corporale spatium, & reale, quod de se vacuum, & nihil erat, vt docet Suarez tom. 2. Metaphys. dusputat. 30. n. 37. Quamobrem patet ex dictis, Intelligentias, siue Angelos intra Mundum esse; Beati quidem in Empyreo potissimùm resident, praui autem, & damnati Dæmones, tum in isto caliginoso aere, tum in Inferno includuntur, & torquentur. Itaq; iuxtà propositam ab Ocello argumentationem, quærendum est, vtrum Angeli intra Mundum comprehensi, sint causæ potẽtes Mundum demoliri.

Ratio, ob quam Angelus extra Mundum existere non possit.

Angeli nõ fuerũt creati ante mundũ visibilem, sed vnà cum cæteris creaturis.

Angeli creati in cælo Empyreo.

Corpora beatorum in empyreo, quomodo locentur.

Corpus Christi gloriosissimum est in suprema empyrei parte, & extra.

CAPVT SECVNDVM.

Vtrum Angelus possit Mundo finem imponere.

Negatiuè statuendum est, scilicet, quòd Angelus, vel bonus, vel prauus Mũdo finem inferre nequit, atq; id rationibus demonstrabitur. Non est quidem deducenda ratio à negatione creatricis potentię, quę, si Angelo non conuenit, nec etiam ipsi competet potestas res destruendi; Non enim valet hæc illatio, quoniam vera, & formalis ratio, propter quam virtus creandi non est communicabilis creaturæ, est, quia infinita vis requiritur ad creandum, quæ si non requiritur propter perfectionem termini producti, vt

aliqui autumant, necessaria tamen est, propter modum producendi ex nihilo; Quocirca doctrina est Damasceni primo de fide orthodoxa, cap. 3. Augustin. 3. de Trinit. cap. 8, Angelum non posse creare, quia infinita caret virtute.

Angelus non potest creare, quia caret infinita virtute.

Hinc tamē nō deriuatur negatio, quòd Angelus non possit res destruere, quia destructio, quæ fiet de Vniuerso, non est annihilatio, opposita creationi, itaut contrariorum eadem sit ratio, & idem ferendum sit iudicium; qui a Deus Mūdo finem impositurus, & omnia mixta destructurus, nullam rem annihilabit, vt in sequenti capite indicabo.

Ex hoc non infertur Angelum non posse Mūdum finire.

Neq; deduceēda est ratio ab hoc principio, quòd materia corporalis non seruit ad nutum Angelorum, vt tradit S. Augustinus 3. de Trinit. & confirmat, & explicat S. Thom. p. par. quest. 110 art. 2. Namq; vt ibi exponit Caietanus, hoc accipiendum est in eo sensu, quòd materia corporalis, immediatè ad trāsmutationem formalem non obedit Angelo, qui non potest immediatè, v. g. calorem, aut frigus in aliquod corpus inducere, sed tantum applicando actiua passiuis, & multò minus potest formam substantialem immediatè producere. Quare, cùm in fine Mundi, non producendæ, sed destruendæ sint formæ, videtur quòd angelica potentia tali destructioni sufficiat. Confirmatur, quia corpora obediunt Angelis, ad motum localem, vt docet S. Thom. supradicta quæst. art. 3. & mediante motu locali ipsorum corporum, quæ ab Angelis agitari possunt, multum damni vniuerso Mundo, & quasi perniciem inferre posse videtur. Nihilominus hęc ratio non est adæquata, & non probat in Angelis virtutem destruendi Mundū inferiorem.

Angelus immediatè formas non producit.

Prima ratio, quæ probabilis est, deducitur ex gubernatione, quam habent Angeli beati rerum mundanarum; Nā sacri Doctores conueniunt, quòd ipsis Angelis demandata est à Deo aliquo modo cura huius Vniuersi; Siquidem mouent corpora cælestia; diuersas rerū species custodiunt; & varias Orbis regiones tuētur. Quod tradiderunt Clemens Alexandrin. lib. 5. Stromat. & Damascen. lib. 2. Fidei cap. 3. his verbis; *Porrò à supremo illo opifice Angeli destinati, & collocati sunt, certas terræ partes custodiunt; gentes, & regiones tuentur; ac res nostras gubernant, nobisq; opem ferunt.* Quod confirmat S. Augustin. 3. de Trinitat. cap. 4. & 8. in Genes. c. 24. vbi affirmat, vnicuiq; rei visibili angelicam potestatem esse præpositam. Quamobrem cùm Angelis rerum mundanarum cura incumbat, implicat quodammodo contradictionem asserere, vltimam Mundi perniciem ab ipsis Angelis infligendam esse.

Angeli curam habent rerū mundanarū.

Dices, Concedendum vtique est, Angelum beatum non habere propensionem ad Mundum turbandū, & cladibus afficiendum; sed quidem id dæmones effecturos esse propter odium, quo prosequuntur homines, ad cuius beneficium procreatū est Vniuersum. Cæterùm respondendum est, exploratissimum esse, Angelum beatum virtute supernaturali posse mouere & detinere dæmonem, etiam natura superiorem, sicuti è contrà, ex eodem ordine supernaturali fit, vt prauus Angelus nō possit mouere, vel detinere bonum, etiamsi in natura Angelus bonus sit inferior malo Angelo; vnde si praui Angeli conarentur Mundum turbare, & è suis sedibus diuellere (quod tamen, vt mox dicam, præstare nequeunt) Angeli beati impedirent ipsos dæmones, ac detinerent.

Dæmones impediuntur, & detinentur ab Angelis beatis, etiam natura inferioribus ipsis dæmonibus.

Secunda ratio demonstratiua petenda est à doctrina D. Thom. quest. 110. art. 4. vbi afferens causam, ob quam Angelus non possit facere miracula, docet, quòd miraculū propriè dicitur, cùm aliquid fit præter ordinem naturæ, non quidem particularis, sed totius naturæ creatæ, atq; hoc solum facere potest Deus, Quamobrem, cum finis Mundi sit præter ordinem totius naturæ creatæ, materialis, & corporeæ, quoniā cæli inhibēdi sunt à suo cursu, ignis in alia agere debet elementa, atq; destruere tunc viuentes homines, & omnia animalium genera, cunctaq; mixta, atq; hæc omnia euenire debeant præter ordinem, quem nunc habet hæc vniuersa materialis rerum machina; non possunt Angeli sua naturali virtute hęc perpetrare, sed quidem exhibebunt mi-

Vera ratio ob quā Angeli non possunt turbare ordinem Vniuersi.

nisterium in miraculis, quæ à Deo tunc fient, vel in Elementis, vel in corporibus cælestibus, vt in disputatione Astronomica patefaciam, explicando verba sacri textus. *Et virtutes cælorum mouebuntur.* Quin suâ præstabunt operâ in resurrectione defunctorũ, colligẽdo pulueres, & alia mirabilia agẽdo, vt ministri diuinæ omnipotentiæ, & iustitiæ.

Confirmatur doctrina D. Thom. in quæstionib. disputatis quæst. 15. de dæmonibus art. 10. in resp. ad 7. vbi hæc habet. *Etiamsi Angeli per intellectum, & voluntatem moueant, non tamen sequitur, quòd possint aliter mouere, sed secundum modum proportionatum naturæ ipsorum; Angelus enim non est sua voluntas, sicut Deus, sed habet voluntatem in natura determinatam, & secundum modum, eius voluntas effectũ sortitur; Deus autem, qui est ipsa voluntas, indifferenter potest facere omne illud, quod potest cadere sub voluntate.* Hæc S. Thomas. In quibus notanda sunt ea verba: *Non tamen sequitur, quod possint aliter mouere*, vnde arbitror, ex sententia D. Thomæ, non posse Angelum, primũ mobile, quod mouet ab Oriente in Occidentem, contrario motu ciere, imò non posse cælum tardiùs, aut velociùs circumuoluere, ergo multo minus poterit cælorum cursum sistere, & terminare.

Angeli Mundũ euertere nõ possunt, ex D. Th.

Præterea idem S. Doctor eadem quæst. art 10. resp. ad 8. ita loquitur: *Nam eadem vis sufficit, ad mouendum totum, quæ mouet partem; vnde licet dæmones possint mouere partem aliquã terræ non sequitur, quòd possint mouere totam terram, quia hoc non est proportionatum naturæ ipsorum, vt mutent ordinem Elementorum Mundi.* Quoniam verò, quãdo Vniuersum finem habebit, mutabitur ordo, & consistentia ipsius, turbabitur connexio, & subordinatio rerum, & vniuersa Mundi facies nouam induet formam, id ab Angelis naturali virtute præstari non potest. Quòd si Angelus non potest efficere vacuum, quamuis possit aerem de loco tollere, vbi est, non possunt tamen omnes Angeli obsistere, quominus alius aer succedat in locum prioris, vt obseruat Victoria Relect. 12. de arte mag. n. 33. multò minus poterit Angelus vniuersum naturæ ordinem præuertere.

Angelus non potest inducere vacuum, ergo nec etiã Mũdi ordinẽ prauertere.

His de causis non adhæreo sententiæ Suarez 2. tom. Metaph. disput. 35. sect. 3. num. 26. scilicet, quòd nudè considerata virtus intelligentiarum, sufficiens est, per motum localem ad euertendum totum Vniuersum, quantùm ad ordinem, & compositionem ipsius, sed considerata potentia angelica, vt subiecta diuinę prouidentię legibus, non potest eum ordinem immutare. Quæ opinio non cohæret cum doctrina D. Thomę, neq; consona est rationi; Nam euersio Vniuersi nõ est obiectum proportionatum naturæ, & potentiæ angelicæ, quæ est naturaliter determinata ad mouendum, iuxta ordinẽ, connexionem, & iura Vniuersi. Igitur, abstrahendo à diuinis legibus, quibus subijcitur Angelus, id sua naturali virtute perpetrare nõ potest. Illud certum est, prauos Angelos tẽpestates in damnum hominum excitare, maria turbare, excutere fulmina, mouere grandines, agitare tonitrua, & multa Meteorologica miscere, & in fine Mundi hęc, & similia, imperante Deo, à dæmonibus efficientur, sed mutatio ordinis cõnexionis, & præsentis status vniuersi, ab ipsorum dæmonũ naturali potestate profisci non potest. Vide Victoriam loco citato, & Martin Del-Rio lib. 2. Disputationum magic.

Suarez non rectè putat, Angelos naturaliter posse euertere vniuersum.

Id totum confirmatur testimonio D. Pauli ad Hebr. cap. 2. vers. 5. vbi hæc habentur: *Non enim Angelis subiecit: Deus orbem terræ futurum*. Quæ verba tametsi diuersam recipiant interpretationem, quemadmodum adnotauit Corn. à Lapide in Comment. in ep. Pauli, tamen mihi magis arridet, meoq; suffragatur argumento expositio D. Thom. & Lyrani, scilicet, quòd Apostolus verba facit de orbe futuro post resurrectionẽ, & Iudicium generale; quem orbem Deus Pater in suo decreto, & prædestinatione subiecit, & actu re ipsa subijciet Christo in fine Mundi. Propterea asserit Apostolus, orbem futurum non esse Angelis subiectum; Quorum verborum sensus est, quòd Angeli non habebunt tantam potestatem in orbe terræ, vt possint illum immutare, & ad statum futurum noui orbis redigere. Sed

D. Paulus cõfirmat, Mũdum ab Angelis euerti non posse.

hæc poteſtas adſcribenda eſt Chriſto Domino, ſupremo Iudici, & Authori orbis renouandi; Qui Dominus, ſicut in fine ſæculorum totũ iudicaturus eſt Mundum, ita Angelis demandabit, vt in orbe reparando multa exequantur, quæ non propria, ſed diuina virtute, & tanquam adminiſtratores omnipotentiæ diuinæ, præſtabunt.

Cõſonant huic expoſitioni, quæ tradita ſunt à Io. Apocalyp. 7. his verbis. *Poſt hæc vidi quatuor Angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor vẽtos terræ, ne flarent ſuper terram, neque ſuper mare, neque in vllam arborẽ. Et vidi alterum Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui, & clamauit voce magna quatuor Angelis, quibus datum eſt nocere terræ, & mari, dicens: Nolite nocere terræ, & mari, neq; arboribus; quoadvſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus ſuis.* Arethas Cęſareæ Cappadociæ Epiſcopus, vt obſeruauit Blaſius Viegas in ſupradicta verba comment. viſionem hanc exponit de Mundi fine, quo tẽpore Chriſtus Dominus, qui eſt Angelus aſcendens ab ortu ſolis, vt conſentiunt D. Ambroſius, Rupertus, Riccardus, Dionyſius Carthuſianus, & alij, cõprimet Angelos malos habitantes in quatuor Mundi partibus, quas angulos terræ S. Io. appellat; qui praui Angeli nitentur cohibere ventos, ne ſuper terram, ſuper mare, & in vllam arborem ſpirent, ob quam inhibitionẽ neceſſe eſſet, vt omnia interirent, quia ventorũ flatus multum conducit ad vitam, & conſeruationem animantium, necnon ad arborum fęcũditatem. Quapropter Chriſtus Dominus clamabit voce magna quatuor Angelis, ideſt ſumma, & efficaci poteſtate imperabit dęmonibus, ne noceãt terræ, & mari, neque arboribus, quouſque ſerui Dei in ſuis frõtibus ſignentur; Quoniam Chriſtus ſua ſententia iudiciali declaraturus eſt electos, & prędeſtinatos, qui in frõtibus, nempè in ipſis corporibus (adhibita ſinecdoche) ſuæ

Apocalypſis teſtimonium, quod dæmones Mundũ deſtruere nequeant,

beatitudinis ſigna, ſcilicet dotes corporis glorioſi oſtẽtabunt; Ex quibus verbis perſpicuum fit, Chriſtum Redemptorẽ in orbe futuro totum habiturum eſſe dominium, atq; futurum eſſe proprium ipſius poteſtatis excitare, vel cohibere dæmonum malitiam, & odium erga res creatas, quorum tamen opera vtetur ſupremus ille Iudex, dum calamitatibus Mundum pereuntem afficiet; Etenim, quamuis Deus ſupplicia interdum per bonos Angelos inferat, vt ſcripſit D. Auguſt. lib. 9. de Ciu. cap. 5. & id comprobatum fuit in illis Angelis, qui ad excidendas Sodomorũ vrbes venerunt, & Abrahæ apparuerunt Gen. 19. nihilominus per malos Angelos id Deus pręſtare conſueuit, quemadmodum tradiderunt Clemens Roman. lib. 4. Recognit. & S. Hieronym. lib. 6. in Iſaiam. Quocirca verba S. Io. apertè indicant, dæmones in fine Mundi multa quidem aggreſſuros eſſe, vt Mundi ſtatum labefactent, & euertant, ſed quoniã id non eſt dæmonũ naturali poteſtati proportionatum, vt ſupra docuit D. Thom. idcircò Chriſtus ſua diuina virtute imperabit dæmonibus, vt hæc tantum, & non illa efficiant, & vt penitus ſuæ obediant, & obſequantur voluntati.

Deus vtetur Dæmonum opera in affligẽdo Mũdum.

Angeli boni & mali adhibẽtur à Deo in ſupplicijs afferendis

Quæ cùm ita ſint, Ocello Pythagorico cogimur aſſentiri, quod neq; a cauſa interna materiali, neq; a cauſa incorporea, & immateriali, intra Vniuerſum comprehenſa, poteſt ipſe Mundus excidium reportare. Itaque, ad diluendam penitus argumentationem Ocelli, vnica ſupereſt inquiſitio, nempè, an detur cauſa extra Mundum, potens ipſum ad occaſum redigere; Quod ſanè ignorauit Ocellus, qui non cognouit Deum infinita virtute pollere, & immenſitate gaudere, & quod ſupremum Numen eſt cauſa intra Mundum, & extra Mundum, potens ipſi finem imponere; Propterea hac de re poſtremum huius Diſputationis argumentum eſt inſtituendum.



CAPVT TERTIVM.

Deus est causa interna, & externa Mundo, solusq; potest Mundum finire.

PRimo loco demonstro, Deum esse causam intra Mundum; quod indicant verba Cypriani lib. de vanitate Idolorum: *Dei Templum totus est Mundus*. Hilarij pronunciatum lib. 1. de Trinitate: *Nullus sine Deo locus est*; & doctrina D. Tom. p. p. quæst. 8. art. 2. in corp. id manifestè declarat his verbis: *Deus est in omnibus rebus, non quidē, sicut pars essentiæ, vel sicut accidens, sed sicut agens, adest ei in quod agit, oportet n. omne agens coniungi ei, ad quod immediatè agit, & sua virtute illud contingere.* Caietanus hęc verba exponens, animaduertit, quòd agens dupliciter potest dici immediatum, scilicet immediatione virtutis, & immediatione suppositi. Inmediatione virtutis, quando virtus agentis coniungitur effectui, non accipiendo coniunctionem ab alia virtute, sicut Deus coniungitur effectui, non accepta aliunde virtute. Inmediatione verò suppositi, quando inter suppositū agens, & effectum non intermediat aliud suppositum, subordinatum coagens, quale suppositum immediatum est Deus. Qui ita est propinquus rebus, vt inter Deum, & rem nullum intermediet suppositum agens illam; idcircò Deus intimè est in omnibus rebus; Et quemadmodum esse intimum est vnicuique rei, cuius est esse, ita Deus est intimus omnibus rebus, dans ipsis esse participatum, & communicatum. Quapropter, cùm res in Vniuerso comprehendantur, rectè dicitur in hoc sensu Deus esse intra Mundum, non quia Mundus contineat Deum, vt ipsum Vniuersum cætera comprehendit, sed quia Deus continet Mundum; Siquidē hæc est natura rerum spiritualium, vt corpora contineant, sicuti corpus humanum non continet animam, sed potius anima continet ipsum corpus.

Duplex agēs immediatione virtutis, & suppositi.

Deus est supradictū agens.

Deus continet Mūdū, & est intra Mūdum.

Præterea id declaratur communi Theologorum pronunciato, scilicet, quòd Deus est in omnibus rebus, per essentiam, præsentiam, & potentiam. Per præsentiam, intuendo omnia clarissimè, iuxtà Pauli oraculum, ad Hebræos 4. *Non est vlla creatura inuisibilis in conspectu eius, omnia autem nuda sunt, & aperta oculis eius.* Per essentiam est in rebus, idest per indistantiam essentiæ suæ ab omnibus rebus creatis, quæ dicitur præsentia substantialis in omnibus illis. Tandem per potentiam est in rebus, quatenus virtute sua, & actione omnia continet, & conseruat, & cum omnibus actu operatur, iuxta illud Actor, 17. *In ipso viuimus, mouemur, & sumus.*

Deus est in omnibus per essentiā, præsentiā, & potentiā.

Accedit, quòd Deus est vbique, & in omnibus Mundi locis, & quoniam omnia loca sunt intra Mundum, Deus pariter est in Mundo; Quæ vbiquitas Dei, siue existentia in rebus, quatenus locatur, non addit Deo aliquam perfectionem, vel modum realem, sed solum addit concomitantiam quandam rerum existentium, quæ eò ipso, quòd sunt, habent intra se diuinam substantiam præsentem; Itaque Deus est in omni loco, non solùm, quia virtutem locādi dat rebus, sed etiam quia locus, vt entitas vera, & realis, habet suum esse participatum à Deo. Hæc non cognouit Ocellus, nam intellexisset etiam causam, quamuis internam Mundo, potentem esse ipsum demoliri.

Vbiquitas non addit Deo perfectionē, vel modū realem.

Addo, quòd Ocellus fortasse putauit, Deum esse causam agentem necessariam, & consequenter non cognouit ipsius Dei in omnibus locis existentiam, quæ à sua libera voluntate dependet; Quocirca docent Scholastici, quòd vbiquitas propriè, & actualiter non conuenit Deo ex necessitate, sed dependenter à sua libertate, quia eatenus est vbique, quatenus res omnes, & omnia loca liberè creauit, Vndè si nō creasset, vbique non esset; Ideo vbi-

Vbiquitas Dei ab ipsius libertate depēdet.

vbiquitas Dei differt ab immensitate, etiam si ab illa deriuetur; Nam immẽsitas necessariò immutabiliter, & ab æterno conuenit Deo, qui semper fuit, & fuisset immensus, quãuis nihil creasset; At vbiquitas Dei in rebus connotat rem extra Deum actualiter existentem, quæ à Deo in tempore fuit creata; Quare immensitas est attributum, quod neceßariò conuenit Deo necessitate absoluta, vbiquitas autem conuenit necessitate conditionata; scilicet, si res est alia præter Deum, oportet, vt Deus sit in illa ratione suæ immensitatis.

Vbiquitas Dei differt ab immẽsitate.

Ocellus autem ignorauit vbiquitatem, & immensitatem ipsius Dei. Nam si vbiquitas dependet à libera Dei voluntate omnia creante, Ocellus constituit Mundum numquam interiturum, principio, & fine carentem, igitur non concedit creationem. Præterea negat, causam extra Mundum esse, ergo non percipit Dei immensitatem; Propterea non intellexit existere causam intra Mundum, & extra Mundum, ad cuius imperium totum Vniuersum finiri poterat.

Ocellus nõ cognouit vbiquitatem, nec immensitatẽ Dei, ipsumq; esse causam extra Mũdum.

Porrò Deum esse causam extra Mundum, suadet ipsius immensitas, propter quam Mundi interuallis non coarctatur, atq; id apertè significant Sacræ Scripturæ testimonia Iob 11. *Excelsior cælo est*, Et 22. *Nonne cogitas, quòd Deus excelsior cælo sit, & super stellarum verticem sublimetur?* 3. Reg. 8. *Si cæli cælorum te capere non possunt, quanto minus domus hæc?* Confirmant SS. Patres; Dionys. cap. 9. de diuinis nom. *Deus*, inquit, *extrinsecus super omnem magnitudinem funditur, & supra expanditur*, Greg. Nazianz. Apolog. 1. *Deus est in Vniuerso, & extra Vniuersum.* Hilarius lib. 1. de Trinit. *Inest interior, excedit exterior*, Quare Deus non solum est in Mundo, sed extra Mundum, quia Mũdus est locus finitus, nec potest esse adæquatus Deo, qui est infinitus; Hinc Scholastici excitant controuersiam, Vtrũ Deus sit in spatijs, seu locis imaginarijs extra Mundum.

Deus est extra Mundũ ex Sacra Script. & SS. Patrũ testimonio

De qua controuersia, duæ sunt contrariæ sententiæ, Altera negans, & est Scoti, in 1. Dist. 37. quæst. vnica. Capreoli ead. dist. quæst. vnic. art. 2. ad 4. Marsilij in 1. quæst. 39. art. 2. ad 8. qui Authores negant, Deum in locis imaginarijs extra Mundum existere; Altera sententia est affirmatiua, & est Alex. Alensis 1. p. quæst. 10. membro 3. Io. Maioris in 2. Dist. 1. quæst. 2. ad 8.

Contraria sententia de spatijs, seu locis imaginarijs.

Cæterùm existimo hanc quæst. esse potius de nomine, quam de re. Nam si sensus quæstionis est, Deum reuera esse extra Mundum in aliquibus rebus, seu locis, actu existentibus, rectè inficiatur prima sententia, quoniam extra Mundum nulla res est, nullus locus; & illa loca, vel spatia eatenus imaginaria dicuntur, quatenus solo animo concipiuntur, quasi quoddam interuallum, & vastitas, non autem quòd sit aliquid actu positiuum extra Mundum, in quo sit Deus; Si autem sensus est, Deum esse extra Mundum eo modo, quo Deus in seipso entitatem habuit, antequã esset in hoc Mundo, quem in tempore creauit, rectè dicitur Deus in locis imaginarijs esse extra Mundum, quod nihil aliud significat, quàm Deum esse in seipso nullo termino coarctatum.

Explicatur, quomodo Deus sit in spatijs imaginarijs.

Quod egregiè declarauit Suarez to. 2. Metaph. Disput. 30. num. 36. & 37. cuius præclarissimi Doctoris verba licet describere. *Quoniam ergo dicitur Deus esse extra Mundum, aut in spatijs imaginarijs, si intelligatur ibi esse, quasi cum habitudine ad aliquid aliud, quod dicto cõtingit, est planè falsum, & impossibile. Si verò intelligatur Deus esse extra Mundum, solùm per realem præsentiam suam, sine habitudine actuali, ad aliquam rem, extra ipsum, sic negari non potest Deum esse extra Mundum.* Ita Suarez; Quamobrem spatium illud nõ est aliquid præter Deum ipsum, qui est in seipso extra Mundum, scilicet à Mundo non comprehensus, non inclusus, non circumscriptus; In quo immenso spatio potest Deus aliud Vniuersum creare, & potest Deus per illam conceptam vastitatem totum hunc Mundum mouere, non mouendo Deus seipsum ad illam vastitatem, in qua iam est; Et quamuis subtilissimus Vasquez comment. in primam partem D. Thom. quæst. 8. art. 2. Disput. 29. art. 2. neget existentiam Dei

Suarez confirmatio supradicta explicatione.

Vasquez contrarius sentit.

Greg. de Valentia admittit spatia imaginaria.

Dei in spatijs imaginarijs, ego tamen libenter adhæreo contrariæ sententiæ Suarez, loco allegato, & Greg. de Valentia in primam partem quæst. 8. puncto 2.

Quibus positis, statuendum est, Deū esse causam & intra, & extra Mundū. Cui assertioni egregiè fauet doctrina S. Thomæ 1. p. quæst. 103. art. 2. quo loco quærens, an finis gubernationis Mundi sit aliquid extra Mundum, docet, quòd finis, & bonum particulare alicuius rei est intra Mundum, finis autem, & bonum totius Vniuersi oportet, quòd sit extrinsecum à toto Vniuerso, & hoc bonum, & finis vniuersalis, est solus ipsemet Deus, igitur ex doctrina D. Thom. Deus est extra Mundum.

Deus est causa extra Mundum ex D. Thom.

Quod prorsus ignorauit Ocellus, existimans, nullam causam extra Mundum reperiri, & propterea argumētatus est, quòd Vniuersum interfici nō potest à causa interna, quę inferior virtute est ipso Mundo, neq; à causa externa, quæ nulla est extra Mundum; At si cōpertam habuisset Dei immensitatem, cognouisset etiam ipsius virtutem infinitam, & potentiam, qua potest Mundum finire. Nam quemadmodum omnes creaturæ indigent diuina conseruatione, quia sic dependent à Deo, vt nec ad momentum subsistere possint, imò ad nihilum redigerentur, nisi operatione diuinę virtutis conseruarentur ex doctrina D. Thom. 1. p. quęst. 104. art. 1. Ita si Ocello perspicua fuisset hęc dependentia omnium rerum à Deo, intellexisset etiam, Deum posse à rebus subtrahere suum concursum, eisque non influere, vnde desisterent, atque in nihilum redigerentur. Sed quoniam, vt supra indicaui, putauit fortasse Ocellus, quòd Deus sit causa agens, necessitate naturæ, arbitratus est quoque, pro sua voluntate, res ipsas non posse corrumpere, & tamē sacra docet Theologia, & præsertim S. Doctor quæst. supradicta art. 3. in resp. ad secundum, quod bonitas Dei est causa rerum, non ex necessitate naturę, sed per liberam voluntatem, ideò etiam liberè cessans ab agendo in ipsam rem, redigeretur res ipsa in nihilum.

Ocellus non cognouit causam extra Mundum.


Explicatur rerum dependentia à Deo.

Notandum tamen hìc est cum D. Thom. art. 4. præfatæ quæstionis, quòd Deus aliquam rem non annihilat, iuxta illud Ecclesiastici 3. *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerant in æternum*; atq; etiam id alibi repetemus; Vnde Deus finem Mundo impositurus, nullam rem ad nihilum rediget; Non res immateriales, nempè animam humanam, & Angelum, quia istæ substantiæ sunt immortales, & toto æuo perseuerant; Non res materiales, quia licet ipsas ignis deuastaturus sit, exceptis cęlestibus corporibus, ac elementis, nihilominus mixta ab igne consumpta, resoluentur in elementa, & remanebunt secundùm materiam, quę est, & erit incorruptibilis; quamuis post Mundi finē non futura sit amplius subiectum generationis, corruptionis.

Deus rem non annihilat.

In fine Mundi Deus nullam rē annihilabit.

Iam verò præcipuæ, magisque nodosæ Ocelli argumentationes pro Mūdo nunquam interituro dissolutę sunt; Aliæ remanerent discutiendæ, ac dilucidæ, sed quoniam, vel præseferunt leuitatem, vel in easdem prostratas relabūtur, Disputationi Pythagoricæ hìc metam ponimus.



TRA-



TRACTATVS
DE FINE MVNDI.

INTRODVCTIO

Ad Platonicam Disputationem.



Irabitur fortasse Lector, me, qui diuturnam sacrarum litterarum studijs operam nauaui, in hac Tractatione de fine Mundi instituenda, longiori, quàm par sit, mora, in vestibulis humanæ doctrinæ, ac Physiologiæ immorari, antequam ad diuinæ sapientiæ, ac Theologiæ sacrarium accedens, sacræ Scripturæ lumine postremas Mundi perituri tenebras illustrem. Verùm amicus Lector tot prœuias ab humanis disciplinis ductas Disputationes æquissimo feret animo, & iucundo percurret oculo, si illud Philonis monitum memoria repetat, scilicet, quòd sicut in domibus limina sunt ante ianuam, & vrbes sua habent, per quæ adeuntur, suburbia; ita ante Theologicam sapientiam, Physiologia, omnesq; artes liberales locatæ sunt, vt per istarum atria humanus intellectus ad magnificentissimum sacræ Veritatis têplum progrediatur. Hinc Clemens Alexandrinus, allegoricum pandens velamentum, scitè considerauit, quòd quemadmodum Sara sterilis Abrahę vxor, ancillam suam Aegyptiam, nomine Agar, ad filiorum susceptionem, ipsi Abrahæ permisit; ita Philosophica eruditio tanquam Agar, humano intellectui ancillatur, & Catholica veritas côcubitum cæterarum disciplinarum cum eodem intellectu non renuit, ad sobolem humani ingenij amplificandam. Id etiam fuit mysticè, vt interpretatur Philo, à sacra indicatum Scriptura, quæ traditum est, Patriarchis tributam, vel coniugem, vel pellicem, aut plures coniuges; Soli autem Isaaco, non plures côiuges, non pellicem cum coniuge, sed vnicam tantum vxorem datam fuisse; Siquidem Isaac refert intellectum diuinitus illuminatum, quales fuerunt Apostoli, igneo Spiritus Sancti fulgore perciti, qui propria ingenia, non pellicibus, vel vxoribus artium humanarum iunxerunt, sed vnicam diuinam veritatem suis intellectibus maritarunt. Cætera verò ingenia prolis cupiditate flagrantia, sciendiq; luxurie lacessita, cum liberalibus artibus, veluti cum pellicibus, aut pluribus vxoribus, quasi connubio congrediuntur, vt tandem in cælesti doctrina contêplanda, tanquam in vxoris legitimæ complexu, conquiescât. Et quamuis Moyses cælesti doctrinæ radio fuerit illuminatus, tamê Basilius, & Cyrillus ipsum Ægyptiorum disciplinas optimè calluisse, testantur, tanetsi; Philosophiæ suppellectile sua monumenta instruxisse, vt Clemens Alexandrinus Mosaicam Philosophiam qua-

Lib. de cô gressu quærenda eruditionis.

Li. 1. Stromatum.

Homil.
In Prolegomenis contra Iulianum.
Li. 1. Stromat.

quadripartitam diuiserit; Nimirùm historicam, legitimam, ad sacrificia pertinentem, & Theologicam. Ideò ex Moysis libris omnigenam arbitror profectam esse doctrinam, quoniam non solùm ipse multis sæculis Græcorum disciplinas antecessit, quæ post Cyrum Persarum Regem in Græcia floruerunt, sed etiam vixit ante Cadmum, qui primus Græcis litteras tradidit, Cadmus autem posterior fuit Ogyge, cuius temporibus Moysen ex Aegypto Hebræos eduxisse, à Iustino Martyre, & Eusebio Cæsariense proditum est: Quare cùm per Moysen, Episcopi figurentur, ego qui licèt indignè hoc sacro efferor charactere, culpandus non ero, si ad Moysis exemplar, plurima philosophica in hoc Tractatu congessi, vt tandem purior, & clarior cælestis veritas effulgeret. Idcirco in hunc meę Tractationis, vt sic dixerim, theatrum, Philosophos Pythagoricos, Platonicos, Peripateticos, Stoicos, nec non Astronomos, & Astrologos vocaui, vt hi veluti Proci Catholicæ doctrinæ, tamquam castissimæ, nulloq; corruptæ crimine Penelopi deseruirent. Post Pythagoreos occurrit Philosophorum Homerus, & antiquæ Sapientiæ antesignanus, Plato, in cuius monumentis tāta est cum sacris litteris consonantia, vt Numenius Pythagoricus, referente Eusebio, Moysen Atticū appellauerit, Propterea D. Augustinus affirmauit, duplici via ad veritatem nos duci, Authoritate videlicet, ac Ratione, Authoritatem Christi Seruatoris nostri se omnibus anteponere asserit; Rationes verò, quæ huic potissimùm consonant, se apud Platonicos inuenire, fatetur, quorum pietatem adeò celebrat, vt quemdam Platonicum, Initiū Euangel. D. Ioannis narret commendasse, & aureis litteris conscribendū esse, dixisse. Platonicos, addit, paucis mutatis, Christianos absq; controuersia futuros. Porrò hanc Platonicæ doctrinæ cum Sacro Codice harmoniam luculētissimè demonstrant Eusebius, Ficinus, & Cardinalis Bessario, qui multas sacræ Scripturæ sententias cum Platonis comparat pronunciatis. Præsertim verò consensionem Platonis cum Moyse in Mundi creatione explicanda, celebrat Eusebius, animaduertens, Platonem protulisse à Mente diuina Solem, & Lunam, & quinque sidera, cognominata erratica, vniuersumq; Cælum, ad generationem temporis, fuisse producta. Atq; in Protagora loquitur Plato de homine è terra efformato, gratia quadam exculto, in qua ipse permanens, cunctis animi, corporis, & fortunæ bonis fruebatur; In viridarijs quoque sub vere perpetuo, collocatus fuit, vbi exigua pomorum degustatione, vitam felicem erat prorogaturus, circumsepto illo horto, ne quid noxium ingrederetur; verùm à diuinis ad terrena diuertens, legibus non obtemperans, diuina orbatus est gratia, & in corporis morbos, labores, & sollicitudines grauissimas impegit. Quibus omnibus, veluti penicillo exprimere Plato videtur ea, quæ à Moyse de felici Adami statu, nec non de ipsius in culpam lapsu, diuinitus sunt conscripta. Vnde autem hæc Plato didicerit, monet his verbis D. Ambrosius: *D. scitc vnde Plato ea sumpserit; Eruditionis gratiam Ægyptum profectus est, vt Moysis gesta, leges, oracula Prophetarum dignosceret.* Et sanè potuit in Aegypto cū Iudæis cōsuetudinē habere, qui ob dispersionem ex transmigratione secutam, in ea regione frequentes degebant Augustinus quoq; indicare videtur, quòd cùm Plato acerrimo studio, ingenioq; polleret, sicut Ægyptiorū disciplinas, per interpretem feliciter accepit, ita etiam hebrea dogmata sacris monumētis comprehensa, Iudæos alloquendo, percepit; Vel dicendum est, Socratem, & Platonem multa ex Pythagoræ doctrinæ penu retulisse, qui Pythagoras fuit Iudæi cuiusdam Nazaræi discipulus, vel, vt putauit Ambrosius, fuit genere Hebræus, quique (Clementi Alexandrino sit fides) fuit etiam circumcisus; Platonem autem non ad Ægyptū duntaxat, sed etiā ad eā Italiæ orā, quæ quōdam Magna Græcia appellabatur, ad audiendos Pythagoreos, Philolaum, & Architam Tarentinum laboriosissimè peragrasse, S. Hieronymus eleganti epistola consignauit, *vt qui Athenis* (ipsius vtor verbis) *magister erat, & potens, cuiusque doctrina Academia*

In admonitorio ad Gen.

Lib. 6. de praeparat. Euang.

Lib. 1. cōtra Academicos.

Lib. 10. de Ciuit. cap. 29. Lib. de vera Relig. cap. 13.

Lib. 11. 12. & 13. de praepar. Euang. Tom. 2. ep. ad Brauiū Martellum. Lib. 2. c. 3

Vide Mazzonium in comparat. Platonis sect. 5. cap. 20. & 21.

Iosephus lib. contra Appionē.

Ep. ad Paumachium.

mia gymnasia personabant, fieret peregrinus, atq; discipulus, malens aliena verecundè discere, quàm sua impudenter ingerere. Itaq; ex Hebræis quidem, eorũq; traditionibus multa desũpsisse Platonẽ putandum est, nõ tamen ex ipsis Moysis libris dogmata in suos dialogos deriuauit, quandoquidem nullibi testatum habetur, Platonem hebraicæ linguæ gnarum fuisse, vel Mosaica volumina, ante Alexandrum, atq; ante Persarum Imperium, in Græcum idioma fuisse translata; Quæ postea græco donata fuere sermone, iussu Ptolomæi Philadelphi Ægypti Regis, qui scripturas Propheticas, & sacra Hebræorum volumina de Iudæa poposcit, & per septuaginta viros hebræos, qui græcam linguam apprimè nouerant, interpretanda curauit. Quapropter, cùm Plato octuaginta, & vnum exegisset annum, fermè intercurrunt anni septuaginta, ab ipsius obitu, ad tempus, quo Ptolomæus illam æternis præconijs euehendam prouinciam suscepit. Atq, ex his colligit Augustinus, Platonem non solùm Ieremiam non audiuisse, vt olim ipsemet falsò opinatus, se retractauit, quoniam Plato post fermè centum annos natus est a tempore, quo Ieremias prophetauit, sed nec etiam Moysis codicem, sacrasq; Scripturas lustrauit, quę nondum in græcam dictionem erant commutatæ. Quo factum est, vt cùm Plato sacra dogmata, non a purissimo diuinarum fonte paginarum hauserit, sed à cœnosis Iudæorum lacunis; multa protulerit, quibus aliqui polluti potius, quam imbuti, in Christianam religionem detestanda crimina inuexerunt; Siquidem ab ea mortifera radice secundi Principij Platonici, quod Mẽtem, & Verbum Academici appellant, & quod substantia diuisum a prima asserunt Mente, exuxit venena iniquissimus ille Arius, quę a Constantino Magno, & Niceno Concilio non ita festinanter extincta fuerunt, quin Asiæ, Africæ, & multas Europæ oras calamitosè inualuerint. Quare iure merito Tertullianus, ceteroquin Platonis studiosissimus, de ipso ita conqueritur: *Doleo, & bona fide doleo, Platonem hæreticorum condimentarium factum*. Ob id reprehendit

Lib. 2 Retractationum.

Lib. de Anima.

ipsum Epiphanius, quòd multitudinem Deorum posuerit; primam, secundam, & tertiam substantiam, natura, ac tempore distinctam, vnde Arianorum, vt dixi, hæreticæ prauitates fluxerunt. Increpat ipsũ Chrysostomus, quòd Pythagoricam animarum transmigrationem approbarit; quamuis aliqui Platonicæ alumni familiæ, vt Alcinous, & Carpentarius, illam transmigrationem allegoricè interpretentur. Carpit illum Cyrillus, quòd Dijs minoribus facultatem creandi commitat. Accusat ipsum Augustinus, quòd posuerit animas humanas multo tempore corpora antecedentes, & per ingressum in eadem corpora, propter culpam ab ipsis perpetratam, scientias, quibus, priùs erant imbutæ, obliuiscentes, & per reminiscentiam, rerum notiones adipiscentes. Damnant tandem Platonem Io. Damascenus, & Eusebius Cæsariensis, quod in 5. dialogo de Repub. mulieres, & vxores communes omnibus ciuibus fecerit, paritérq, liberos, ad vnionem, & concordiam in Ciuitate custodiendam, cùm potius ex illo communi mulierum commercio, & liberorum vniuersali participatione, omnis amor in vxorem, & in natos deferuescat, & extinguatur; quippe ardentiùs id, quòd est proprium diligitur, quam illud, quod omnibus communicatur. Quapropter iure meritò hoc notarium Platonis dogma in lib. Polit. ab Arist. impugnatur, & ab omnibus græcis, ac latinis Patribus, tamquam à nostra fide alienum, reijcitur, & exibilatur. Itaque acerrimus Platonis propugnator Cardinalis Bessario, non contendit hęc inuenta, vti relucitantia nostræ Religioni, tueri; sed potiùs excusat Platonem, vt Gentilem Philosophum, illum nocte, per cæcas Gentilitatis caligines labantem, adducens ipse mulierum cum viris communionem, apud aliquos populos veteri consuetudine receptam. Propterea apud Garamantes, Africæ populos, quia nemini est certa coniux, ex his, qui tam confuso parentum coitu incerti nascuntur, quos pro suis colant, & agnoscant formæ similitudine vtũtur, vt ab Arist., & Pomponio Mela traditum est; Quam defensionem

Lib. 1. cõtra hæreses.

Hom. 4. in Acta Apost.

Lib. contra Cecilianum.

Lib. 11. de Ciu. c. 31.

Lib. de heresibus.

Lib. 13. de præpar. Euang. cap. 8.

Lib. 4. c. 3. aduers. calumn.

Pla-

Lib. 1. Per. cap. 2. *Lib. 1. de situ Orbis cap 8.* *Lib. 3. Stromatũ.* *Lib. 1. de Regim. Princ. cap. 15.* *Quod li. 4.* *Lib. 2. contra hæreses.* *Orat. de moderatione in disp. haben.*

Platonis, tanquam Ethnici Philosophi spectati, etiã Clemens Alexandrinus, Ægidius Romanus, & Io. Gandauensis suscęperunt. Cùm igitur dogmata detestanda suis dialogis ingesserit Plato, meritò eiusdem libros imperitiæ fontes appellat Cyrillus, & per Platonis eloquentiæ præstigias, nec non Aristotelis prauũ artificium, Ægyptiacas plagas in Ecclesiam irrepsisse, Nazianzenus affirmat, & D. Augustinus aureis Retractationum libris ingenuo, cordatoq; sapiente verè dignis, recantat alibi decantatã Platonis doctrinam, in illis præsertim, quę religioni Christianæ, & Catholicæ sapientiæ aduersantur. Recensere prætermitto innumeros propemodum errores, quos in Platonicis libris nimis anxiè conquisiuit Georgius Trapezuntius venenato stomacho, & non æstu disputandi, sed libidine contradicendi debacchando. Contra quem Platonici exercitus dux strenuissimus pugnaciter dimicauit, indutus galerum pro galea, Cardinalis Bessario Nicænus.

Quæ cùm ita sint, quis mihi vitio vertet, quòd de occasu Mundi Platonicam opinionem in accuratum, & copiosum examen reuocauerim? Quandoquidem, si Plato ex diuinarum litterarum promptuario multa delibauit, (superuacanei certè operis non est perquirere sedulò, an inter illa, ipsius de excidio Mundi sententia recenseatur; Quæ si erit monumentis sacris consentanea, recipienda erit, & laudanda, sin minus, accusanda, & explodenda; Siquidem decet, christianũ Philosophũ, nostræ Fidei dogmata cũ Ethnicis conferre pronunciatis, vt Catholica veritas validior exurgat, solidior consistat, clarior rutilet, præstantior emineat. Verùm in Academia Platonica versaturus, non est, quòd Platonicam eniter dicendi copiam imitari, quæ tanta in ipso enituit Platone, vt Romanæ eloquentiæ parens affirmauerit, Iouem humanitus locuturum, Platonica eloquentia vsurum fuisse; Propterea in Platonis infantis labijs suauissima apes stipasse mella, ad facundiæ ipsius dulcedinem præsagiendam, fabulatur antiquitas; Mihi enim nõ vberem, & suauem Platonis orationem, sed doctrinam in proposito argumento examinare curæ est. Vnde Platonis, vti ferunt, castitatem æmulatus, casto, puroque dicendi vtar genere, non Veneribus Atticis, non verborum lenocinijs expolito, sed quidem nitido, facili, & ad seria pertractanda, vti ego interpretor, accommodato.



M DL.

DISPVTATIO PLATONICA.



Liqui ante Platonem Philosophi de Mũdi Ortu, & Occasu loquuti sunt, quorum Placita traduntur à Plutarcho lib. de Plac. Philos. atq; à nobis in Disputatione Philosophica, & Stoica referentur; Quoniam verò, exceptis Stoicis, alterum Sententia ieiuna prorsus, & angusta sunt, nulloq; ferè nixa fundamento, Platonis autem opinio satis laxa, & fusa hac de re vagatur, in harum Disputationum ordine, secunda sedes Platonica Disputationi aequissimo iure defertur; In qua contexenda, quamquam aliqua Stamina longiùs ducta videbuntur, attamen omnia ad materiam, de qua agimus, explicandam, plurimùm conferre demonstrabimus. Prologuy autem loco repetendum est M. Tullij de Platone iudicium, de quo lib. 1. *Acad quaest. ita loquitur:* Plato varius, & multiplex, & copiosus fuit. *Et paulò post,* Siquidem Platonem ex illa vetere Academia numeramus, cuius in libris nihil affirmatur, & in vtramq; partem multa disseritur, de omnibus quaeritur, nihil certi dicitur. *Quare ex Platonis varia, & inconstanti doctrina, incerta etiam videtur eiusdem opinio de Fine Mundi.*

M. Tullij de Platone iudiciũ.

Verùm, vt sententia Platonis de Mundi occasu accuratiùs indagetur, à nobis primò quaerendum est, quid ipse sentiat de Mundi vel ortu, vel aeternitate; Etenim si Mundum genitum esse fatebitur, magis consonum eius doctrina erit pronunciatum de Mundi Fine; si verò Mundum genitum esse inficiatur, non facilè assentietur, Mundum esse corruptibilem; In quibus explicandis, ipsum ferè anceptem, & ambiguum reperimus.

CAPVT PRIMVM.

Afferuntur Platonis testimonia pro Mundi ortu, & aeternitate, atq; Platonem constituisse magis Mundi generationem, & finem, quàm aeternitatem, authoritate Aristotelis, & SS. Patrum, demonstratur; & declaratur Aristotelis dictum, quo aeternitatem Mundi Problema Dialecticum appellat, atq; accusatur expositio Mazzonij, & Pererij.

Plotinus, Porphyrius, Iãblicus, Syrianus, Proclus, Taurus, familiae Platonicae proceres, putarunt, Platonem Mundum aeternum constituisse; Alij pariter Platonicae doctrinę fautores, Seuerus, Plutarchus, Atticus, Mundum fuisse productum, arbitrati sunt.

Platonis testimoniũ incertum de ortu, & aeternitate Mundi.

Prodeat primo loco effatum Platonis 6. de Legibus, vbi haec habet. *Scire omnes oportet; hominum generationem, vel nullum vnquam habuisse principium, neq; terminum habituram, sed fuisse omnino semper, & fore; aut si caepit, inaestimabili ante nos temporis interuallo incapisse.* Quibus verbis incertitudo ortus, & occasus Mundani demonstratur.

In 10. de Repub. asserit, vitam hominum ad vniuersum tempus relatam nihil esse; Quibus Mundi, & temporis aeternitatem indicare videtur.

Oppositum autem, scilicet Mundum esse productum, colligitur ab eodem Platone, in Euthydemo ita loquente, *Contra itaq; quod puer sciebas, & quando genitus es, & quando natus, imo & antequam nascereris, & ante cali, terraq; ortum scivisti omnia, si modo semper scis.*

In Charmide apertè asserit, homines ex terra procreatos esse, & videtur describere primum hominis statum, & prima Mundi incunabula; *Deus*, inquit, *pascebat*

bat eos, sicut nunc homines nonnulla alia animalium genera; nulla tũc erat Respublica, nec liberorum procreatio. A terra enim homines emergebant, & hæc omnia, quę modò sunt, habentes, magna opimorum copia fructuum facillimè, atque optimè viuebant, quos non culta, sed sponte terra edebat, nudi, sine aliqua erant molestia, vicissitudines enim temporis summa temperie connectebantur.

In Theæteto Hospes ita alloquitur Theætetum; *Animalia cuncta mortalia, plantasq; & quæcumq; terra ex seminibus, radicibusq; nascuntur, & quæcumq; inanimata in terra consistunt, siue liquefieri possint, siue non possint, numquid alio quodam Opifice fabricata, quàm Deo facta esse, cùm prius non fuisse dicimus?*

In Timæo de Origine Mundi ità loquitur. *Hanc de Origine Mundi sententiam potissimùm à prudentibus traditam rectissime amplecteris, Volens enim Deus omnia bona, nihilq; quantùm omninò fieri posset, malum esse, omne id, quòd cernitur, assumens, non quietum, & tranquillum, sed temerè agitatum, & fluitans, id ex inordinata iactatione redegit in ordinem, hoc enim iudicabat esse præstantius;* Quę verba, quamuis referantur potissimum ad materiam fluctuantem, à Deo ordinatam, ex mente Platonis, tamen indicant Mundi genarationem, & exordium.

Verùm ad finem Mundi negandum, clarissima suppetunt verba eiusdem Platonis in Timæo. *Dicamus*, inquit, *quam ob causam ille rerum Author generationem, & hoc Vniuersum constituit, Bonus erat; Bonum autem nulla vmquam Dei inuidia tangitur. Ergo cùm liuor ab eo alienissimus esset, omnia sibi, quantùm fieri poterat, simillima fieri voluit.* Ex quibus verbis infertur, Mundum fine carere, quia Deus voluit, mundana ab ipso producta fore æterna, vt similiora essent Opificis naturæ, quæ est æterna. Addenda sunt eiusdem Platonis verba, quibus in Timęo inferiores Deos, idest, vt aliqui interpretantur, cælicolas, & cælestia corpora ita alloquitur. *Dij Deorum, quorum pater, & Opifex ego sum, hæc attendite. Quæ à me facta sunt, me ita volente, indissolubilia sunt; Quapropter, quia generati estis, immortales quidem, & indissolubiles omninò non estis, nec tamen vmquam dissoluemini, nec mortis fatum subibitis, quia voluntas mea fortius est vinculum, quàm illud, quo ligati estis, dum gignebamini.* Hæc Plato; Cuius sermo demonstrat, corpora cælestia suapte natura esse corruptibilia, & dissolubilia, nihilominus Dei Opificis volũtate, numquam esse dissoluenda, perpetuoq; tempore permansura.

Sed quamuis hucusq; nullum extet Platonis de fine Mundi testimonium, non sunt tamen prætermittenda ea, quę ab eodem traduntur Platone in Dialogo, qui Ciuilis, vel de Regno inscribitur, quando in corporibus cælestibus, & elementis ea indicatur mutatio, quæ in fine Mundi continget. Hæc habet inter cętera. *Vniuersum hoc alias Deus ipse regit, agitatq; atq; rotat; aliàs vero dimittit, cùm Mundi circuitus competentia sibi curricula temporis expleuerunt. Tunc sanè Mundus vltrò, ac libero motu contra reflectitur, & totius Mundi machina, tum ita vt nunc, tunc contra reuoluitur; Mutationem hanc existimare oportet omnium cælestium alternationum maximam, extremamq; esse; quamobrem consentaneum est, tunc maximas circa nos intra Mundum viuentes mutationes fieri.* Subiungit, quòd tam animæ, quàm corpora habitum subeunt puerorum, & quòd in vtrisq; volutionibus, Scilicet sub Iouis, & Saturni Regno, mutationes Solis, reliquarumq; Stellarum contingunt. Quę adumbrare videntur ea, quę in Mundi Fine euentura esse sacra testantur monumenta; Quoniam autem Plato hæc ab ipso enarrata fabulosa æstimare videtur, non est quòd multifaciamus hoc Platonis testimonium ad Mundi occasum comprobandũ, quamuis mos inoleuerit apud Platonem, quòd ipse fabularum tegumentis sua inuoluat arcana.

Indicantur à Platone, quæ in fine Mundi euenient.

Ideo in eodem Dialogo clariora hæc verba facit. *Mundus in contrarias partes vltro circumducitur, vt qui vitam, atq; intelligentiam nactus sit ab eo, qui ipsum construxit. Porrò ipsi retrorsum ire, ob id necessario insitum fuit, quod tale quidem semper in ijsdem esse, & codẽ modo se habere, atq; permanere omnium maximè diuinis naturis solis conuenit, Corporis autem*

tem

tem natura non huius est ordinis. Quod igitur cælum, seu Mundum nũcupauimus, per multa, ac præclara munera à Creatore suscepit, corporis tamen factus est Mundus particeps; Vnde fieri non potest, vt ipse in omni tempore sit mutationis expers.

Quænam autem mutationes futuræ sint in Mundo, explicat Plato in Timæo, Ægyptium quemdam Sacerdotem, Solonem de Mundi conflagratione, & illuuione alloquentem ita inducens.

Maxima Mundi mutatio-nes ex Platone, illuuio, & cõflagratio.

O Solon, Solon, Græci pueri semper estis, nec quisquam è Græcis senex, quia iuuenis semper vobis est animus, in quo nulla est ex vetustatis commemoratione prisca opinio, Nulla cana scientia, quòd ideò vobis contingit, quia multa, & varia hominum exitia fuerunt, eruntq; maxima quidem, aut ignis conflagratione, aut aqua inundatione prouenire necesse est. Minora vero alijs quibuslibet calamitatibus fieri; Nam quod apud vos fertur, Phaetontem quondam solis filium currus ascẽdisse paternos, nec patris aurigatione seruata, exussisse terrena, ipsumq; flammis calestibus conflagrasse, quãuis fabulosum esse videatur, verum quodammodo esse putandum est; fit enim longo tẽporis interuallo Calestis circuitus permutatio quadam, quam inflammationis vastitas necessario sequitur. Tũc ij, qui edita, & arida incolunt loca, magis pereunt, quam mari, fluuijsq; vicini, nobis porrò Nilus cùm in plerisq; rebus salutaris est, tùm huiusmodi à nobis arcet exitium; Quando verò Dij aquarum tollauione terra sordes diluũt, opiliones, atq; bubulci, qui iuga montium habitant, periculum illud euadunt. Quamobrem antiquissimarum rerum apud nos monimenta seruantur. Hactenus Plato; Quibus indicatur aliquando illuuiones, aliquando verò conflagrationes obruere terrena. Et quamuis à Platone prolata in aliqua dumtaxat prouincia, & Mundi parte locum, & veritatem obtineant: attamen ad vniuersalẽ Mundi conflagrationem facilè possunt extendi.

Equidem existimo Platonẽ de Mũdi ortu, & de interitu ambiguũ, & incertũ extitisse; quamuis ad Mundi generationem, & interitum promptior videatur. Qua de re multa fides adhibenda est Aristoteli, qui cùm tot annos auditor Platonis, & Discipulus fuerit, eius sententiam de Mundi ortu ingenuè, vt decet Philosophum, retulisse putandum est. Aristoteles igitur veterum Sapientum animis de Mundi principio insedisse opinionem, primo de Cælo text. 102. testatur his verbis. *Omnes quidem Mundum generant.* & in fine 1. lib. De Cælo, disputans aduersus Platonem, ostendit, improbabile esse illud, quod est genitum, esse incorruptibile, ad redarguendam Platonis sententiam, qui, vt interpretatus est Aristoteles, putauit Mundum quidem esse genitum, sed incorruptibilem esse. Et clarissimum extat eiusdem Arist. testimonium 8. Phys. text. 10. *Omnes tempus natum esse negãt, solus autem Plato ipsum esse ortum, asseuerat. Vnà enim cũ cælo ortum esse, cælum verò factũ fuisse, affirmat.* Atqui Platonem existimasse, Mundum, quamuis ortum, æternum esse, fidem facit Arist. 1. lib. de cælo text. 102. *Genitum igitur omnes esse dicunt, sed genitum, hi quidem sempiternũ; alij verò corruptibilem.* Et subiungit; *Genitum igitur esse, sempiternum tamen esse dicere impossibilium est.* Quæ verba exponens Alex. inquit, sententiam Platonis ab Arist. reprehendi, vt etiam adnotauit Pererius de principijs rerum natural. lib. 15. cap. 5.

Antiqui sapientes, Arist. referente, Mundum genitum putarunt.

Verùm post Arist. Mundi principium adscripsere Platoni viri sapientissimi, nostræq; Religionis Dynastæ; Ambrosius, Augustinus, Cyrillus, Iustinus, Tertullianus, Lactantius, Eusebius, Theodoretus, Clemens Alexandrinus, & Philo Lib. de Mundi Incorruptibilitate, Platonis adeò amicus, & imitator, vt dicterium sit vulgatissimum, *Aut Plato Philonizat, aut Philo Platonizat.* Quare nõ mihi probatur expositio viri eruditissimi Iacobi Mazzonij lib. de Comparat. Platonis, & Arist. cap. 1 sect. 5. qui interpretans verba Arist. lib. 1. To. pic. cap. 9. vbi æternitatẽ Mundi Problema Dialecticum appellat, asserit, Arist. consilium ibi fuisse indicare, se variam, & incertam in Platonicorum schola de Mũdi Ortu reputasse sententiam; Quæ etiam fuit interpretatio Benedicti Pererij lib. prænotato cap. 1. obseruantis Arist. nõ appellasse Mundi æternitatem Problema Dialecticum, quia putauerit, ipsum in vtramq; partem

Authores tribuentes Platoni Mundi principiũ.

Falsa interpretatio Arist. appellãtis æternitatẽ Mundi Problema Dialecticum.

tem posse defendi; Nam Arist. conatus fuit Mundi æternitatem demonstrare, eamq; tanquam ratum, & inconcussum decretum constituere, sed potius cum relatione ad sententiam Platonis, æternitatem Vniuersi Dialecticum Problema nuncupauit. Quæ interpretatio nullo pacto est admittenda, vt pote repugnans Aristoteli clarissime asserti, Platonem, Mundum fuisse genitum, affirmasse. Quamobrem acceptanda est expositio Pendasij in sua Textura Physica, in lib. 8. physic. part. 11. quo loco docet, Problema Dialecticum illud esse, de quo quæritur aliquod dubium; *esse autem possumus dubij*, inquit ipse, *vel quia neutrius partis opinionem habeamus, vel quia licet opinionem habeamus, extare tamen dissidium noscamus de illa re, vel inter viros sapientes, vel inter vulgares, vel tandem; quia pro vtraq; parte vigent rationes difficiles*. Itaq; docet, Problema de Mundi æternitate Dialecticum ab Aristotele appellari, non quia certitudo haberi non possit, vel quia in contrarias sententias defendi queat, sed quia putauit Aristoteles esse difficile habere propter quid de Mundi æternitate, & in hoc sensu Mundi æternitatem Problema dixit Dialecticum, non quia existimauerit, vt putarunt Mazzonius, & Pererius, hoc Problema dubium esse, & incertum in Platonis Schola, cùm Aristoteles Mundi principium, & ortum à Platone constitutum fuisse, constanter affirmet.

Vera expositio Arist. nuncupantis Problema Dialecticum Mundi æternitatem.

Cæterùm in Platonica Academia ad tuendam Mundi æternitatem, multum negotij facessere videtur Materia, quæ ab ipso dicitur præcessisse Mundi productionem.

CAPVT SECVNDVM.

Inuestigatur sensus Platonis de Materia præcedente Mundi productionem, & approbatur Expositio Cardinalis Bessarionis, Ficini, Pendasij, & Mazzonij.

Apulei dictum de Materia.

De Materia à Platone improducta, & incorruptibili constituta, ita loquitur Lucius Apuleius Platonicus lib. de Dogmate Platonis; *Materiam verò improcreabilē, incorruptamq; commemorat Plato; non ignem, neq; Aquam, nec aliud de principijs absolutis elementis esse, sed ex omnibus primam figurarum capacē, factionisq; subiectam adhuc rudem, & figurationis qualitate viduatam, sed neq; corpoream, neq; sinè incorpoream esse concedit*.

Materia, ex Platone, præcessit Mundum infinitis sæculis.

Cæterùm Plato clarissimè in Timæo asfirmauit, Materiam rerum generationem præcessisse, atq; hùc illùc fluctuantem inordinatè, & tumultuariè, fuisse à suprema Causa in ordinem redactam; Quare cùm Materia Mundi, ex Platonis placito, infinitis sæculis præcessisse dicatur, conficitur, Mundum etiam, saltem quoad materiam, iuxta ipsius mentem, æternum esse.

Equidem fateor, rationē hanc apud Platonicos maximi esse momenti ad Mundi æternitatem astruendam, eò magis, quia materiam coæternam fuisse Deo, videntur sensisse aliqui Philosophi, quos hæreticorum Patriarchas appellat Tertullianus lib. contra Hermogenem cap. 8. Quem errorem Hæretici multi sunt amplexati, scilicet Hermogenes, asserens, vt testatur idem Tertullianus, eodem lib. cap. 1. & 8. Materiam esse æternam, & ex ipsa Deū omnia fecisse, Manichæi, Seleuciani, & alij, referentibus Gregorio Nysseno lib. de Opif. Hom. cap. 23. & Euseb. lib. 7. de præparat. Euang. cap. 8. & 9. Itaq; placeat Platonis sententiam hac de re explanare, & quid intelligat pro Materia infinitis sæculis Mundum præcedente.

Marsilius Ficinus cap. 9. & 12. sui compendij in Timæum, Platonis sententiam interpretans, asserit, Materiam non esse æqualem Mundi fabro; non esse ante Mundum vllo temporis interuallo, licet origine quadam, & ordine;

Expositio Ficini de Materia præcedente Mundi ortum.

non

non iactari inordinatè ante ordinem, ſed erraturam fuiſſe procul ab ordine, quantùm in ſe eſt, niſi ſtatim deſuper fuiſſet ordinata. Ex quibus colligitur, Materiam non duratione, ſed tantum prioritatis ordine, & Naturæ præceſſiſſe.

Pendaſij de eadem Materia ingenioſa interpretatio.

Cui Ficini interpretationi conſona eſt Expoſitio Federici Pendaſij Philoſophi eximij in lib. 8. Phyſic. part. 26. quo loco examinans hanc difficultatem, obſeruat, non eſſe contradictionem in Platone affirmante, Mundum eſſe ortũ, & Materiam antea fuiſſe ordinatam, quia tantùm ſignificare voluit Plato, Materiæ ordinem mente conceptum, non quia ex parte rei præceſſerit actu Materia illa fluitans, ac inordinato motu lata, ſed quia in naturę operibus, imperfectio primum intelligitur, & inordinatio, deinde ordo, atq; perfectio; propterea Plato mente ſeparans Mundi confuſionem à Mundi ordine, dixit, ipſum ex inordinata, & fluitante Materia genitum fuiſſe, non quia talis fluctuatio Mundum actu præceſſerit, ſed natura tantum, & origine.

Vera Beſſarionis de eadem Materia explicatio.

Quam interpretationem deſumpſit Pẽdaſius à Cardinale Beſſarione lib. 2. aduerſ. Calumn. Plat. cap. 9. ita loquẽte. *Qui putant, materiam antę Mundi originem præceſſiſſe, intelligant, hæc non re ſeparari, vt alterum præcedat, alterũ ſequatur, ſed cogitatione, ſeu ratione generationis ſeiũgi, vt Deus ſimul producit partes & totũ, ſed ratio diſtinguit, quæ ſimul conſtituta ſunt, & alterum prius, alterum poſterius dicit.*

Subtilis Ficini ſpeculatio de præceſſione Materię.

Ficinus autem aliam nõ minus ſubtilem adhibet interpretationem; ſiquidem conſiderat Materiam iuxta Platonem creatam fuiſſe à Deo, formatam verò, ſeu formis exornatam fuiſſe à Mente Mundi Opifice, eamdemq; Materiam ab Anima Mundi fuiſſe motam. Etenim à Platonicis Deo attribuitur productio rerum ex nihilo; Menti verò, quæ eſt ſecunda ſubſtantia Platonica, adſcribitur generatio rerum ex Materia. Itaq; iuxta hanc interpretationem, Materia, ex ſententia Platonis, præceſſit actionem, non Dei, ſed Mentis Opificis, ideſt præceſſit formarum productionem; Atq; hinc non infertur ipſam Materiam eſſe ingenitam, improductã, & Deo æqualem, infertur quidem ipſam Materiam veluti ſubiectum, ſubſtratam fuiſſe operationi Mentis ipſam ordinantis, & varijs formis exornantis; Propterea Plato in Philebo Materiam infinitudinem, Formam verò terminũ appellauit; Atq; in hoc ſenſu aſſumenda ſunt verba Apulcii ſupra relata, aſſerentis, Materiam eſſe improductam, ſcilicet ipſam non fuiſſe productam à ſecundo Principio Platonico, quod eſt Mens Opifex Vniuerſitatis.

Accurata Mazzonij declaratio de Materia præcedente Mundum.

Hũc difficultatis nodũ animaduertit quoque vir eruditiſſimus Iacobus Mazzonius in Comparat. Platonis, & Ariſt. cap. 1. ſect. 5. adnotans enim cum Theodoreto, & alijs contradictionem in Platone, nempe quòd dixerit, Deum eſſe materiæ auctorem, & quod pariter affirmauerit, illam eſſe Deo coæternam, eamq; pręſupponi productioni Mundi, componit contradictionem eadem conſideratione ex Ficino deſumpta, Nimirum quòd Deus, ex Platonica doctrina, dupliciter conſiderari poteſt, vel vt per ſe agit, & ſecundùm energiam propriæ potentiæ, ſecundùm quam ex nihilo materiam produxit; Vel vt agit, non immediatè, ſed per primam Mentem, quam Platonici appellant Verbum, Filium Dei, Prolem ipſius Boni, & iuxta hanc Dei operationem non immediatam, Deus ipſe ſupponit Materiã, quoniam nimirum Materia præſupponitur à Mente Formarum Opifice.

Rationes demõſtrãtes, Materiam Mundi ortum non præceſſiſſe.

Hoc autem crimen de Materia antegrediente infinito tempore Mundum, ſatis, ni fallor demonſtrabunt rationes philoſophicæ, quas ſubnectam. Quęro, an Materia, quæ temerè, inordinatèq; mouebatur, id haberet ſecundum naturam, vel præter naturam. Non primum dicendum eſt, quia ſi natura eſt cauſa ordinis, eaq; inordinatè agitatur, nequit dici ſecundùm naturam cieri; Si verò aſſeratur ſecundum, ſcilicet Materiam præter naturam ita ſe habuiſſe, ſequitur, ſtatum præter naturam tempore anteceſſiſſe ſtatum ſecundùm naturam, quod eſſe improbabile, demõſtrat Ariſtoteles 2. de Cælo textu. 18. his verbis, *Poſterius autem eſt, quod præter naturam exiſtit, eo quòd eſt ſecundùm Naturã.*


Imò

Imò magis absurdum est, eumdem statum præter naturam tempore infinito constitisse, & sempiternum fuisse, vt demonstratum est ab Aristotele eodem lib. text. 38. *Nihil enim*, inquit, *esse videtur infinito tempore præter naturam*; Quare si infinita sæcula præcesserunt Mundi ortum, sequitur quód infinito tempore materia in eo statu præter naturam permansit. Quod si dicant Platonici, Materiam ita temerè agitatam infinitis sæculis non præcessisse, sed ad certos, determinatosq; motus redactam fuisse, ita vt illa corpora Materiam cōstituentia, certa, definitaq; loca peterent, nulla afferri potest ratio, ob quam eadem corpora eisdem motibus agitata, eademq; loca petentia, Mundum potius hoc, quàm alio tempore, constituerint.

Accedit, quód ea corpora debuisse simplicia; At simplicium corporum simplices esse motus, ostendit Aristoteles primo de Cælo text. 7. Quare motu fuisset, vel latione recta, vel in orbē; Verùm motus in orbem agitur circa Mundi medium, & centrum, & recta latio fit à medio, aut ad medium. Itaq; si Mundus infinito tempore præcedente non existebat, neq; etiam eius centrum, vel eius medium existebat, & cōsequenter talis motus ante Mundi fabricam esse non poterat.

Efficax Arist. ratio, euertens præcedentiā Materia. Neq; est prætermittēda ratio ex Aristotelica deprompta doctrina, scilicet quòd ea Materia, vel erat induta forma, vel absque forma. Non fuisse absq; forma, demonstrat Aristoteles lib 1. de gener. & inter. text. 29. asserens, materiā absq; forma, & passione existere non posse. Nam cùm existentia, sit vltimus rei actus, attribuendus tantum est enti integro, & perfecto, non dimidiato, & potiùs inchoationi entis, qualis est materia. Si verò habebat formam coniunctam, igitur erat Corpus, ergo Mundi corpus factum est ex corpore, & tamen idem Arist. 1. Physic. ostendit, quòd omne, quod fit, ex contrario fit, vt calidum ex non calido. Ita corpus debet fieri ex non corpore; Igitur ea Materia non debuit esse corporea, vt propterea neq; corpoream, neq; incorpoream ipsam, ex mente Platonis, appellauerit Apuleius. Quare hæ rationes conuincunt, Materiam infinito tempore non præcessisse Mundum, sed tantum natura, & ordine; Cum verò prioritas naturæ nullo tempore mensuretur, dictum fuit à Platonicis, Materiam infinitis sæculis, idest absq; vlla temporis mensura, tantum secundùm naturæ ordinem præcessisse.

Hæc à me tradita sunt, iuxta Platonis doctrinam, eiusq; Interpretes; Quod si ad Theologicæ Sapientiæ regulam res exigatur, asserendum est, Materiam totam simul à Deo creatam fuisse, ex pronunciato Salomonis; *Qui viuit in æternum, creauit omnia simul*; Dein sex dierum interuallo omnium rerum formas à Creatore Deo productas fuisse, vt habetur sacro lib. Genes. Cap. 1. Itaque Lector em semper ad monitum volo, vt me cum Platonicis congredientem, Platonicè loquentem consideret, & cum Aristotele disputantem, Peripatetica vtentem argumentatione. Cùm autem hucusq; incertus sit ex Platone finis Mundi, quærendum à nobis est, an ex eiusdem Platonis principijs, & dogmatibus aliqua de Vniuersitatis occasu cognitio possit hauriri.



CAPVT TERTIVM.

Triplici Substantiæ Diuinæ Platonicæ Mundi finem repugnare; Mentem secundùm Platonis principium non esse Intellectum assistentem, neque Colcodeam, neq; Animam Mundi in Medio positam, cuius Medij ratio explicatur. Non esse Spiritum Sanctum; & Triadem Platonicam à Sanctissima Triade longè differre, demonstratur.

Plato tres substãtias diuinas cõstituit.

PLotinus, Porphirius, Iamblicus, Proclus, & alij Academici tres statuerunt gradus Diuinitatis, vel tres Diuinas substantias possuerunt; scilicet Deum, supremum Diuinitatis gradum obtinẽtem; Mentem Diuinam, cui secundum assignant gradũ; Animam Mundi, cui tertium gradũ attribuunt. Deum appellarunt ipsum Vnum, ipsum Bonum, ipsum Pulchrum; siquidem, vt animaduertit Plotinus, Lib. Quod Intelligibilia non sint extra Intellectum, Deus dicitur ipsum Bonum, non autem Bonus, quia cùm sit omnis expers compositionis, non componitur ex Bonitate, & ex habẽte Bonum; Ideò non dicitur Bonus, Vnus, Pulcher, sed ipsum Bonum, & ipsum Pulchrũ, quia hæc nomina, veluti formæ abstractæ in Deo concipiuntur, & perindè est, ac dicere, Deus est Bonitas, Vnitas, Pulchritudo; Idcircò ad Deum, cùm sit ipsum Bonum; omnia habent ingenitam propensionem, ita vt munus, vt sic dixerim, Dei sit omnia ad seipsum allicere.

Deus est ipsũ vnũ, ipsum Bonũ, ipsum pulchrum.

Finis Mũdi repugnat primo Principio Platonico respectu Vnitatis.

Huic primo ex Platonica Doctrina principio Mundi finis repugnat; Etenim cùm ab hoc principio Vnitas proueniat, atq; Vnitas à partium separatione disrumpatur, quoniam in fine Mundi animalia, & quæcumq; alia mixta destruentur, & ab Vniuersitate separabuntur, Vnitas ipsa in Mundo deficiet; Quæ deficientia Vnitatis non cohæret cum primo Principio; seu substantia Platonica.

Præter Deum aliam substantiam Diuinam Academici constituerunt, affirmantes, ipsam à Deo fluere, quam Mentem, Verbum, filium, & Imaginem Dei, siue Boni nuncuparunt, eamque Mundi Opificem, & Creatorem dixerunt, & etiam Mundum Archetypum, siue Intellectualem, seu Idealem nominarunt. Hæc Mens, ex ipsorum sententia, nõ penitus perfecta à Deo emanat, sed in primo suo ortu, est instar Materiæ, quæ multam in se continet imperfectionem; Quoniam verò omne genitum appetit genitorem, quem imitando, perficitur, Mens ex Deo genita ad Deum conuertitur, à quo suscipiens rerum omnium formas, omniformis euadit, & perfecta; formæ autem sunt Ideæ, idest Res veræ, pulchræ, bonæ, & prorsus necessariæ in Mente opifice existentes; Quãdoquidem Academici asserunt ea, quæ sensibus comprehẽduntur, Res veras non esse, sed rerum vmbras, & simulachra, Res autem veras esse Ideas.

Nõ cohæret Mundi occasus cum secundo Principio Platonico, Opifice Vniuersitatis, & ordinis.

Finis Mundi repugnat huic Menti; Quoniam, cùm hæc sit Opifex Vniuersitatis, & Auctrix ordinis, in Fine Mundi auferẽdus ab Vniuersitate est ille ordo, quo nunc Mundus est præditus in ordinata serie mixtorum. Addo, quòd aduersatur Causæ Opifici destructio illius Opificij, quod ab ipsa fuit productum.

Mẽs, quæ est secundum Principium Platonicũ nõ est primus Motor ab Arist. indagatus cõtra Simplicium.

Obstat similiter Menti à Platonicis inuectæ Mundi exitium, si Mens Platonica, iuxta Simplicij Interpretationem, esset primus Motor ab Aristotele in 8. Physic demonstratus; Etenim cùm ille primus Motor sit æternus, æternoque tempore moueat, huic Menti repugnat finis motus, atq; adeò Mundi occasus; Sed grauiter hallucinatur Simplicius, quia Mens Platonica non est Deus; Primum autem Motorem esse Deum, colligitur ex discursu Aristotelis, quo contendit primum Motorem immobilem

inue-

inuenire, qui esse non potest nisi Deus. Prrerea in 8. Physic. text. 37. commēdat Aristoteles Anaxagoram, qui dixit, Mentem esse impatibilem, & immixtã, quoniam cùm posuerit Mentem esse primum Motus Principium, hæc immobilis existens, sine labore mouebit, cùm sit immixta, & impatibilis. Ex quibus consequitur, primum Mouens immobile ab Aristotele inuestigatum, esse Mentem Anaxagoræ; Hæc verò, cum sit Summus Deus, planè conficitur, primum Motorem ab Aristotele demõstratum, esse Deum, & non Mentem Platonicam, secundum principium in substantijs diuinis à Platone positum.

Mens Platonica non est Intellectus assistens ab Auerroe positus.

Neq; hæc Mens Platonica est illa, quæ pluribus locis inducitur ab Auerroe, sed præsertim lib. 3. de Anima, comment. 5. nimirum Mens, humanæ speciei addicta, quæ est Intellectus assistēs, & in omnibus hominibus vnicũ intelligendi Principium, quia talis Mens, seu Intellectus assistens, non ponitur ab Auerroe Mundi Opifex, qualis est Mēs Platonica.

Mens Platonica non est Colcodea ab Auicenna inuecta.

Neq; hæc est Mens ab Auicenna excogitata Tract. 9. primę Philos. vbi præter primam Mentem, quæ est Deus, decem alias Mentes constituit, ita inter se ordine digestas, vt vna sub altera posita sit, & ex altera pendeat, quarum nouem superioribus cælestibus sphæris præsides posuit, decimam autem huic Mundo elementari præsidem cõstituit, quam appellauit Colcodeam, scilicet Datricem formarum, quia tribuit omnes formas materiatas materiæ, & omnes formas intelligibiles nostræ Animę intelligenti, se ad illam conuertenti. Cui doctrinæ adhæret Algazeles lib. 1. Philosophiæ tractatu 5. & Alpharabius in lib. de Intelligentijs.

Mundi excidium repugnat Intellectui assistenti, & Colcodea.

Verùm, quamuis supponatur, Platonis Mentem esse, vel intellectum assistētem, vel Colcodeam, nihilominus asserēdum est, Mundi excidium huic Menti penitus aduersari; Quoniam Intellectus assistens, Mundo destructo, frustrabitur suo munere; & amplius speciei humanę non assistet; similiter Colcodea, Dispensatrix formarum, suo munere feriabitur; Quare finis Mundi vtriusq; Mentis actioni, & naturæ reluctatur.

Tertia substātia, & principiũ Platonicum est anima Mundi, cuiusq; origo.

Tertium Principium, seu Diuinam substantiam Platonici posuerunt Animam Mundi, omnia formantem, animantem, viuificantem, quam produci à Mente Opifice arbitrantur. Imò antiqua est sententia Philosophorum, quæ potissimum, Thalete Florente, Floruit, Mundum esse magnum animal Anima præditum. Hinc Zeno, Strato, Chrysippus, & cæteri ex Stoica familia, hanc opinionem adamarunt, quamquam inter Platonicos, & Stoicos hoc intercedit discrimen, quod Stoicorum sententia fuit, ipsum Deum esse Animã Mundi. Quod pronunciatum ex Pythagora desumpserunt; Platonici autem nefas censentes, Deum Animæ munia obire, constituerunt Animam Mundi Deo inferiorem, imò inferiorem Menti, quæ ex Deo oritur; Propterea opinati sunt Academici, vnam esse Animam Mundi omnia formantē, cuncta inter se vnientē, & conciliantem; Cui concinit Virgilius his carminibus Aeneid. 6.

Deus non est Anima Mūdi, qua Deo, & anima creata est inferior.

Spiritus intus alit, totosq; infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Cur Platonici cōstituerint Animam Mundi, & ex qua natura constantē.

Ratio potissima, qua suadentur Platonici ad inducendam hanc Mundi Animam, est, quia in hac rerum vniuersitate continentur substantiæ corporeæ, & incorporeæ, quæ cùm simul iungãntur, necesse est ponere vinculum, quo adeò dissimilia copulentur; Hoc autem vinculum est Anima Mundi, participans cum Mente Creata Opifice, Naturam spiritalem, & immaterialem, cum Materia autem corporea, naturam sensibilem, mobilem, & corpoream. Hinc Iamblicus, Proclus, & Chalcodius in comment. Timæi affirmarunt, Animam Mundi ex diuidua, indiuiduaq; natura esse compositam, atq; substantiam esse mediam inter naturam corpoream, & incorpoream collocatam. Clarissimum est de hac Anima Platonis testimonium in Timęo his verbis expressum. *Animam in eius medio collocauit, per totumq; tetēdit, atq; ea corpus ipsum etiam extrinsecus circumtexit, Mundumq; hunc, & solum; solitariumq; & circularem volui in circulum statuit.* Et paucis interiectis, subdit. *Atq; illa à medio per omne, vsq; ad Cæli*

extrema se applicans, eiq; extrinsecus circumfusa, seq; in seipsam conuertens, ita sempiterna, sapientisq; vita in vniuersum tempus Diuinum dedit exordium.

Quod sit medium, in quo dicitur Animam Mundi habitare.

Quod verò sit illud medium, in quo Anima à Platone locatur, cõtrouersum est inter Platonicos. Quidam per mediũ, cẽtrum Mundi intellexerunt, Alij Animam in cælesti regione collocantes, putarunt medium esse Lunam, vt Ioannes Picus, quoniam Luna media est inter corpora cælestia, & elementaria. Alij posuerunt Animam in suprema sphæra, quam Naturæ medium esse dixerunt, quæq; primum animatur ab hac Anima, quæ inde distribuit Animationem ad reliquas Vniuersi partes. Chalcidius, Solem medium, in quo Anima habitat, existimauit, quoniam Sol est instar cordis Mundi, à quo, tamquam à corde, vita in hæc inferiora diffunditur. Non prætermittam nonnullos Platonicos existimasse, animã Mundi esse animam Octauæ Sphæræ, adductos verbis Platonis in Phædro ita loquẽtis. *Magnus vtique Dux in Cælo Iuppiter citans, alatũ currũ, primus incedit, exornans cuncta, prouidèq; disponens. Hunc sequitur Deorum, Dæmonumq; exercitus, per vndecim partes ordinatus. Permanet autem Vesta in Deorum æde sola;* Quibus verbis Magni Ducis nomen tribuitur Animæ Mundi, quam sequitur exercitus per vndecim sphæras ordinatus, scilicet corpora cælestia, & elementa, quibus dicuntur seruire Dæmones, ipsius Iouis, idest Animæ Mundi, mandata exequentes. Vesta est Terra, vel centrum Vniuersitatis immobile, suo loco firmiter fixum, circa quod sphæræ circumrotantur.

Aduersatur occasus Mundi Anima Mundi.

His ita constitutis, asserendum est Animę Mundi maximè aduersari rerum Vniuersitatis Occasum. Etenim, cum ex hac Anima vis quędam vegetalis, rerum omniũ productrix emanet; Ex hac, vegetantia, & animalia, quæ præsertim ex putri materia nascuntur, iuxta Platonicorum placita, sua deducãt primordia, & generationes destructa hac rerum inferiori Vniuersitate, tales deficient generationes, & cõsequenter Anima à suo munere vacabit. Atq; cùm ipsa resideat, vel in Octaua Sphæra, vel in Luna, vel in Sole, cessantibus cælestium Orbium motibus, occidente Mundo, ipsa Anima è suis sedibus deturbabitur, in quibus eatenus habitat, quatenus motu cęlorum ad omnes Mundi partes ducta, ipsas fouet, animat, & viuificat. Tandẽ, cùm Animæ propriũ sit rem animatam conseruare, & custodire, destructionem Vniuersi ipsius Animæ Mundi penitus inimicam esse, nemo non videt.

Opinio putantiũ tres Diuinas Platonicas Substãtias esse Sanctissimã Triadem.

Non me latet, Eusebium Cæsarien. lib. 11. de præparat. Euangelic. Theodoretum lib. 2. De curat. græc. affect. Cyrillum Alexandrin. lib. 8. aduersus Iulianum, August. Steuchum lib. de perenni Phil. & alios Platonicæ doctrinæ cum nostra Religione Conciliatores, putasse has tres diuinas Platonicas Substantias, re, & essentia nequaquam inter se differre, & interpretatos esse Platonem, vocasse ipsum Bonũ, quem nos dicimus Æternum Patrem: Mentem, quem nos filium, Verbumq; appellamus: & Animam Mundi, quem nos Spiritum Sanctum nuncupamus. Quamobrem si Triades Platonica esset vna, & eadem cum Sacrosancta Triade, quam christiana Religio, & Theologica docet doctrina, sequitur, quòd quemadmodum Mundi excidium, iuxta Sacræ Theologiæ pręscripta, prorsus consentaneum est Decretis Sanctissimę Triadis, tamquam opus ad extra, ex vulgatò pronunciato, Opera Trinitatis ad extra sunt indiuisa; Ita etiam non repugnet triplici Substantiæ Platonicæ. Iamq; pateat ex Platonis doctrina Mũdi interitum esse admittendum.

Refellitur supradicta opinio.

Sed, vt verum fatear, absurdum penitus est asserere, Platonicas Substantias esse illas tres, quas adorandas nostra iubet Religio; Imò ab hac Platonis explicatione abhorrent Academici ipsi, affirmantes Substantias tres à Platone inuectas, inter se differre, & alteram alteri inferiorem esse. Quod potissimum indicat celebre illud dictum Platonis Epist. 2. ad Dionisium ita scribentis. *Circa omnium Regem, omnia sunt; Ipsiusque gratia sunt omnia, Ipse pulchrorum omnium Causa, Circa secundum secunda, Circa tertium tertia;* Quæ verba, ex communi Platonicorum interpretatione, hunc habent sensum, In Deo omnia sunt per Essentiam; In Mente per Ideas;

In Anima per Notiones; addunt aliqui, In Materia per Vmbras. Quare, cùm inter has Substantias reperiatur ordo primi, secundi, & tertij, & omnia nõ æqualiter, sed diuerso modo in ipsis tribus Substãtijs reperiãtur collocata, omninò cõstat, in his substantijs Platonicis non esse illam omnimodã vnitatem, & identitatem Essentiæ Diuinæ, illã Potentiæ, Sapientiç æqualitatẽ, quę in tribus Sanctissimis Personis pfectissimè reperitur.

Animam Mũdi nõ desumpsit Plato ex sacris Genesis verbis: Spiritus Domini ferebatur super aquas.

Hinc improbãdi sunt illi, qui Animã Mũdi arbitrati sunt Platonem desumpsisse ex libris Moysis Cap. 1. Genesis: *Spiritus Domini ferebatur super Aquas.* Etenim, aiunt ipsi, cum Ægyptij per aquas interpretentur Materiam, & per spiritum Animam, Plato ex illis verbis, huius Animæ Mundanæ cognitionem deduxit. Imò putarunt nonnulli, Platonem obscuram, & imperfectam de Sanctissima Trinitate habuisse notitiã, cùm ibi nomine Spiritus, ex Chrysostomi, Basilij, Ambrosij, Bedæ, Theodoreti interpretatione, Spiritus Sanctus indicetur. Sed turpiter decipiuntur qui tantum Platonicæ adscribũt Doctrinæ. Etenim Deus cognosci non potest naturaliter, nisi à posteriori, idest ab effectibus, vt est Causa, & Principium verũ omnium, & licet virtus creatiua Dei communis sit toti Trinitati, pertinet tamen ad vnitatem essentiæ, non ad distinctionem personarum; vt expressis verbis docet D. Thom. 1. p. quæst. 32. art. 1. Hinc conficitur, Platonem naturali lumine non potuisse aliquam de diuina Triade cognitionem adipisci. Et

Plato de diuina Triade nõ habuit cognitionem.

quamuis prænotati grauissimi Patres verba Moysis de Spiritu Sancto interpretentur, aliæ tamen non desunt diuersæ expositiones. Caietanus enim per spiritum intelligit Angelos, per Aquas cælestia corpora, ita vt sensus sit, Angelos cælestia corpora mouisse; Tertullianus per spiritum exponit aerem, & ventũ, qui dicitur Spiritus Domini, quia à nullis causis naturalibus ventus ille excitabatur; Vallesius Lib. 1. Sacræ Philosophiæ per Spiritũ intelligit ignem, qui omnia dicitur permeare. Pererius Comment. in illum locum, per Spiritum exponit vim, & efficaciam Causæ agentis, nimirum Dei. Quæ In-

Diuersæ expositiones in prædicta verba Genesis.

terpretatio antea probata fuit Ioanni Pico Cap. 1. Enthapli, vbi per aquas intelligit dimensiones interminatas, quæ sunt coæuæ materiæ, per tenebras, quæ erant super faciem abyssi, exponit priuationem coniunctam materiæ, quæ dicitur abyssus, propter interminatas dimensiones, quæ terminantur à forma, per lucem exponit formam, & ea verba, *Factum est vespere, & mane dies vnus,* interpretatur, quòd ex materia, & forma factũ est compositum. Quare, cùm diuersæ sint interpretationes verborum Moysis, non est opinandum, Platonem ex illis verbis aliquam de Spiritu Sancto notitiam desumpsisse, maximè cùm nobis compertum non sit, Platonem Hebraicæ linguæ ignarum, librũ Moysis legisse, sed potius ex Aegyptijs aliqua didicisse, quæ ipsimet Ægyptij ab Hebræis acceperant, cum quibus conuersabantur. Et quamuis Iustinus Martyr, & D. August. asserant, Platonem Animam Mundi ex allatis Moysis verbis decerpsisse; nihilominus idem August. longè, lateq; differre à Spiritu Sancto, & alias substantias Platonicas à substantijs diuinis penitus diuersas esse in Libris; De Ciu. Dei; sapientissimè demonstrat. Imò Card. Bessario, acerrimus Platonicę doctrinæ defensor, lib. 2. cap. 4. hæc habet. *Plato multa certè de Trinitate loquutus est, sed longè aliter, quàm nostra Religio doceat;* & subiungit: *Quamuis Plotinus scripserit librum de tribus personis principalibus, in quo primum notandus est titulus, cum & Personas nominet, & secundùm ritum nostræ Religionis trinas constituat; tamen ait, quod æternum illud, atq; perfectum, æternum semper, perfectumq; generat, minuſq; est quod generatur, quàm quod generat; quod repugnat omnino æqualitati subistãtiæ, quã secundùm fidem, & doctrinam Theologicam in Personis diuinis reperitur.* Hactenus Bessario. Quamobrẽ, cùm repugnet tribus Diuinis substãtijs Platonicis finis Mundi, vt à nobis demonstratũ est, nulla profectò ex hac Platonica Doctrina de Fine Mundi obtineri potest cognitio. Ideo remanet perquirendũ; An ex eiusdẽ Platonis Doctrina de Animabus humanis aliqua de Mundi occasu hauriri possit notitia.

CAPVT QVARTVM.

De numero determinato Animarum, de ipſarum exiſtentia ante corpora, & diſtributione per ſidera, de vehiculis ipſarum, & qualis ſit Animarum tranſmigratio, & perpetuum non eſſe earumdem ad corpora circuitum declaratur; Ex quo finis Mundi colligitur.

HVmanas animas in ortu Mundi ex cratere, ſiue patera ſupremi Numinis, quæ ſignificat animæ rationalis Ideam in Mente Opifice exiſtentem, certo, determinatoque numero prodijſſe, ſententia eſt Platonicorum ſatis celebris. Et ipſas quidem ante corpora extaſſe, apertè fatetur Plato in Phædone his verbis. *Dictũ eſt animam noſtram ita eſſe alicubi, priùs etiam quàm laberetur in corpus, vt illa ipſius Eſſentia habeat eius, quod verum eſt, cognomentum*. Id quod repetit, 10. de Legibus; & in Phædone. Hancq; fuiſſe opinionem Academicorũ de ſtatu animæ ante corpora, teſtatur D. Auguſtin; De Eccleſ. Dogmat. cap. 17. *Animas hominum*, inquit ipſe, *non eſſe ab æterno inter cæteras intellectuales naturas, vt Academici quidam finxere, nec ſimul à conſtitutione Mundi creatas, vt Origenes; ſed ſimul creando infunduntur, & infundendo creantur*;

Authoritates Platonis de exiſtentia Animarum rationaliũ ante corporis informationem.

Reprehendit D. Auguſtin. Platonis opinionem de animabus antecedẽtibus corpora.

Et ſane deplorandus eſt Origenes, qui in huncerrorẽ impingit, quẽ tamquam falſum, & impium dogma ſecuti ſunt Priſcillianiſtæ, & reprobatur à Concilijs Conſtantienſi, & Bracarenſi, & à Patribus, tùm Græcis, tùm Latinis; Animę igitur à Platone initio Mundi à Mente Opifice emanantes, per Stellas firmamenti fuere diſtributæ; Ideo Plotinus putat Orbem, qui à Græcis Aplanes dicitur, & eſt Octaua ſphæra, felicium Animarum ſedem, & patriam eſſe. Hinc aliæ Martiales, aliæ Iouiales, Venereæ, & Mercuriales dicuntur animæ, per Sphæras Planetarũ diſtributæ. Ex quo etiam apparet, certum eſſe illud, quod apud aliquos Platonicos videtur incertum, nimirum Platonem numerum determinatum animabus ſtatuiſſe, Nam Stellę, quamuis infinitæ, & innumerabiles ęſtimentur, ſunt tamen in numero determinato, & numerabiles, ſaltem ab Angelo, quamuis Aſtrologi ſolum viginti duas ſupra mille enumerent. Ideò conficitur, vt etiam Animę per Stellas diſtributæ, numerum habeant determinatum, quamuis dicendum ſit, ſententiam Platonicorum non eſſe, ſingulis Stellis ſingulas animas adhærere. Deſcendunt autem in humana corpora animæ è ſtellis multis de cauſis; Vel vt informent, & regãt hęc Corpora, quod ſibi lucro ducunt, vt aſſerit Author myſticæ Philoſophiæ ſecundùm Aegyptios lib. 7. cap. 1. quia videlicet earum virtutes ignotas in corporum informatione patefaciunt; Vel deſcendunt, vt ornatum magis, & cultum faciant hunc inferiorem Mundum, vt opinatus eſt Plotinus lib. 8. Ænead. 4. Vel vt ſingularum rerum ſenſibilium cognitionem obtineant, quam notitiam rerum materialium in Cælo degentes, non habent, vt putauit Ficinus lib. 16. Theolog: Vel tandem deſcendunt ad luendas pænas culpæ à ſe ipſis in Cælo cõmiſſę, quando nimirum generationis, & rerum humanarum amore captæ fuerunt. Quæ animarũ culpa, & calamitas inde etiam indicatur, quia migrantes in corpora, dicuntur deguſtare vndam fluminis Amelitæ, ideſt negligentiæ, eò quia ſuprema, & diuina neglexerũt; Et eo tempore, quo manent in corpore, dicuntur dormire in Lethæo campo, ſeu bibere flumen Lethis, ideſt obliuionis, quoniam obliuiſcuntur earum rerum, quarum notitiam apud ſuperos habebant; Ideo ab obiectis ſenſibilibus excitatæ, obliuionem paulisper expellentes, incipiunt reminiſci, & per reminiſcẽtiam, ſcien-

Reprehẽditur Origenes, & alij ſupradicti erroris.

Cauſæ, propter quas, iuxta Platonicos, animæ humanę deſcendunt in corpora.

scientias acquirunt. Huc spectant ea, quæ Platonici asserunt de tonitruis, & terræmotibus consequentibus animarum descensum ad ærumnas earumdem indicandas. Imò asserunt, animas descendere per signum Cancri, quod est domicilium Lunæ, quæ rerum inferiorum generationi præest; & quia Cancer suo retrogrado motu regressum à perfectione significat, quemadmodum animæ ad astra reuertentes, per signum Capricorni ascendunt, quo significatur ipsas ad supernas perfectiones subleuari, cùm Capricornus suo cornu sidera petat, & sit domiciliū Saturni, qui præest contemplationi.

Animaduertendum est obiter, hinc animæ miseriam, & antiquum errorem ab ipsa perpetratum, dum habitaret in Cælo, induxisse Originem, & Priscillianistas in grauissima errata, quoniam putarunt, animas ante corporis ingressum peccasse, illudq; peccatum fuisse Originale; Quæ hæresis impugnatur à Concilijs, & Patribus, à D. August. 12. de Ciu. Dei. Cap. 26. à Tertullian. lib. de Anima; à D. Thom. 1. p. quęst. 45. art. 2. & à Concilijs, Bracarensi, & Constantinopolitano sexto.

Error Origenis de peccato Animæ ante ingressum corporis.

Cum verò Anima sit mediæ Naturæ inter intelligibilia, & æterna, ac materialia, & caduca; propterea q; Horizon, siue terminus inter ipsa appelletur à Plotino, fit, vt vinculo indigeat, quo corpori copuletur; Hinc tria Vehicula animæ assignarunt Platonici; Æthereū, siue igneū, quod desumit anima à Stella, cui applicatur, & dicitur animæ currus, atq; in hoc Vehiculo perpetuò animæ inuoluitur, & tandem cum hoc Vehiculo à corporibus remeat ad stellas, vbi harmoniam cælorum intelligit, & coniungitur Menti per comtemplationem Idearum, in qua contemplatione felicitas Platonica est collocata. Secundum Vehiculum circa animam componitur ab aere, ideò dicitur Vehiculum spirituosum, purum, & tenue, quo vtitur anima in corpore, & quo implicatur, ex Platonis placito, per illud tempus, quo apud Inferos culparum pænas persoluit. Tertium tandem Vehiculum est corpus quatuor elementis cōflatum, quodque à Platone in Cratylo Sepulchrum animæ nuncupatur; Secūdo autem, & tertio Vehiculo deposito, remanet in primo quoad Stellas reuertitur, vt dixi, de quo Vehiculo cecinit Virgilius Æneid. 6.

Tria animarum vehicula à Platone excogitata.

Donec longa dies perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumq; reliquit
Æthereum sensum, atq; aurai simplicis ignem.

Ex quo etiam patet, animam humanam è corpore Solutam immortalem esse, vt constans est Platonis sententia demonstrata in Timæo in Menone, in. 10. de Repub. in Epistolis, in Phædro, in Apologia Socratis, & ex professo In Phædone; Nam cùm hæc sit producta à Mente, ab ipsa immortalitatem nanciscitur; Cum verò Animæ brutorum Animalium à Dijs secundis, & minoribus producantur, sunt mortales, & non animæ, sed potius Vitæ, & simulachra animarum à Platonicis appellantur.

Animæ humanæ immortalitas Platoni probatur.

Qualem verò statum sortiantur animę humanę à corporibus seiūctę, Academici inter se cōtrouersantur. Memini me apud Augustinum legisse. lib. 22. c. 28. de Ciuit. Varronem. lib. de Gente Populi Romani prodidisse Genethliacos quosdam scripsisse, in renascendis hominibus dari παλιγγένεσιαν quam longò annorū spatio confici asserebant, adeò vt eædem animæ, quæ corporibus nectebantur, aliquando rursus redeant in coniunctionem. Hinc Plato in lib. de Regno indicat, futuram Palingenesiam in fine mundanæ reuolutionis, iubente Deo, & dæmonibus ministrantibus. Refert Lactantius lib. 7. cap. 23. Chrysippum in libris, quos de Prouidentia conscripsit, existimasse impossibile non esse, vt post excessum nostrum, rursus spatijs quibusdam reuolutis temporum, in hunc statum, in quo nunc sumus, restituamur; Quæ opiniones ab vno fluxerunt Pythagora, qui putauit migrare animas de corporibus iam morte confectis, & insinuare se nouis, recensq; natis, ac easdem iugiter nunc in homine, nunc in pecude, in volucre, & in alia belua renasci. Ideo cecinit Ausonius Gallus Epigram. ad Pythagoram de Marco, qui dicebatur Pullaria,

Transmigratio animarū diuerso modo explicatur.

ti-

Pythagora Euphorbi, reparas qui semina rerum,
Corporibusq; nouis das reduces animas,
Dic, quid erit Marcus, iam fata nouissima functus,
Si redeat vitam rursus in aeream?

In hac verò transmigratione animarum explicanda Pythagorici, & Platonici discrepant inter se. Etenim Numenius, Arpocratius, Boethius, (quæ fuit opinio Pythagoræ) putant animā exutam humana figura, inserere se se fœtui ferino, eiusq; bestiæ animare corpus, cuius vitia, & mores antea imitatione expresserat; Proclus autem, & Syrianus existimant, animam ferinæ se iungere substantiæ, & ferarum sociam fieri; Quæ est etiam sententia Bessarionis lib. 2. cap. 5. ita scribentis. *Ea quæ dicta sunt de transmigratione animarum in beluas, vel ad deterrendos homines dicta, vel indicare animam insinuare se Spiritui imaginario bruti, atq; ita exercitam plecti, & pœnas soluere.* De hac transmigratione sacri Patres loquentes, vnanimi approbant consensu transmigrationem interiorem, & spiritualem, quæ consistit in imitatione morum, & vitiorum illarum ferarum, quas homines vitijs coinquinati imitantur, quæ est etiam aliquot Platonicorum interpretatio. Videatur inter cæteros Boethius lib. 4. de Consolat. & D. Chrysostom. homil. 4. in Gen. Hæc, inquam, Palingenesia animarum, nō allegorice, sed litterali sensu accepta, falsa, & hæretica est, quemadmodum accepta fuit à Simone Mago Hæreticorum Coryphæo, vt testatur Irenæus lib. 1. aduersus Hæreses; Ideò ipsam damnant Origenes in Periarcon; & Epist. ad Romanos; Athanasius lib. 6. de Beatitudine; August. contra Manichæos cap. 63. & 10. de Ciuit. cap. 30. idemq; Augustin. narrat, Manetis impiam sectatricem turbam, hanc improbam sententiam de transmigratione animarum in beluas secutam esse.

Bessarionis interpretatio de trāsmigratione animæ.

Vera explicatio transmigrationis Animarū

Sed quoniam iuxta dogmata Platonis in præsentia philosophamur, obseruandum est, Platonicos aliquos infinitum, & æternum posuisse recursum animarum ad Corpora, vt Mundi æternitatem tuerētur; Etenim, si perpetuus est ascensus, & descensus animarum, vt ipsi loquuntur, perpetua quoque erit hominum generatio, perpetua species humana, & Mundus, cuius finis homo est, nunquam finem habebit. Hūc perpetuum animarum recursum approbauit Cardinalis Bessario, qui supposita animæ immortalitate, & Mundi æternitate, ne daretur Infinitum actu, asserit, necesse fuisse in hunc errorem impingere, scilicet admittere transmigrationem nouam, & perpetuam animarum in corpora humana.

Circuitus animarū ad corpora finitus, & infinitus à Platonicis cōstitutus.

Porphyrius inter cæteros Academicos putauit circuitum animarū infinitum, & perfectum esse non posse, cui consentiunt Caballistę, censentes Animas ter tantum in Corpora reuerti, quòd hi regressus sufficiant ad purgationem animarum. Ratio autem potissima Porphyrij est, quia anima beatitudinem adepta, non amplius hęc Mundi damna, & calamitates subire curat; Cuius Porphyrij rationem ita explicat D. August lib. 10. de Ciuit. cap. 30. *Merito*, inquit, *displicuit hoc Porphyrio, quoniam reuera credere stultum est, ex illa vita, quæ beatissima esse non poterit, nisi de sua fuerit æternitate certissima, desiderare Animas corporum corruptibilium labem, & inde ad ista remeare, tanquam hoc agat summa purgatio, vt inquinatio requiratur*, & pluribus alijs Porphyrij sententiam prosequitur, quę, ne longum faciam, prætermitto.

Pro explicanda igitur hac re controuersa, tamquam cōpertissimum in Platonica doctrina recipiendum est, plura reperiri receptacula, in quibus animæ à corpore separatæ constituuntur; Obtinent enim locum, vel miserum, vel felicem, iuxta ea, quę vel benè, vel malè gesserunt in corpore. Adsunt hac de re clarissima Platonis testimonia in Phædone, Idem exprimitur in Gorgia circa finem his verbis. *Quod tunc temporis extabat lex quadam iure sancita sub Saturno, & nunc etiam extat apud Deos, vt quicumq; homines iuste, pieq; vitam egissent, cum è vita emigrarent, ad Beatorum insulas profecti, in omni felicitate viuerēt à malis longè seiūcti, qui verò iniuste, impieq; vixissent, in punitionis, vltiq; supplicy carcerem (quod appellāt Tartarū) irent.*

Animarū extra corpus diuersa receptacula.

Quæ

Quæ cum ita sint, hæc ratio confici potest, ad demonstrãdum finem Mundi, ex circuitu animarum humanarum. In numero determinato animæ fuerunt ab initio Mundi productæ, quæ rerum terrenarum amore delinitæ migrant in corpora; Corrupto vero corpore, & vehiculo ostraceo, vel remeant ad Stellas, vel in Tartaro dant pœnas. Si reuertuntur ad Stellas, ibi, ex Porphyrij sententia, iam factæ beatæ, toto permanent æuo. Si verò ad Tartara detrudũtur, ibi quoque tamquam in carcere perpetuò detinentur; Si autem migrant in alia corpora, quoniam hic circuitus non est infinitus, & perpetuus, sed temporaneus, & finitus, quia tandem anima, vel inter Stellas, vel in Tartaro suum sistet circuitum, eueniet tandem, vt animæ non amplius migrãtes ad corpora, multiplicationem hominum impediant, adeout deficiant humanæ generationes, humana desit species, quæ est finis Mundi, & tandem hæc rerum vniuersitas deleatur.

Ratio deducta ex circuitu Animarũ, ad finem Mũdi indicãdum.

Quanto verò tempore duratura sit species humana, quod est perinde ac quærere, quanto tempore duraturus sit animarum circuitus, indicat Card. Bessario lib. 4. cap. 2. his verbis. *Nullum animum, Plato ait, nisi post decem millia annorum, instaurato alarum remigio, eodem, vnde venerit, redire, præter eius animam, qui dignè philosophatus sit, aut amore pulchritudinis, vt Philosophum decet, indulserit, Tales enim animos tribus annorum millibus recuperatis alis, euolare eò possunt, vnde descenderint.* Hęc Bessario, loquens iuxta Zoroastri sententiam, putantis, animam esse alatam, & confractis alis, præcipitẽ in corpus delabi, & rursus plumas induentem, superna petere; Incertus tamen est numerus annorum, quibus anima à sordibus in corpore contractis purgatur, Ideò apud Platonicos legere est, animam vti ad sui purgationẽ triplici numero, denario, centenario, & Millenario; Hinc Virgilius, loquens de illis animabus, quæ mille annorum spatio pro purgatione indigebant, ita cecinit Aeneid. sexto.

Tempus diuersum, iuxta Platonicos, reuersionis animæ ad corpora.

Has omnes, vbi mille rotam voluere per annos,
Lethæum ad fluuium Deus euocat agmine magno,
Scilicet immemores, supera vt conuexa reuisant,
Rursus & incipiant in Corpora velle reuerti.

Et quemadmodum determinatus annorum numerus ad purgandas animas requiritur, ita antiqui Sapientes numerum determinatum statuerunt animabus pro ipsarum habitatione in corporibus. Ideò Ægyptij putarunt, causam mortis non solum referendam esse in lassitudinem, ac defatigationem animæ in corpore, sed etiam in expletionem numeri annorũ, quibus in corpore anima permanere debebat. Qua de re disserunt Macrobius lib. de somno Scipionis, & Cælius Rhodigin. lib. 22. cap. 6. Perstringamus igitur hucusq; tradita, & asseramus, purgationes animarum tandem compleri, & absolui, quod clarissimè demonstrauit Card. Bessario lib. 2. cap. 5. his verbis. *Sententia certè Platonis est, animam si ex loco intemerata, ac virtute prædita abierit, sedem supernæ immortalitatis recipere, vt felix, & diuinitatis compos sapientior degat, sin minus pœnas luere; pœnis autem delegata sunt loca hæc naturæ inferiora, & hominum corpora; Itaq; redit Anima, quæ superiori illa sede digna non est, ad generationis labem, corpusq; aliud induit, vt vita altera melius agat, quò possit Deorum sedem, vnde profecta est, purificata repetere.* Hæc Bessario. Quibus indicatur, purgationem animarum ita fieri, & compleri, vt tandem animæ rursus ad corpora animanda non remeent. Igitur, absolutis purgationibus animarum, generatio humana terminum habebit, & Mundus ad finem deducetur. Propterea arbitror, hanc satis validam esse rationem, quæ pro Mundi fine in Platonica schola elaboraretur.

Ratio deducta à purgatione animarũ, quæ cõpleta, & absoluta, desinit recursus animarũ ad corpora, & cõsequenter humana generatio.

Non enim Platonis opinioni de interitu Mundi fidem conciliant omnia, quæ considerantur ab Eusebio lib. 11. cap. 17, & 18. Affert siquidem verba Platonis in Timæo dicentis. *Tempus igitur cum Cælo factum est, vt simul facta simul etiam dissoluantur, si quando solutio quædam ipsorum fiet.* In quibus verbis animaduertenda est illa conditio. Si; quæ

Loca Platonis ab Eusebio allata, Mũdi occasum non probant.

quę non infert absolutam Mundani excidij solutionem, sed est loquutio ex hypothesi. Et post pauca subijcit Plato. *Quod ligatũ est, solubile est, quãuis sibenè aptatũ, beneq; ligatum soluere vult, bonus non sit.* Hic innuit Plato, Mundum potius non esse soluendum, quando ipsius solutio bonitati opificis reluctetur.

Ex lib. p. de Republica colligit Eusebius cap. 8. testimonium Platonis de mortuorum resurrectione, & de vltima circulatione cęlorum, in qua homines morientur, & innuit, quod tandẽ Deus à Mundo omni expulsa turbatione, ipsum immortalem, & insenescentem efficiet. Quæ sanè maximi ponderis esse videntur, præsertim si addantur ea, quę in eodem Dialogo de Republica habẽtur à Platone ita loquente: *Vniuersum aliquando quidem ipse Deus conuoluit, aliquando autem dimittit, cùm circulationes conuenientis mensura tempus habuerint.* Ecce Plato satis euidẽter exprimit finem motus cælorum aliquando euenturum, & circuitu cælorum desinente, post aliqua subiungit: *Maximas igitur tunc mutationes fieri putãdum est ac multas corruptiones animalium, interitus hominum, & alia noua, atq; inaudita.* Hæc certè adducunt Platonem in sentẽtiam de Mundi occasu.

Alia Platonis testimonia clariora de Mũdi occasu.

Corroboratur hæc assertio Platonicę doctrinæ illis, quæ tradita sunt ab ipso Platone in Politico, de retroacto Cęli cursu. Etenim non solum videtur admittere in rebus à Deo creatis potentiam, quam Theologi obedientialem appellant, sed etiam indicat, quod sacris litteris consignatum est, de conuersione, seu retroactione Solis, per decem lineas in horologio Achaz, adeò vt vna quæq; linea vnam horam designaret, & propterea eo tempore dies plus minus decem horis terminatus sit, cùm enim Sol sẽsim ad occasum vergeret, per decem horas relapsus est ad ortum, & ab ortu denuò per alias decem horas ad occasum se reuocauit. Quamobrem, si Platoni compertum fuit hoc miraculũ, quòd Deus potuerit Solis habenas cõpescere, & ipsum retrotrahere, etiam sibi persuadere potuit, à Dei potentia Solis circuitum, aliorumq; siderũ posse penitus inhiberi; Quod erit in occasu Mundi præstandum. Si verò asseramus, Platonem loquutum esse de Sole, qui ad Iosue mandatum stetit, quãdo Dies fuit per spatium vnius diei prorogatus, diei, inquam, naturalis, includentis spatium vigintiquatuor horarum, hinc patet etiam Platoni notum fuisse impetium supremi, & ęterni Numinis in periodum Solis, adeò vt ipsum possit pro libito mouere. Vnde cognouit Plato Deum aliquando, vt ipsius vtar verbis, dimissurum circulationes cælorum, quando conuenientis temporis mensuras habuerint.

Cõsideratur sensus Platonis de retroacto cæli cursu, & ex hac quã habuit notitia, infertur ipsũ cognoscere potuisse cælum in suo cursu desiturumq; in fine Mũdi.

Sit pro coronide huius Disputationis consideratio Platonicæ sententię de Mundi ortu, de quo supra allata sunt aliqua, dubitationis potius, quam conclusionis gratia. Verùm cùm ex mente Platonis perspicuum sit Mũdi primordium, spectanda sunt hæc, quæ ab ipso exarata sunt in fine 6. de Repub. *Atq; ita dicas bonum ijs, quæ cognoscuntur, dare, non modo vt cognoscantur, sed esse insuper, & essentiam elargiri, cum ipsum essentia non sit, sed supra essentiam dignitate ipsam, & potentia superans.* Sensus Platonis est, quòd esse rerũ à Deo emanat, tamquam vestigium diuinæ essentiæ, vt loquitur Plotinus ænead. 5. lib. 5. cap. 5. Quæ productio, vel emanatio rerum non fit, ex sententia Platonis, secundùm generationem, quam Chalcidius in Timæum causatiuam appellat, & est rerum omnium ab æterno emanatio, sed secundum productionem, quam Porphyrius, Plotinus, Taurus, Proclus, Simplicius Iamblicus temporariam dixerunt, id est in aliquo temporis principio productionem. Itaq; posita creatione Mundi, cognita Platoni, maxima conficitur argumentatio de Mundi occasu, iuxta ipsius placitum. Quoniam si Mundus in tẽpore est productus à Deo, quidni etiam ipsum in tẽpore corrũpere poterit, & destruere?

Si Plato cognouit generatiõnẽ Mũdi productiuã à Deo factam, potuit etiam cognoscere in Deo potentiam ipsũ Mũdum destruendi.

Calculum huic Platonicæ doctrinæ adiecit Marsilius Ficinus cap. 14 sui compendij in Timęum, vbi animaduertit, Platonem affirmasse, Mundum ex se non existere, sed ex causa, non fortuita, sed certa, non naturali duntaxat, sed intellectuali, non ex illa per modum naturæ determinato, sed potius voluntario,

Marsilij Ficini testimonium de Mundi creatione, ex quo deducitur possibilis Mũdi destructio iuxta Platonem.


tariò, non voluntate, ex naturali quodam instinctu compulsa, sed libera; ergo si Deus liberè Mundum produxit, ex Platone, sequitur, quod etiam pro suo libito, & voluntate eundem Mundum poterit demoliri. Addit Ficinus, mundanum opus, ad mentem Platonis, non semel tantùm processisse à Deo, sed assiduè procedere, ac seruari. Inhibeat igitur Deus, vti potest, hanc rerum processionem, à se ipso, quod perinde est ac suum negare cõcursum, planè rerum omnium destructio consequetur.

Hæc ex Platonica Academia depromenda erant, ad discutiẽdam eiusdem Platonis opinionem de Mundi interitu. Cui cohæret M. Tullius, qui suam Philosophiam vberrima explicatam eloquentia ex Platonis fonte hausit, & lib. de Vniuersitate luculentissimis verbis ita de Mundo loquitur. *Itaque ab ijs rebus numero quatuor, & Mundi corpus effectum, ea constructũ proportione, quam dixi, ex quo ipse se concordi quadam amicitia, & charitate complectitur, atque ita aptè cohæret, vt dissolui nullo modo queat, nisi ab eodem, à quo est colligatus.* Itaque innuere videtur Cicero, in potestate, & manu opificis positum esse Vniuersitatem dissoluere, atq; idem constitutum fuit à Platone. Sed quoniam satis in Academia Platonica versati sumus, & diù sub Platano conquieuimus, iam tempus est, vt in Lyceo cum Aristotele deambulemus, ad examinandam ipsius de interitu Mundi opinionem.





TRACTATVS
DE FINE MVNDI.



ANTILOQVIVM
Ad Aristotelicam Disputationem.



OMnes antiquas Philosophorũ sectas, Pythagoricam, Platonicam, Aristotelicam, Stoicam, multis erroribus affluxisse, christianæ doctrinæ proceres sapientissimi, priscum illud philosophandi genus damnantes, luculentissimè testantur. Audi Lactantium. *Facessant omnes isti* (Philosophos accipit) *qui vitam humanam nō instruunt, sed turbant*. Hinc Gregorius Nazianzenus protulit, in Ecclesiam, veluti quasdam Aegyptias plagas, Philosophos irrepsisse; Certatim Tertullianus, Hieronymus, Ambrosius, Philosophos conuinciantur, quos tum Hæreticorum patriarchas, tum sapientiæ, & facundiæ caupones, tum illos, de quorum ingenijs omnis heresis animatur, appellat Tertullianus; A quo Hieronymus transferens illusionem, Phylosophum, animal, gloriæ cupidum, & popularis auræ vile mancipium depinxit. Acri quidem, sed æqua manu Ambrosius hæc spicula in veteres Philosophos contorquet. *Phalerata, inquit, magis quã vera sapientia, qua aliena quærit, cum sua nesciat, cali plagas scrutatur, & Deum ignorat, quem solum nosse deberet*. Verùm si aliquis ex Philosophorum choro culpandus est, is dubio procul est Aristoteles, cuius minutiloquam sagacitatem, & artificium abijciendum, multaque dogmata ablegãda, Gregorius Nazianzenus admonuit; Propterea Lactãtius de ipso hæc habet. *Aristoteles de Deo secum dissidet, & repugnantia sentit*. Similia contra ipsum Philo Iudæus ita eiaculatur: *Aristoteles numquàm piè, aut sanctè doctus*. Atque summæ sanctitatis exemplar, Vincentius Ferrerius, Aristotelicam Philosophiam phialam iræ Dei, super aquas Ecclesiæ diffusam nuncupauit. Et sanè, vt ex animo fatear, Peripateticorum Princeps multis abundat erroribus, nostræ fidei penitus aduersantibus; Siquidem, ex aliquorum interpretatione, Deum agere necessitate naturæ arbitrantur; Humanas animas, vt nonnulli ipsius assectæ commentantur, morti obnoxias opinatur; Nullum præmium, nullamq; pœnam post mortem probis, aut prauis constituit; Dæmones non considerat, aliaq; pronunciata sacræ doctrinæ dissona inuexit; Itaut ex ipsius pseudosapientia, tãquam ex iniquo armamentario, Porretani, Carpocratiani, Theodosiani hæretici, referente Cardinale Baronio, arma desumpserint. Neque mirandum est, Aristotelis doctrinam tot fætam erroribus in maiori honore, ac pretio, quàm Platonicam, iam octingentos annos, *Tomo 2.*

nos,

nos à multis sapientibus, & præsertim à christianæ doctrinæ Coriphæis habitã esse. Etenim causam affert Fonseca, celeberrimus è Soc. Iesu Aristotelicæ Metaphysicæ interpres, scilicet asserit, Aristotelis errores adeò patentes, & claros existere, vt quisque facili negotio possit illos euadere; Platonis verò dogmata, quasi Syrtes in insidijs latentes, multorum ingenia deterruisse. Addit, Aristotelis physiologiam clariori methodo, magisq; ad docendum accommodato traditam esse; Propterea Albertus Magnus, S. Thomas, Scotus, cæterique primi ordinis sapientes, Aristotelis libros Commentarijs illustrare, eiusque doctrinam in germanam, & rectam interpretationem adducere non recusarunt. Ego quoque tot insignium virorum subscribens sententiæ, Philosophiç palmam Aristoteli adiudico, ipsum omnium Græcorum sapientum antesignanum summo prosequor honore, necnon ægerrimè illorum fero petulantiam, qui absq; delectu, cuncta Aristotelis effata carpunt, & sugellant, imò ipsum probris, atq; calumnijs proscindunt; Quos cum Erostrato conferre soleo, qui Templo Ephesi Dianæ dicato, immensis extructo opibus, & ingenti arte elaborato, flammas iniecit, vt ex illo incendio claritatem nominis sibi vindicaret; Nam qui vbique spectatissimum iugulant Stagiritam, ex illius vulneribus, vitam proprijs comparare disceptationibus, & ex illius ruinis, sibi ipsis assurgere præconia, inani spe deliniuntur. Equidem non quasi lymphatus, instar Auerrois, in Aristotelis laudes feror, qui nullum errorem in ipsius scriptis deprehendit, illumq; regulam, & exemplar naturæ, cælestibus æquandum, putauit. Etenim non me latet, Aristotelẽ, non solùm in præfatis dicterijs, sed etiam in solis naturæ arcanis indagandis, à recto veritatis tramite deflexisse; Quãdoquidem decipitur, existimãs motum in instanti fieri in vacuo; Lumen in vacuo diffundi non posse; Proiecta à Motore seiuncta, ab aere interiecto promo ueri; Galaxiam in suprema aeris regione, non in octauo cælesti orbe, densatã esse; Cometas sub sphæra lunari accendi tantum, & spatiari; Zonam torridam

Tom. 1. quæst. 1

In Proæmio lib. 1. Physicor. & in lib. de Anima cap. 1. 4

inhabitabilem esse; Sidereum Cælum esse primum mobile; Solùm tot esse intelligentias, quot cęlestibus sphæris assistunt; Solem suapte natura non esse calidum, sed calorem cælestem produci ab aere, motu Solis attrito; Vnde ipsũ reprehendit Ambrosius his verbis. *Tãtum inest illi impugnanda studium veritatis, vt Solem ipsum neget calida esse natura, eò quòd albus sit, non rubicundus, aut rutilus in speciem ignis.* Cælum tamdem esse quintã illã essentiam, quam tumidis buccis ipsius iuratissimi iactant sectatores. Hæc, & similia errata mihi persuadent, intellectum humanum, cui cælestis gratiæ radius non illucescit, etiam in naturalibus rimandis, cæcutire; Etenim, cùm gratia diuina humanam perficiat naturam, dubio procul intellectus christianus, cælesti gratia illustratus, aptior, & validior erit, ad veritatem naturalem perscrutandã, quàm sit ethnicus, lumine fidei, & ope gratiæ destitutus. Quò fit, vt solo naturę ductu, & industrię adiumento perfectè veritas nequaquam possit comparari. Quod Ecclesiastes luculenter his verbis edisserit. *Ego Ecclesiastes fui Rex in Hierusalem, & proposui in animo meo, quærere, & inuestigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub Sole: Hanc occupationem pessimam dedit Deus filijs hominum, vt occuparentur in ea*; Atq; alibi ita prosequitur; *Mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo opus, quod operatus est Deus ab initio, vsque ad finem*; Quibus consonat illud Dauidicum. *Narrauerunt mihi iniqui fabulationes*, atq; illud Pauli; *Qui cum cognouerunt Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum, dicentes se esse sapientes, & stulti facti sunt*. Quapropter Concilium vltimum Lateranense infectas radices disciplinarum, idest ipsarum principia decreuit. Vnde à nobis, Christianæ veritatis professoribus, non sunt antiqui Philosophi, tamquam magistri, sed tamquam testes, si quæ vera protulerint, admittendi, iuxtã illud Augustini proloquium. *Philosophi, si quæ vera dixerunt, ab illis, tamquam ab iniustis possessoribus sunt vindicanda, & in nostrum vsum conuertenda*, Propterea

Hexam. lib. 2. ca. 1

Cap. 1.

Cap. 3.


Ad Roman. 1.

2. de Doctr. Christ.

In pri. par. quaest. pri. art. 3.

Caietanus docuit, quòd argumentari ex sacris litteris, est demonstratiuum; ex Doctoribus sacris, probabile; ex rationibus Philosophicis, extraneum; ex authoritate Philosophorum, nullum; Idcircò noua cudenda est Philosophia, quæ veram de rebus physicis doctrinã, ex pretiosissimis sacrarum literarum fodinis educat. Quod potissimum insinuat, & demonstrat Io. Franciscus Picus, qui multa Aristotelis errata collegit, & nobis cognoscenda proposuit; Quod opus philosophicum ex sacris paginis deprompium incæpit; sed non absoluit vir eruditissimus Franciscus Vallesius in sua sacra Philosophia. Sed vt ad Aristotelem reuertar, fateor, ipsum vniuersam Philosophiæ segetem accurata ingenij falce demessuisse, & manipulos sedula manu collegisse; Quod cæteri non præstitere Philosophi, per quorum monumenta nutanti gressu Philosophia euagatur, cuius dogmata ipse Aristoteles dispersa coegit; congesta digessit, confusa distinxit, & mirabili adhibito ordine, sua veluti sede collocauit; Quãuis in reddendis naturæ causis, atq; in ipsis exprimendis, tantam adamauerit obscuritatem, dicendi genere pressiore, quam Attico vsus, vt merito Sepiæ nomen obtinuerit, quasi atramenti fusione veritati caliginem offundens; Quod ipse fatetur, monens Alexandrum Macedonem discipulum, neminem commentarios illos, quos Rex conquerebatur euulgatos, perceptu um esse, nisi qui ipsum docentem audiuisset; Quocirca factum est, vt in tanta dictionis caligine Aristotelis sententia plerumque ab interpretibus in diuersas, & contrarias expositiones flectatur. Cæterùm, cùm Aristoteles in multis à Christiana doctrinã dissentiat, ab ipsa in ijs potissimũ recedit, quæ 8. lib. physicæ auscultationis, de Mundi æternitate consignauit. Quod dogma desumpsit ab Ocello Lucano Pythagoricæ sectæ alumno, in suo Opere à nobis in Disputat. Pythagorica considerato. Itaqueeùm à me positum sit in primis Mundi excidium, declinare nequeo in hac Disputationis arena, cum Aristotile acerrimum certamen, in quo ipsius argumentationes, de Mũdi perpetuitate, languescent, imò in occasu Mundi tumulatæ iacebunt; Et quoniam, non tantùm rationibus, commemorato libro allatis, sed etiam alijs Aristotelicis pronunciatis Mundi perẽnitas fulciri videtur, aliqua ipsius dogmata euoluam, excutiam, atq; vt opus erit, vel amplectar, vel reijciam. Interea, amice Lector, venerabundo supercilio Aristotelem inspice, quamuis in hac mea Disputatione in pluribus labantem offendas.

Lib. de studio diuinæ & humanæ philosophiæ; & lib. de examine vanitatis doctrinæ Christianæ lib. 4. 5. & 6.



DISPVTATIO ARISTOTELICA.



Latonica Disputationi immediato vinculo copulatur Disputatio Aristotelica de Mundi fine, tum quia præstantissimo magistro successit discipulus celeberrimus Aristot. tum etiam quia Peripatetica doctrina ex Platonica sapientiæ sinu natalia duxit, ita ut libeat post Matrem facundissimam, filiam speciosissimam intueri. In hac autem Peripatetica Disputatione contexenda, quædam disseremus, quæ primo adspectu extra limites propositi argumenti euagari videbuntur; attamen si attento spectentur supercilio, omnia in materiam susceptam confluere, fateamur necesse est. Interea Peripateticæ doctrinæ amatores enixè rogamus, ne grauiter ferant ea, quibus Aristotelis pronunciata quædam refellemus. Quemadmodum enim eiusdem Aristotelis doctrinam summa prosequimur veneratione, ita ingenui, & liberi Philosophi, quem agimus, partes sunt, modò cum Aristotele deambulare, modò ab ipso pedem referre, ità exigente Theologica veritate, quæ omni veritati, & sapientiæ ducatum præstat. Hæc igitur Disputatio aliquot Capitibus conficietur, in quorum frontibus intus comprehensa legentur, vt Lector vno intellectualis oris hiatu totam deglutiat segetem dicendorum.

CAPVT PRIMVM.

Ostenduntur inanes Aristotelis rationes pro Mundi æternitate à parte post, quæ sunt; Quod, cessante motu Cæli, daretur motus posterior vltimo; Quòd in æternis esset potentia ad esse, & nõ esse; Quo primus Motor non esset sua substancia actio; Quòd motus Cæli non potest esse irregularis; Quòd daretur tempus, finito tempore. Zabarellæ expositio examinata reprehenditur, & indicatur opinio Gregorij Ariminensis, de necessaria Dei operatione.

ARistotelem Mundi finem, atq; interitum nõ cognouisse, satis suadere potest ipsius constantissima de Mundi æternitate sententia; Nam cùm omne ingenitum sit incorruptibile, quemadmodum omne genitum corruptibile, vt ab ipso demonstratum est sub exitum lib. 1. de cælo, necessariò consequitur, Mundum, quem ipse constituit æternum, numquam esse desiturum; Etenim nullum est in Aristotelis doctrina adeò firmum, & inconcussum decretum, quàm Mundi æternitas, pluribus in locis ab Aristotele repetita, & confirmata, & præsertim 8. lib. Physic. toto conatu demonstrata; Siquidem non est ibi Philosophi consilium, vt placuit Alberto Magno in 8. lib. Phys. tract. 1 cap. 10. & D. Thom. p. 1. quæst. 46. art 1 probabilem, atq; suasoriam de Mundi perpetuitate disputationem instituere, vt solùm veterum Philosophorum insectaretur placita, qui Mundum medio motu ortum, & productum esse asseuerabant. Sed Aristoteli eo loco propositum est sententiam de Mundi æternitate ab Ocello Lucano Pythagoricæ disciplinæ alumno acceptam, promulgare, ac mordicus defendere. Quare cùm Peripatetico consensu firmatum sit, Mundum numquam incepisse, eumdem quoque perpetuis sæculis duraturum, ac nũquam interiturum, Aristoteli arbitror probatissimum.

Aristot. 8. Physic. sibi persuadet Mundi æternitatẽ desumptã ab Ocello Lucano.

Verùm in hac Quæstione dabo operam, vt examinentur dumtaxat illa Aristotelis argumenta, quibus ostendere conatur, Mundum numquam habiturũ esse finem; Namque, cùm inter rationes de Vniuersi æternitate ab Aristotele adductas, aliæ eò colliment, vt Mundi ortum impossibilem constituant, aliæq; eò dirigantur, vt finem impossibilem demonstrent, eas potissimum in medium afferam, quæ vniuersitatis finem auferre nituntur. Et quoniam Aristoteles Vniuersi ęternitatem à parte ante ex motus perpetuitate, in superioribus textibus 8. Physic. deduxerat, ęternitatem pariter à parte posteriori conatur in textibus 12. & 13 eiusdem libri ostendere; ratione non quidem noua, sed eadem superius adducta, accommodata tamen ad æternitatem motus à parte post demonstrandam. Enimuerò sicut antiquos, contra quos disputat, adduxerat in illud absurdum, quod daretur motus prior, si Mũdus esset genitus, ac incæpisset, itá eosdem trahit ad hoc inconueniens, quòd daretur motus posterior vltimo, si motus cessaret. Propterea, quemadmodum supra suppositum ab ipso fuit, motorem, & mobile præcedere motum, ita in hac conficienda ratione supponit, motorem, & mobile remanere post motum.

Rationes Aristotel. contra finem, non contra initium Mũdi afferuntur.

Prima igitur ratio ita astruitur; Motor, & mobile remanent post motum. At si motor, & mobile corrumpantur, cùm corruptio sit mutatio, dabitur motus posterior vltimo, quod prorsus non est dicendum. Itaque sibi persuadet Aristoteles probasse, motum cessare non posse, & consequenter Mundum in continuo motu positum interitui obnoxium non esse. Quamuis enim hęc consequentia ab Aristotele non inferatur expresse, tamen ex allata ratione euidentissimè elicitur.

Inualiditas primæ rationis Aristotelicæ cõtra Mũdi finem ostenditur.

Verùm, vt ingenuè fatear hæc ratio nullius est roboris, & in pluribus deficere videtur. Deficit primò Aristoteles in ratione hac construenda, quia tantùm verba facit de mobili corruptibili, quod remanet post motum, non autem assumit mobile ęternum; Quod certè præstare debebat, vt hæc ratio correspondere rationi, qua probauit motus æternitatem à parte ante, qua nimirum constituit, quòd mobile præcedens motum, vel factum est, vel est æternum. Hic verò assumit tantum mobile factum, & cõsequenter corrumpendum, atque infert, quòd ipso corrupto, daretur motus posterior postremo. Quæ illatio non deduceretur ex hypothesi, quod mobile sit æternum. Nam cùm mobile æternum nequeat corrumpi, non consurgit hęc consequentia; Igitur datur motus posterior vltimo.

Zabarella in comment. text. 12. supracitati obseruauit hunc defectum in Aristotelis argumentatione, & dixit ipsum non assumpsisse mobile æternum, neq; deduxisse consequentiam supradictam, respectu ipsius, quia breuitati studens prætermisit, & à nobis erat subintelligenda Imò subtili quadam consideratione conatur ostendere Zabarella, quòd posito mobili æterno, & remanente post motum, eadem illatio sequatur de motu posteriore postremo. Itaq; enim Author iste ratiocinatur. Si motor, & mobile, vtrumque æternum, remanent absoluto motu, cùm desinente actu, non desinat potentia ad actum, remanebit in motore ęterno potentia ad mouendum, & in mobili æterno potentia ad recipiẽdum motum; sed hæ potentiæ reduci nõ possunt ad actum, absq; mutatione. Ergo si post vltimum motum sequatur motus, admittetur alius motus, qui erit posterior vltimo. Hæc speculatio Zabarellæ mihi semper inanis visa est; Quoniam esto quòd in motore æterno rursus incipiẽte mouere, & in mobili æterno rursus recipiẽte motũ, cõtigat mutatio, dico, quòd mutatio, ex parte motoris æterni, quietiã, ex Aristotelis sententia, est abiunctus à materia, & separatus à magnitudine, non esset mutatio physica, de qua loquitur Aristoteles, cũ infert, quòd daretur mutatio posterior vltima; loquitur enim de mutatione physica, vt præsefert nomen corruptionis, quo vtitur. Si verò sumatur mutatio ex parte mobilis ęterni, quod de nouo incipiat moueri, dicendum est, quòd quando intercessit quies alcuius temporis, & cessatio à motu, certè motus, qui sequitur, vel potius renouatur, non dicitur motus posterior illo motu, qui desijt, sed rectiùs appellatur nouus motus

Inanis desensio Zabarellæ p Aristotelica ratione

tus, qui ab applicatione noua motoris, incipit habere principium; Propterea si sequatur alius motus, post quietē prioris motus, vel dicendum est, præcedentem motum iam cessatum, non fuisse vltimum, vel motum subsequentem de nouo emergere, atque esse recentem mutationem. Quocumque modo dicatur, inefficax est, & inualida deductio Aristotelis, respectu motoris, & mobilis æterni; Quæ absurda cùm fortasse præuideret Aristoteles silentio prætcriit, mobile æternum, remanens post motum, & tantùm mētionem fecit de mobili corrumpendo.

Sed arctiori vinculo etiam Aristotelis rationem perstringamus. Motus, qui vt supponitur ab antiquis Philosophis, cōtra quos disputat Aristoteles, cessare potest, vel est motus vniuersalis totius Vniuersi, itaut omnem speciem motus comprehendat, vel est motus particularis, scilicet motus Cælestis. Si primo modo sumatur motus, videtur aduersari intentioni Aristotelis, quæ est per motū æternum, non quēcumque, sed per motum æternum corporum cælestium, perpetuum indagare motorem. Quare communis interpretum expositio est, quòd Aristoteles loquatur de motu circulari cælorum; Sed quis non videt, Aristotelis rationem inuolui ambagibus, propositum suum non probantibus? Nam si cessaret motus cælorum, sequeretur ne, quòd cælestia corpora duratura post motum, essent corrumpenda, itaut mediante corruptione, daretur motus posterior vltimo? Sanè in doctrina Aristotelis firmissimum est decretum, cælum indissolubile esse, & incorruptibile; Igitur si remaneat post suum motum, vt verè remanebit in fine Mundi, non sequitur deductio; ergo dabitur motus posterior vltimo, quia deductio fundata est in hoc, quòd mobile remanens, desinente motu, corrumpi possit; At cælum, ex ipso Aristotele, corruptioni non est obnoxium, igitur consequentia inanis est, quòd daretur motus posterior vltimo. Prętermitto alia absurda, quæ à Simplicio, & Ioanne Grammatico considerantur in discussione huius rationis Aristotelicæ; Quod scilicet faciat mentionem de corrumpente corruptibile, quod corrumpens comrrumpetur posterius ab alio corruptiuo. Id enim falsum apparet de cælo, à quo licet multa corrumpantur, ipsum tamen est corrumpens incorruptibile. Omitto etiam, quòd exemplū allatum de combustibili, quod remanet post combustionem, non integram continet veritatem; Si enim stupa ab igne comburatur, quæro quid remaneat stupæ post combustionem, nisi elementa ipsa, in quæ resoluitur stupa, quæ præsertim mutatur in substantiam Ignis, qui non est combustibilis, itaut falsum sit, post quamcumque combustionem remanere subiectum combustibile. Hæc de prima Aristotelis ratione dicta sufficiant.

Ostēditur contra Arist. quod quamuis motus cælorum cessaret, non tamen cælestia corpora essēt corrumpēda.

Secunda Ratio petitur ex Aristot. lib. 9. Metaph. tex. 17. vbi demonstrat, non esse timendum, quòd extimescebāt Antiqui, & præsertim Empedocles, scilicet quòd quiescat motus cæli. Ratio, quę ab ipso adducetur, est, quia in æternis non est potentia contradictionis adesse, & nō esse; Quare cùm mobile, nimirum corpus celeste sit æternum, est quidem in potentia ad aliquod vbi, ad quod tendit per motum, & ab Aristotele dicitur secundùm potentiam moueri, vnde quò, idest, vt ab hoc in id transeat, vt ibi exponit D. Thomas, non tamen est in potentia ad ipsum moueri, itaut possit aliquando non moueri, quia cùm in æternis non sit potentia ad esse, & non esse, necessariò semper mouebitur, neque fatigabitur in motu; Quare ex Aristotelis discursu conficitur, cælum nunquam à motu cessaturum. Cui rationi ita occurrendum esse existimo. Vtiq; verum est in cælo non adesse potentiam natuyralem ad non moueri, supposito, quod ipsum cælum sit æternum, & motus pariter æternus; Sed est quidem in cælo potētia obedientialis ad non moueri, quatenus Creator Deus, qui cælum libere mouet, Ministerio Angelorum, vt sacra tradunt monumenta, liberè potest ipsius cæli motum compescere, vt faciet in fine Mundi, & constabit ex ijs, quæ à nobis dicenda erunt de statu corporum cælestium post Mundi finem.

Cælū non habet potentiā naturalem ad nō moueri, sed obedientialem secundum quam in fine Mundi cessabit à motu.

Tertia Ratio desumitur ab Aristotile 12. Metaph cap. 4 vbi ostendens præter substantias naturales vnam esse, quæ sem-

sempiterna est, actu semper mouens, & omnino immaterialis, & immobilis demonstrans, quòd debet esse semper in actu mouens, inquit, quòd si esset in potentia ad mouendum, motus non esset semper in actu, & æternus. Propterea perstringens, & repetens ea, quæ in 8. Physicorum ab ipso de motus æternitate tradita fuerunt, ostendit, quòd substantia immobilis, & separata à materia, est sua substantia actio, hisce conceptis verbis; *Oportet igitur esse tale principium, cuius substantia actus sit*; Ex quo deducunt nonnulli Peripatetici, in Deo non esse potentiam, ad non agendum; Etenim si actu semper est mouens immobile, & eius substantia actio est, planè sequitur, quòd non possit non agere, alioquin eius substantia destrueretur; Igitur cùm eius actio potissimùm in motu Cæli versetur, necesse est asseuerare, Deum non posse non mouere cælum, & consequenter motum cęli desinere non posse, ne Dei substantia, quæ in hac potissima actione consistit, destruatur. Quæ ratio quamuis aliquod videatur facessere negotium, breuiter tamen, & facilè ità diluitur. Consentaneum omnino est veritati, & à nostra christiana doctrina penitus comprobatum, quòd Deus est sua substantia Actio. Hinc tamen non infertur, quòd non habeat potentiam liberã ad agendum, & non agendum, Sed solum infertur quòd cùm agit, illa actio est ipsamet diuina substantia operans, & agens. Hæc verò quamuis desistat ab actione externa, & à motu cęlorũ, nõ tamen substantia diuina aliquod patietur detrimẽtum, quoniam in perfectissima actione versabitur, nimirum in contemplatione sui ipsius, in qua per totum æuum, ex testimonio eiusdem Arist. felicissimè perseuerat.

Deus est sua substantia actio.

Actio Dei non consistit in motu calorũ, sed in contemplatione sua essentia.

Quarta Ratio astrui potest ex ijs, quæ traduntur ab Aristotele lib. 2. de cælo text. 36. & 37. quo loco ostendens Philosophus, Cæli motum semper eodem modo fieri, neç velociorem, nec tardiorem esse posse, refert causam in corpus cæleste, quod est inalterabile, & immutabile, & in primum mouens immobile; Vnde Gregorius Ariminẽsis lib. 1. sent. distinct. 42. quæst. 3 art. 1. desumpsit occasionem attribuendi Aristoteli sententiam de necessaria operatione primi motoris; Quoniàm si liberè moueret, vtique in eius potestate esset interdum celeriùs mouere, interdum tardiùs; Sed cæli motus semper regulariter procedit, & impossibile est, ipsius lationem irregularem esse; Ergo multo minus à motu cessare poterit. Respondendum tamen est, quòd quemadmodum in liberam Dei actionem referenda est causa, ob quam motus, qui dicitur raptus cæli, est ab Oriente in Occidens, & non potius ab Occidente in Oriens, de qua te disputat Aristoteles secundo cæli text. 33. & eidem primo motori liberè agenti, & mouenti adscribendum est, quòd alia cęli circulatio sit prior, alia posterior, & quòd diuersis temporum spatijs, & cursibus cælestes orbes reuoluantur, quoniam nulla de ipsis afferri potest causa, non video cur eiusdem motoris libertati, & prouidentiæ ita disponenti adscribi non posit, & debeat, quod cælestia corpora in fine Mũdi cessare posint a motu, imò de facto cessatura sint, iuxtà Dei beneplacitum, ac infinitam potestatem. Quare concedatur Aristoteli cælum regulariter, & eodẽ modo semper moueri; sed quemadmodum hoc à libera Dei pender motione, ità liberè poterit, non solùm ordinẽ motus cælestis mutare, sed ipsum motum, pro sua infinita Potestate cohibere. An verò ex Aristotelis ratione tectè inferat Gregorius Ariminensis, Deũ ex sententia Aristotelis, necessariò agere, mox disputabimus.

Tota ratio, & diuersitas motus Cælorum adscribitur libera Dei potestati, cui etiam attribuendus est finis motus calestium orbium in fine Mũdi

Quinta Ratio non est pętermittenda, petita à tempore, quod semper concomitatur motum, & ab Aristotele, ipsius mensura secundùm prius, & posterius appellatur. Qua ratione in 8 Phys. text. 10. expressa, quemadmodum contendit Aristoteles probare, motus, & temporis æternitatem à parte ante, ità etiam demonstrari potest eiusdem motus, & temporis perpetuitas à parte post. Ratio autem ita conficitur. Si motus incæpit esse, antequam non esset, ita vt prius non esset, & postea cæperit esse, cum prius, & posterius sint temporis differentiæ, sequitur tempus fuisse, antequam esset, scilicet in illa differentia prius, in qua non erat motus. Sed impli-

implicat contradictionem, asserere tempus fuisse, cùm reuera non erat, igitur motus non incæpit esse, cùm priùs non esset. Eadem ratione probari potest, motum non posse finire. Nam si motus finem habebit, verum erit dicere, motum postea non esse, cùm antea esset. Sed postea est differentia temporis, Ergo tunc erit tempus, & consequenter erit motus, cuius tempus est mensura. Infirma prorsus, & captiosa argumentatio; Nam differentiæ temporis concipi possunt, vt temporis imaginarij; & prioritas, & posterioritas apprehendi possunt, non vt aliquod positiuum, sed negatiuum, ita vt sensus sit, motus incæpit esse, cùm prius non esset, intellige, non in priori positiuo, sed negatiuo, vt cum dicimus, Extra cælum nihil est, non ponimus aliquod positiuum, nam hoc modo poneremus locum extra cælum, sed tantùm aliquod negatiuum significamus; Ita cùm in fine Mundi dicetur motum, vel tempus postea non esse, cùm prius esset, illud postea, vel posterius, non erit differentia positiua temporis, sed negatiua.

Tempus nō erit postea, cum prius esset, quæ differentia tēporis considerātur, non vt positiua sed vt negatiua.

Eadem facilitate refellitur alia ratio, siue vt ego interpretor, extensio, & expressio allatæ rationis, desumpta ex nunc temporis, quod putauit Aristoteles 8 Phys. textu 11. esse semper finem præteriti, & initium futuri. Propterea ita argumentatur. Si tempus in aliquo Nunc incæpit esse, quoniam Nunc est finis præteriti, & principium futuri, Ergo ante principium temporis, præcesserat aliud tempus, scilicet illud tempus, cuius est finis Nunc, in quo tempus incæpit Pari ratione dicendum est, quòd si tempus in aliquo Nunc terminabit, cū Nunc sit finis præteriti, & principium futuri, sequetur aliud tempus, postquam finitum erit tempus, quod repugnantiam inuoluit. In hac ratione supponit Aristoteles, vnum, quod ipsi erat probandum, scilicet Nunc esse finem præteriti, & initium futuri temporis. Etenim de Nunc relato ad tempus discurrendum est, vt de puncto relato ad lineam. Verùm, quemadmodum, non est de ratione puncti in linea, quòd sit medium, seu copulatiuum partium antecedentium, & consequentium, sed ex sua natura punctum est principium lineę, & finis eiusdem; Ita Nunc temporis, non est coniunctiuum præteriti, & futuri ex sua natura, quamuis in tempore decurrente, & fluente verè copulat partes pręteritas cum labentibus, & futuris; Sed Nunc temporis, hoc habet, vt in ipso incipiat tempus, & in eodem desinere possit tempus, nulla habita ratione ad tempus, vel præteritum, vel futurum, vt eueniit in Creatione Mundi, & continget in fine eiusdem Mundi. Nam quemadmodum in Creatione, in primo Nunc temporis incæpit tempus, cùm antea non fuisset, ita in fine Vniuersi, in vltimo Nunc definet tempus, quod postea amplius non erit, atque ita vltimum Nunc temporis nō erit principium futuri temporis. Hæ sunt præcipuæ Aristotelis rationes, quibus probando motus cælestis æternitatem, tùm a parte ante, tùm à parte post, consequēter ostendit, rerum generationem æternam fore, & Mundum nunquam esse finem habiturum. Quarum rationes, cum aliquę a nobis solutæ sint veritate allata de libera Dei operatione in mouendo Cælum, vocant nos ad eam discutiendam quæstionem, Quænam fuerit Aristotelis sententia de Dei Actione; Itaut iuxta Aristotelis hac de re doctrinam, magis appareat, quid ipse senserit de Mundi fine.

Nunc tēporis est vt punctum in linea, cuius non est copulare partes, sed esse principium lineæ, & finis eiusdem.

Nunc, seu instans tēporis habet vt in ipso incipiat tempus, & in eo possit desinere.

In fine Mundi in vltimo instāti temporis finiet tempus, & amplius non erit.



CAPVT SECVNDVM.

Aristotelis rationes pro necessaria Dei operatione examinantur. Expositio Toleti approbatur; Affertur ratio Scoti pro necessitate operationis diuinæ, Quam necessitatem operandi non conuenire cum Dei infinita virtute demonstratur, Ambiguus, & Incertus in hac re apparet Aristotel. & ex Dei operatione, iuxtà ipsius Doctrinam, nullam de fine Mundi haberi posse notitiam ostenditur.

ARdua Quæstio est, diuq; inter Philosophos exagitata, quænam fuerit opinio Aristotelis de Supremi Numinis operatione. Etenim multi Peripatetici, vt Ammonius, Simplicius, Alexander lib. de fato putauerunt, Deū in suis effectionibus versari per modum naturæ, non quidem, quia cognitionis sit expers, perfectissimo enim fruitur intellectu, sed quia, quæ facit, ita faciat, vt nequeat non efficere, suâq; inhibere operationem, adeo vt in actionem externam non libero arbitratu, sed impulsu naturæ incurrat. In hanc sententiam præter allatos Peripateticos, duxerunt Aristotelem Scotus in 2. sent. dist. 8. quæst. 1. §. de intentione, & quodlibeto quæst. 7. Gregorius Ariminensis lib. 1. sent. dist. 42. quæst. 3 ar. 1. Heruæus Quodlibet 2. quæst. 4 & in Tract. de Mundi æternitate quæst. 4. Ferrariensis 2. contra Gentes cap. 23. Ex recentioribus verò Philosophis ad stipulati sunt huic sententiæ, Piccolomineus lib. de cælorum motoribus cap. 23. Bonamicus lib. 10. de motu cap. 36. Pędasius lib 8. Physicæ texturæ part. 36. Cremoninus de motoribus abstractis sect. 4 cap. 2 Hæc Philosophorum Aristotelicæ doctrinæ interpretatio, duobus potissimum eiusdem doctrinę nititur fundamentis. Quorū primū cōstitutū est in ratione, quā 8. Phys. tex 8. cōficit Arist. ad probandū, q̄ posito motore, & mobili æterno, secutus sit motus ab æterno, Nā ait ipse; Si primum intercessit quies, & postea successit motus, quies erat causata ab aliquo impedimento, quod remotum fuit per aliquam mutationem; Igitur datur mutatio prior prima, scilicet illa mutatio, qua ablatum fuit impedimentum, ante motus principium; Quod cùm sit penitus absurdum, & inuoluat contradictionem, infertur necessariò, motum nunquam incæpisse. Hæc Aristotel. ratio supponere videtur, Deum primam causam mouentem, agere, atq; mouere necessariò, etenim si Aristoteli compertū fuisset, Deum liberè operari, & pro suo arbitratu, occurrebat ea consideratio, quòd si non mouit ab æterno, id à nullo oriebatur impedimento, sed à propria voluntate, qua nimirum noluit mouere; Verum cùm totā causam quietis antecedentis motum referat in impedimentum, hoc clarissimo argumento esse videtur, Aristotelem putasse, Deum quamuis præditum perfectissimo intellectu, ac voluntate, agere necessariò ex impulsu naturæ, & nō posse non operari, & non mouere.

Authores attribuentes Arist. quod Deus agat ex necessitate naturæ.

Prima ratio Arist. de operatione necessaria Dei.

Secundùm fundamentum, quo ædificatur in doctrina Aristotelis operatio necessaria ipsius Dei, astruitur ex ratione depromptα ab eodem Philosopho 8. Phys. text. 79. quo loco propositum habens demonstrare primum motorem esse à magnitudine seiūctum, vtitur tali medio; Virtus infinita coniuncta magnitudini, mouet in nō tempore; Primum mouens pollet virtute infinita; ergo si esset iunctum magnitudini, moueret in instanti; sed videmus eum mouere in tempore; Igitur primus motor ab omni magnitudine est segregatus. Quæ ratio nullius esset momenti, si Aristoteles non supponeret, Deum necessario operari; Nam infinita potentia liberè agens

Secunda Aristot. ratio falsò putatis actionem Dei ad extra esse necessariam.

gens

gens potest suspendere suam actionem, eamque totam subiecto non communicare; Propterea data hypotesi, quod potentia liberè agat, non sequitur, quòd quamuis sit in magnitudine, ipsam magnitudinem agitet in momento; nam cohibere pro libito potest suam virtutem, atque actionem; Sed si potentia infinita posita in quantitate, sit potentia agentis necessarij, planè conficitur, ipsam in momento moturam esse mobile; Quare, cùm Aristoteles deducat motionem instantaneam, posita infinita potentia in magnitudine, videtur indicare, Deum ad actionem externam, & ad motum necessariò concurrere. Aliæ sunt pro hac sententia rationes, quas recensere superuacaneum existimo, cùm præsertim, & rationes, & Aristotelis testimonia videri possint apud Cardinalem Bessarionē lib. 3. contra Calumniatorem Platonis cap. 21. vbi conatur Aristotelem in hanc flagitiosam de necessaria Dei operatione sententiam trahere. Itaque supposito, quòd talis fuerit mens Aristotelis de Dei actione, planè constat, quantum Aristotelicæ doctrinæ repugnet Mundi finis; Etenim si Deus necessariò mouet cælum, sequitur, ipsum non posse cæli motum cohibere, & consequēter in fine Mundi cælestes motus defecturos non esse, vt sacra testantur eloquia.

Bessarionis opinio, quod Arist. perperā sētiat de actione Dei necessaria.

Alij verò Philosophi contrariam interpretationem sequuti, nolentes tanto crimine Aristotelem damnare, conantur ostendere Deum non necessariò, sed liberè in externis operationibus versari. Non me latet Auerroem in Disp. tertia aduersus Algazelem, in solutione primi dubij tradidisse Deum, neque necessitate naturali, neque libera voluntate agere, sed sua munera obire, ratione quadam singulari, & præstantissima, nobis omnino ignota, & ipsi soli cognita. Verùm cùm Auerroes nulli adhæreat parti, non est hac in re eius Testimoniū magnifaciendum; Sed quidem pro hac sententia acerrimè militat Toletus in 8. Phys. quæst. 3. & Suarez Tom 2. Metaph. disp. 30. sect. 16. affirmans, lubricum esse, ac incertum statuere, quid decreuerit Aristoteles de operatione Diuina, & studet in suam sententiam de libera Dei operatione trahere Auerroē;

Authores pugnantes pro Arist. & negātes ipsum operationē necessariam Deo attribuisse.

Toletus vero, examinans rationem Aristotelis in primo fundamento superius allatam, ostendit ex ipsa non elici necessariam actionem primi Motoris; Cū enim Philosophus disputat aduersus Anaxagoram existimantem in Chaos multo tempore antea præcessisse quietem, affert rationem petitam ab impedimento, & ducentem ad contradictionē, In qua ratione astruenda, inquit Toletus, abstrahit ab hoc, quòd causa mouens, liberè, vel necessariò agat; Imò idem Toletus eadem quæst. §. 5. docet quod illi, qui putarunt Aristotelem Deo prouidentiam attribuisse, fateantur etiam necesse est, Deum ipsum esse causā liberam; Etenim prouidentia non potest esse sine libertate, nec haberi de rebus liberis à causa omninò necessaria; Imò impossibile est, causam liberam secundam esse liberam, prima existente necessaria; Nam sequeretur causam secundam posse operari sine prima, quia nimirum posset efficere id, quod non posset prima, nempe liberè operari; Et proinde secunda causa reijceret concursum primæ, & superior ipsa esset; Vel causa secunda sua libertate nolens operari, frustraret concursum causæ primæ; Quæ omnia sunt absurdissima, Ideo supposita necessaria Dei operatione, ita argumentatur Scotus, primo sententiar. dist. 2. quæst. 2. Deus ex Aristotele agit ex necessitate naturæ, Ergo omnia, quæ eueniunt, necessariò eueniunt; Probatur consequentia, quia Deus mouet causas secundas eo modo, quo ipse operatur, sed operatur necessitate naturæ; Igitur tribuit etiam causis secundis necessitatē operandi; Quod tamen vti falsum, non est admittendum, cum inter causas, aliæ sint liberæ, aliæ contingentes, aliæ necessariæ.

Toletus interpretatur primā rationem Arist. supra allatā, ostendens ex ipsa non deduci necessariam Dei actionem.

Ratio Scoti, ob quam Deus non agit ex necessitate naturæ.

Præterea obseruo Aristotelis sententiā de necessitate operationis diuinæ, non cohærere cum virtute infinita, quam primo cōcessit Motori; Illud enim, quod habet virtutem infinitam intensiuè, non est ita determinatum ad vnum, vt infra certos, & præscriptos limites causalitatis, & efficientiæ contineatur; Alioquin non esset virtute infinitum. Scio magnam esse controuersiam inter Peripateticos. An Deus habeat virtutem infini-

Repugnat necessitati operationis virtus infinita ī Deo

Controuersia inter Peripateticos de virtute infinita Dei intensiua, vel extensiua, in mouendo Cælum.

nitam, durationis tantùm, & temporis infiniti, quæ dicitur virtus infinita extensiuè; an verò habeat virtutem infinitam intensiuè, & simpliciter, quæ dicitur virtus roboris infiniti, secundum se totam collecta. Scotus q. 7. Quodlib. putat Aristotelis sententiam fuisse, primá causam habere virtutem infinitam intensiuè; Nam Aristoteles in 8. Phys. cõstituit has duas consequẽtias. Prima est, si mouet tempore infinito, ergo nõ est Virtus finita. Altera est; Si est virtus infinita, Ergo alligata magnitudini mouebit in non tempore. Vtraque consequẽtia supponit Dei virtutem esse infinitam intensiuè, & in vigore; Nam, quoad primam consequentiam, si sensus Aristotelis fuisset, mouet infinito tempore, Ergo non est virtus finita, id est Ergo non existit finito tempore, esset ridiculus ipsius discursus. Quis enim ignorat, quòd illud, quod infinito tempore debet mouere, debet etiam infinito tempore existere? Neque obijcies, quòd si ex motione facta in tempore infinito, colligitur virtus infinita intensiuè, etiam eamdẽ virtutem habeant cæteræ Intelligentiæ mouentes tempore infinito, ex sententia eiusdem Aristotelis, quia hæ mouent dependenter à prima, quæ mouet finaliter, & efficienter. Quare illud tantùm, quod infinito tempore mouet à se independenter, & vt primum, habet virtutem infinitã intensiuè, non verò illud, quod mouet, motum ab alio, vt sunt Intelligẽtiæ, aut Animæ cælorum.

Scotus attribuit Arist. virtutem intensiuam infinitã ĩ Deo

Intelligentiæ, ex Arist. mouẽt infinito tẽpore cælestes orbes, non tamen habẽt virtutem infinitam intensiuè,

Altera verò consequentia supponit, & ipsa infinitatem virtutis intensiuè; Etenim mouere in non tempore, non dependet à virtute infinito tempore perdurante; Nam idem inferendum esset de Intelligentijs, vel de Animis cælorũ; Quoniam, & ipsæ, ex opinione Aristotelis infinito tempore mouent, atque infinito tempore existunt. Itaque consequentia de motu instantaneo oritur ex supposita virtute simpliciter infinita in primo mouente, vt colligitur ex 8. Phys. text. 69. Quod si obijcias, virtutem primi motoris infinitam simpliciter importare motionem momentaneam, & consequenter primum motorem de facto debere mouere in non tempore, Dico, quòd, si illa Virtus infinita esset materialis, aut alligata materiæ, & corpori, ageret, quantum posset, & secundum vltimum suæ Potentiæ moueret, ideoque moueret in non tempore; Verùm quoniam virtus infinita motoris est segregata ab omni materia, & agit ex electione, hinc fit, vt non moueat in non tempore, sed motu proportionato ad ipsum mobile, & vt illius natura requirit, & quantùm conuenit orbi mobili, & rerum vniuersitati; Atque hinc etiam remaneat demolitum secundum fundamentum pro necessaria Dei operatione, iuxtà Aristot. mentem; Siquidem Philosophus in ea conficienda ratione indicat primum motorem non esse alligatum magnitudini, & consequenter demonstrare videtur, ipsum nõ agere more naturæ, quemadmodum, si coniunctus esset magnitudini, ageret, secundùm vltimum suum posse, & moueret in non tempore. Sed eò ipso, quod primus motor ostenditur segregatus à magnitudine, & mouens non in instãti, sed in tempore, apparet eius infinita virtus intensiua, atque etiam libertas in operando.

Virtus Dei infinita, quia agit ex electione, non mouet Cælum in instãti, sed in tempore.

Iuxtà hanc Aristotelicæ mentis Interpretationem, asserendum est etiam, finem Mũdi Aristotelicæ doctrinæ aduersari; Quandoquidem esto, quod Deus primus motor liberè moueat Cælum, tamen quia Aristoteles demõstrat motum cæli esse æternum, necessariò consequitur, ex ipsius doctrina, nunquam motum cæli habiturum esse finẽ, & rerum generationem perpetuam fore; Quamuis enim Deus liberè moueat cælũ, nihilominus data hypotesi, quod ab æterno moueat, & moturus sit liberè æterno tempore, planè conficitur, quòd etiam liberè nolit Mundi occasum. Atque hæc necessitas dicitur, non coactiua, sed immutabilitatis; Itaut quod facit, immutabiliter faciat; Quæ necessitas hoc modo exposita, non solũ non arguit imperfectionem, sed potius est argumentum perfectissimæ naturæ, nulli mutationi subiectæ. Quare si autores primæ sententiæ pro necessitate operandi in Deo, intelligunt necessitatem immutabilitatis, itaut non possit Deus mutari in tempore, de nolente in

Supposita motus æternitate, ex Arist. ipsoq; approbante Dei libertatem in mouẽdo, Mundus est æternus iuxtà Aristot.

Necessitas in Deo, quæ dicitur immutabilitatis non dicit imperfectionem, ut ea actiliter

in volentem, rectissimè loquuntur, & consonant cum doctrina à Theologis tradita, vt inter cæteros animaduertit Raphael Auersa prima p. suæ Theologiæ quæst. 19. sect. 8. § Verumtamen. Quocirca vel dicendum est, hanc quæstionem de operatione Dei nullum habere locum in doctrina Aristotelica, vel quia ipse Aristotel. nunquã expressè de libera, vel necessaria actione Dei est loquutus, Vel quia cùm Deus in Peripatetica doctrina ex aliquorum sententia sit tantum causa finalis, & nõ efficiens, nullum onus incumbebat Aristoteli de actione Dei verba facere; Et hæc est interpretatio Thomæ Giannini Conciuis mei, præstantissimi Peripatetici tract. de Dæmonibus, & Mentibus à materia abstractis ca. 25. quo loco se propensum ostendit in sententiam asserentium, Deum liberè operari. Quibus ita constitutis, dicendum est, Quòd

Giannini sententia laudatur de operatione Dei.

si Dei operatio est necessaria, ex Arist. non potest Deus cæli motum inhibere, & consequenter non potest Mundi finẽ inducere; Illud enim, quod necessariò agit, & per modum naturæ, semper eodem modo agit; Si verò libera ex eodẽ Aristot. est Dei actio, data hypotesi, quòd Mundus sit æternus, vt idem Aristoteles probare contendit, Deus non destruet Mundum, quia liberè voluit, ipsum æternum fore; Igitur ex dictis quoquo modo ab Aristotele actio Dei suscipiatur, vel necessaria, vel libera, nulla infertur de fine Mundi cognitio. Sed quoniam Mundi interitus ad prouidentiam diuinam spectat, vt dicemus in disputatione Stoica, institutæ disputationis ratio postulare videtur, vt inquiramus, An diuina prouidentia, iuxta Aristotelis doctrinam, Mundi occasum admittat.

Actio Dei vel ex Aristotele si necessaria, vel sit libera in mouendo Cælum cõsequitur in doctrina Peripatetica Mũdum fore æternum.

CAPVT TERTIVM.

Aristoteles prouidentiam diuinam non ad solam Lunam, sed ad omnia extendit, Error à Theodoreto de necessitate fati falsò adscribitur Aristoteli; Cuius de fato sententia indicatur. In quo consistat prouidentia diuina, ex mente Aristotelis, explicatur; Eius doctrina examinatur de cognitione; quam habet Deus rerum extra se, & accusatur expositio Cremonini. Mundi finem repugnare diuinæ prouidentiæ ab Aristotele constitutæ, ostenditur.

Variæ de sententia Aristotelis circa prouidentiam diuinam extitere opiniones, quas breuiter Aristotelicæ Doctrinæ trutina expendemus, vt quid ex ipsis de Mundi occasu coniectandum sit, aperiamus. Plutarchus, Chalcidius, Iustinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Nazianzenus, qui in oratione prima de Theologia Aristotelicã prouidentiam ieiunã, & angustam vocauit, putarunt Aristoteli probatum fuisse sola cælestia corpore Dei prouidentia gubernari. Cui opinioni adstipolatur Cardinalis Bessario lib. 3. aduersus Calumn. Platonis c. 29. vbi affirmat Aristotelem non extendisse diuinam prouidentiam, nisi vsque ad Lunam; Idque confirmat iudicio Græcorum Philosophorum, Aristotelis interpretum, nec non Plutarchi, & Auerrois, & negat omninò prouidentiam Dei, ex mente Aristotelis, rebus generabilibus, & corruptibilibus consulere; Id quod primum affirmauerat lib. 2. cap. 8. his verbis. Ita corpus Lunæ, & quodcunque cæleste, subiectum vnum, ac solum, sententia Aristotelis erit, cui prouideatur.

Authores putantes Aristotelẽ Dei prouidentiam solum ad cælestia corpora coarctasse.

Iuxtà hanc de Aristotelica prouidẽtia interpretationem, asserendum est, cælestia corpora, quæ prouidentia reguntur, nunquam esse dissoluenda;

Pro-

prouidentis enim rectoris munus est, illa ab interitu immunia cõseruare. Quamobrem, cùm hæc inferiora nulla prouidentia, ex istorum placito, regantur, affirmandum est, illa facilè absque rectore in perniciem, & excidium esse lapsura, quemadmodum in Ciuitate destituta Gubernatore, omnia pessundari videmus.

Theodoretus falsò attribuit Aristoteli, quod multa, & etiã virtutes, et vitia fato subiecerit.

Theodoretus lib. 5. de curat. Græc. affect. existimauit, fatorum necessitati tantùm ab Aristotele fuisse tributum, vt non solùm diuitias, paupertatem, pacẽ, bella, bonam, & aduersam valetudinẽ ineuitabili fatorum necessitate agi putauerit, sed etiam virtutes, & vitia; itaut Aristoteles Chaldæorum, & Stoicorum fatũ approbauerit; Quod omninò Aristotelicæ reluctatur doctrinæ, quoniam ipse secus senſit de fato, existimãs fatum nihil aliud esse, quàm naturam, vt latè demonstrabimus in Disputatione Stoica; Quare si fatum, ex sententia Aristotelis, est natura, asseuerandum est, fatalem non futurum esse Mundi interitum, rerum naturis repugnantẽ, & hallucinatum esse hac in re Theodoretum, Aristotelis mentem ita exponentem.

Fatum ex sententia Aristotelis est natura.

Aristoteles docuit rerum omniũ à Deo dependentiam.

Porrò Aristotelis sententiam esse, Dei prouidentiam omnes gradus entiũ, supernos nimirum, & inferos complecti, clarissimum est testimonium lib. de Mundo ad Alexandrum; *Ibi enim ae si ntur Mundus, ordo, & digestio vniuersorum, quæ à Deo, & per Deum asseruantur.* Et in fine eiusdem libri ita loquitur. *Vetus sermo est à maioribus proditus, inter omnes homines, Vniuersa tùm ex Deo, tũ per Deũ constituta esse, atque coagmentata, nullamque naturam per ipsam sufficere ad permanendum, quæ citra Dei præsidiũ sua ipsa tutela permissa sit.*

Addi possunt testimonia Aristotelis lib. 7. Moralium ad Eudemum c. 18. vbi asserit, moueri omnia ab inexistente nobis Numine, hoc est à Mente, non secus ac cuncta in Vniuersitate moueãtur à Deo, atque regantur; Et lib. 10. Ethicorum ad Nicomachum cap. 8. hęc habet. *Vt autem quisque mentem vtit, actionisque ducem maximè sequitur, & colit, estq́; optimo animo constitus, ita est Deo clarissimus; Etenim si Dij res curant humanas, sicuti curant, profectò illud consentaneum est, vt re delectentur optima, & quæ generis societate cũ ipsis est coniunctissima, qualis Mens esse videtur, ijsque hominibus, qui eam rem maximè ament, & colant, benefitia reddat; Quod eas res curent illi, quas habent charas, rectè q́; ac præclarè facta sequantur. Nec vero dubium quin hæc omnia insint sapienti; Ergo Deo charissimus est, idemque beatissimus esse debet, ita sapiens maximè est beatus futurus.* Quid clarius Aristotelis verbis de prouidentia Dei circa hominem, & præsertim sapienter afferri potest? Quòd si aliquis dubitet, Librum de Mundo ad Alexandrum in Aristotelis officina non fuisse elaboratum, & in libris Ethicorum, non ex animi sententia, sed ex vulgari opinione esse locutum; quid dicendum erit de testimonio deprompto ex lib. 12. metaph. textu 48. Quo loco asserit, ex Deo cælum, & naturam pendere, quæ dependentia diuinam prouidentiam, ipsiusque Dei regimen includit, & in calce eiusdem libri fassus est, vnum esse totius Mundi Principem, quoniam ea, quæ sunt, nolunt malè gubernari, & bonus non est plurium Principatus.

Aristoteles Dei prouidentiam de homine sapiente potissimum indicauit.

Verum Aristotelis sententia de prouidentia diuina circa omnia, eã potissima fulcitur ratione, quòd naturam agere propter finem demonstrauit secũdo Physicorum. Quod pronunciatum, magnam habere vim ad prouidentiam inducẽdam, existimauit Auerroes lib. secundo Physic. comment. 75. Illa enim, quæ agunt propter finem, non casu, & temerario mouentur tumultu, sed ordine digesta, in ordine versantur, & ordinatim mouentur, qui est pręcipuus effectus prouidentiæ. Et quamuis dirigere ad finem propriũ sit intellectualis naturæ, quæ delectu, & arbitratu suo agit; tamen omnia dicuntur tendere in finẽ, quamuis aliqua cognitione careant, quia diriguntur in finem à Motore primo, à prima Intelligentia, quæ est Deus, eo modo, quo sagitta fertur in scopum à iaculatore directa; Vnde opus Naturæ dicitur opus Intelligentiæ. Quare cùm omnia ab Intelligentia non errante ad finem dirigantur, & Aristotelis doctrinæ contentaneum

Aristoteles demonstrat naturam agere propter finẽ, ex quo deducitur prouidẽtia in omnibus naturæ operibus.

necum sit, naturâ agere propter finem, consequitur necessariò, naturam vniuersam à Deo regi, moueri, & prouidentiæ legibus gubernari. Hancque fuisse Aristotelis mentem, testantur inter cæteros Peripateticos Ammonius in comment. lib. Catheg. cap. de Relat. & Simplicius in comment. lib. 2. de Cælo textu 56. Itaque & Aristotelis, & Peripateticorum consensu firmatum est, eũdem Aristotelem Dei prouidentiam per omnia diffudisse; Hinc tamen non elicitur, Mundi interitum Aristoteli fuisse compertum; Etenim cùm ductus fuerit ad prouidentiam cõstituendam, ea potissima ratione, quòd Natura agat propter finem; certè in diuinam prouidentiam, ex sententia ipsius, Mundi destructio non cadit, qua destructione tantum abest, vt ordinetur natura ad suum finem, vt potius à proprio fine reuocetur, & distrahatur. Imò, cum Aristoteles superioribus traditis locis affirmarit, Deos de rebus humanis curã habere, non facilè potuit sibi persuadere, eosdem Deos, non solùm hæc humana nõ esse aliquando curaturos, sed destructuros, & euerturos. Quare, ex sententia Aristotelis de prouidentia, Mundi nullum de ipsius Occasu vestigium apparet.

Prouidentia diuina supponit Deum cognoscere alia extra se, de qua cognitione lis inter Peripateticos.

Hæc Aristotelis sententia de prouidentia diuina hucusque explicata, supponit, Deum cognoscere alia extra se; Nam cùm prouidentia sine cognitione constitui nequeat, si Deus de omnibus habet prouidentiã, de omnibus etiam habere scientiam necesse est. Verum quia plerique Peripatetici existimant, Aristotelem constituisse Deum sui ipsius dumtaxat intelligentem, & nullam rem aliam extra se ipsum cognoscere, quoniam dedecet Deum, quo nihil est præstabilius, materiata, & vilissima quæque cognoscere, ex horum interpretatione conficitur, Deum materiata, tanquam vilia, ignorantem, de ipsis nullam habere prouidentiam. Cardo verò huiusce difficultatis potissimùm vertitur circa Aristotelis pronunciatum 12. Metaph. textu 51. vbi agens de perfectissima Dei intelligentia, videtur innuere Deum quædam, vtpote vilia, & deteriora non intelligere, ita enim loquitur: *Quædam melius est non videre, quàm videre, alioquin non fuerit quid optimum intellectio.*

Examinãtur verba Aristotelis de intellectione diuina rerum extra se.

His tamen non obstantibus, patet, Aristotelem putasse, Deum prꝑter suam substantiam, cætera omnia comprehendere. Occurrit testimonium lib. 3. Metaph. 15. vbi reprehenditur Empedocles, quòd opinetur Deum, qui omniũ est beatissimus, minus esse, quàm cæteros, prudentem, neque omnia cognoscere; Quæ reprehensio nullius esset momenti, nisi putasset Aristoteles Deũ extra se omnia intelligere. Hanc fuisse sententiam Simplicij, constat ex Digressione 2. lib. 8. Physic. aduersus Philoponum, vbi scribit, Deum futurorum, & omnium esse comprehensorem. Idem dogma Themistius in paraph. lib. 12. Metaph. & Ammonius in lib. de Interpret. sunt amplexati, statuentes, Deum extra se posita intelligere, quatenus intelligit, se esse causam, & principium rerum omnium; Imò hanc fuisse sententiam Auerrois, tradidit Ioannes Bacconius lib. 1. sent. distinct. 39. quæst. 1. quo in loco scribit, Auerroem sentire, Deum in se ipso cuncta, quæ Mũdi amplexu coercẽtur, certissimè cognoscere.

Scriptores Aristotelis sententiã interpretantes de intellectione Dei rerum extra se.

Interpretatio verborũ Aristotelis, quod intellectus Diuinus intelligendo extra se alia, quãuis vilia, non vilescit.

Neque obstant Aristotelis verba in Metaphysic. superiùs tradita; Etenim discursus Philosophi per modum dubitationis in eo loco hic est; Si intelligentia esset, quid optimum, nullum intelligere esset vitandum; Sed cùm aliquod intelligere sit vitandum, propter indignitatẽ intelligibilis, relinquitur, quòd nobilitas intelligentiæ dependeat a nobilitate intelligibilis. Quare concludit, Deum intelligere seipsum, & quod in eo sit idem intellectus, & intellectum. Intelligendo autem seipsum, intelligit alia à se; Quod licet expresè non pronuncietur ab Aristotele, attamẽ ex eius discursu clarissimè conijcitur. Nam si intelligit se ipsum, Ergo se ipsum intelligit tanquam principium, a quo cælũ, & natura dependet; Verùm tantò perfectius aliquod principium intelligitur, quantò magis intelligitur in eo effectus eius. Quamobrem, si Deus intelligit se perfectissimam causam, tum efficientẽ, tum finalem rerum omnium, conficitur planè, vt omnia intelligat in se ipso,

quæ

quæ ab ipso dependent. Et quamuis inter ea obiecta, quæ intelligit, aliqua sint vilia, & materiata, tamen non in ipsis rebus, aut ab ipsis cognitionem accipit, sed illas intelligit, suam contemplando substantiam; Neque melius est, Deum illa non videre, & nescire; Nam tunc melius est, quædam nescire, quando in aliquo indignissimo obiecto intellectus in eo sistit, & cum actu illud intelligit, retrahitur à dignioribus obiectis intelligendis; Quòd si intelligendo aliquod dignissimum, etiam vilia intelligantur, vilitas intellectorum intelligentiæ nobilitatem non tollit; Quod prorsus euenit in diuina cognitione, & intellectione, qua intelligēdo se ipsum, eodem actu alia intelligit, quantumuis vilia, & materiata. Atque hæc est explicatio D. Thomæ in comment. allegati textus; Ex quibus omnibus cōstat, Deū habentem de rebus omnibus perfectissimam cognitionem, de rebus etiā omnibus optimam habere prouidentiam.

Quare iuxta D. Thomæ interpretationem exponēdum est Aristotelis pronunciatum, cum tamen Aristoteles non asserat expresè, Deum non intelligere alia à se, sed se ipsum solum, quatenus obiectum intellectum, est perfectio intelligentis, & intellectionis; Hoc enim est in Deo improbabile, quòd scilicet intelligat aliquid extra se, quod sit perfectio sui intellectus, & suæ intellectionis; Propterea Aristoteles non absolutè inficiatur, Deum intelligere alia extra se. Ideo reprehendenda est omninò interpretatio Cæsaris Cremonini sect. 3. de Motoribus cæli abstractis cap. 5. exponentis, dictum Aristotelis, quouis modo esse intelligendum negatiuè, respectu cognitionis cæterarum rerum, refellendo omnes glossas à D. Thoma, & ab alijs adhibitas. Non potuit autem hic Philosophus percipere, Deum vna intellectione simplicissima, & indiuisibili intelligere dependens, & independens; mutabile, & immutabile; absolutum, & relatiuum; Nam Deus se ipsum intelligendo, independentem, & immutabilem substantiam contemplatur, cætera verò extra se, mutabilia, & dependentia intelligit. Auget hic Author difficultatem, quia ratio, cur in-

Refellitur interpretatio Cremonini in verba Arist. quòd Deus non intelligat alia extra se, & eius ratio consideratur, & eneruatur.

primo intellectu sint vnum, & idem, intellectus, intellectum, & intellectio, est, quia vnica est ratio formalis intelligibilitatis, quia Deus intelligit se ipsum, vt essentiam absolutam, cætera verò intelligens in propria Essentia, contemplatur suam Essentiam, vt relatiuam, & aliarum rerum repræsentatiuam; Attamen perperam hallucinatur Cremoninus; Nam quemadmodum verum est, rationem formalem non variari respectu Dei intellectionis, quæ est vnicus actus, & simplicissimus; Ita verum est obiectiuè multiplicari, ratione diuersitatis obiectorum, quæ ipse cognoscit. Et sicuti ex doctrina Theologorum, attributa diuina non faciunt cum diuina Essentia compositionem, quamuis, vel formaliter, & ex natura rei, vel ratione ratiocinata, inter se distinguantur, quia distinctio spectatur, non penes Deum, sed penes obiecta, & qualitates Attributorum; Haud secus quamuis Deus multa, ac diuersa intelligat, vtique rationes formales diuersæ sunt, respectu diuersorum obiectorum, non autem respectu ipsius Diuinæ intellectionis.

Quamobrem, cū ex hactenus disputatis compertum sit, ad Aristotelis aures, accipiendam esse diuinam prouidentiam per omnia diffusam, Deumq; omnia, quantumuis vilia, & abiecta cognoscere, non tamen hinc elicitur, eidē Aristoteli Mundi occasum fuisse perspectum; Etenim prouidentia ab ipso constituta, in eo dumtaxat posita est, vt omnia ad suos fines peculiares, & tandem ad vltimum finem reducantur Demolitio autem huiusce inferioris Mundi repugnat ordinationi rerum ad finē proprium, & naturalem, sibiq; peculiarem, cùm, rebus ipsis destructis, talis debeatur ordinatio, necesse sit; Propterea statuendum est, nullam ex hoc fonte diuinæ prouidentiæ emanare in Lyceum de Mundi interitu cognitionem.

Nec est, quòd aliquis vrgeat, Mundi finem inter effectus diuinæ prouidentiæ à Theologis recenseri; & propterea tanquam effectum eiusdem diuinę prouidentiæ ab Aristotele constitutæ, ponendum esse. Nam Aristoteles non cognouit Deum, vt finem supernaturalem rerum creatarum, sed tantùm, vt naturalem;

Finis Mūdi inter effectus diuinæ prouidentiæ reponitur. ordinantis Mūdi interitū ad finem supernaturalē ignotum Arist.

ralem; Occasus autem Mundi ad ipsum Deum refertur, vt finem supernaturalem, quia tunc, ex communi Theologorum placito, absoluetur, & complebitur Mundi cursus, quãdo impletæ erunt illæ sedes Beatorum, ex quibus Lucifer cum sectatoribus suis delapsus est; Ideo destructio rerum inferiorum relabitur in diuinam prouidentiam, quæ cùm sit ratio ordinis rerum in finem, in Mente diuina præexistens, ordinat ipsum Mundi interitum ad Dei Gloriam, & ad Beatitudinem inducendam, tùm in animis humanis, tũ in corporibus Beatorum; Quod prorsus in fine Mũdi præstabitur, & complebitur; Atque, cùm Deus, vt docet D. Thomas prima parte Quæst 22. art. 2. sit vniuersalis prouisor totius Entis, ad ipsius prouidentiam pertinet, vt permittat quosdam defectus esse in aliquibus particularibus rebus, ne impediat bonum Vniuersi perfectum; Quamobrem concurret Deus sua maxima prouidentia ad finalem interitum rerum multarum in Mundo, ne impediatur maius bonum, & maior eiusdem Mundi perfectio; Quoniam vt in 2. parte huius Tractatus demonstrabimus, elementa, & cælestia corpora, quæ post Mundi finem remanebunt, maiori donata erunt perfectione. Nunc autem gradum faciamus ad Dei causalitatem, iuxta mentem Aristotelis indagandam, vt nimirum perquiramus, an diuina causalitas aliquam Aristoteli de Mundi termino, & excidio suppeditauerit cognitionem.

CAPVT QVARTVM

Primò afferuntur testimonia Aristotelis, & rationes pro Dei causalitate finali. Secundò adducuntur testimonia pariter, & rationes pro causalitate efficienti; & ostenditur vtraque causalitate Deum causare. Tertiò refellũtur rationes pro sola causalitate finali. Quartò demonstratur, Deum ex sententia Aristotelis, neque vt causam finalem, neque vt efficientem destructurum esse Mundum. Quintò, supposito Mundi Fine, quæritur, quomodo Deus, ex Aristotelis mente, possit ad ipsum concurrere.

CElebris est in Lyceo diù, multũq; exagitata Quæstio, an Deus moueat cælũ, & per ipsius motum cætera moueat, tanquam causa finalis, an verò tanquam causa efficiens; siue moueat per modum vtriusque.

Philosophi asscribẽtes Aristoteli, Deum mouere cælum sub ratione tãtum causæ finalis.

Primam mentem à materia seiunctam mouere cęlum, sub ratione tantum causæ finalis, est sententia Alexandri summi Peripatetici lib. 1. quæst. natural. cap. 1. & 25. & lib. 12: Metaph. comment. 25. Auerrois lib. de Subst. Orbis cap. 5 & 6. & lib. 12. Metaph. comment. 41. & tractatu 4. Epitom. Metaph. & lib. de Substant. Orbis cap. 4. & 6. Quod etiam sensit Auicennas Tractatu 9. primæ Philosophiæ cap. 2. quẽ secutus est Algazeles lib. 1. Philosophiæ Tractatu 4. cap. 2. Inter recentiores autem defendunt mordicus hanc sententiam Cęsar Cremoninus de Motoribus cæli abstractis sect. 4. cap. 1. & 2. Raguseus Disp. 7. cap. 18. Thomas Gianinius Tractatu de Dæmonibus, & Mẽtibus à materia separatis cap. 9 & 10.

Testimonia Arist. quod Deus moueat Cælũ sub ratione causæ finalis.

Fundamenta huius sententiæ sunt, tùm Aristotelis testimonia, tùm rationes, quæ afferuntur contra illorum opinionem, qui existimant Deum esse causam efficientem, ad mentem Aristotelis; Ideò instituta disputationis ratio postulare videtur, vt Aristotelis loca, nec non rationes pro hac sententia afferamus.

Et primò occurrit euidentissimum Aristotelis testimonium lib. 12. Meta-

physic. textu 36. quo asserit, primam causam mouere vt appetibile, & amatum, quod est, perinde ac dicere, mouere sub ratione finis, quia, vt notum est, appetibilitas, & amabilitas est ratio, sub qua finis mouet.

Alterum Aristotelis pronunciatum habetur 2. de Anima textu 34. *Omnia*, inquit Aristoteles, *illud appetunt, & illius causa agunt omnia, quaecumque agunt secundum naturam*; Loquitur autem de primo Mouente, & diuino, quòd secundum quòd possunt, omnia participant. Hinc fortasse hausit occasionem Ioãnes Bachonius 2. sentent. dist. 3. Quest. 1. art. 4. existimandi & sustinendi, quod causa finalis dat esse, & nobiliori modo, quam efficiens; & ait, modum hunc dandi esse excellẽtissimum prorsus existere; Nam cùm Aristoteles asserat loco citato, de diuino illo primo, quod est Deus, (quamuis aliqui interpretentur cælum) omnia participare, illudq; mouere, vt appetibile, videtur Bachonius rectè inferre, finem dare esse rei.

Rationes autem quoniã multæ sunt, breuiter perstringentur, & sunt potissimùm ordinatæ ad improbandam contrariam sententiam, quæ pugnat pro Dei efficientia ex mente Aristotelis.

Rationes pro eadẽ opinione. Prima ratio. Nihil potest mouere per modum efficientis, nisi tangat id, cuirribuit motum. lib 3. Physic textu 16. lib. 8. textu 37. lib. p. de Cælo textu 72. Tactus autem est corporum, lib. 1. de generat. & interitu cap. de Tactu. Verùm cùm Deus sit ab omni magnitudine seiũctus, vt probat Arist. de primo Motore lib. 8. Physic. sequitur primum Motorem nõ mouere Cęlum, sub ratione causæ efficientis.

Secunda. si Motor mouet cælum efficienter, vel adhibet in mouendo, virtutem finitam, vel infinitam; Non finitam, quia cùm cælum æterno tempore moueatur, virtus finita non potest æterno tempore mouere; Non infinitam, quia hæc virtus, vel mouebit in non tempore, vel in tempore. Primum non est asserendum, quoniam repugnat naturæ motus, qui habet partium successionem; Non secundum est admittendum, quia virtus infinita, & finita mouebũt æquali tempore, quod est absurdum; Quoniam, quò maior est virtus, breuiori tempore mouet, & facilius.

Tertia, Deus non potest esse causa efficiens rerum æternarũ, quales ex sententia Aristotelis sunt Intelligentiæ, materia prima, & cælestia corpora; Nã causa efficiens debet tempore antegredi id, cuius est causa, vt tradidit Arist. 13. Metaph. textu 16. At in eo, quod est æternum, non potest assignari temporis prioritas; igitur Deus, respectu horum, non potest esse causa efficiens.

Quarta ratio; Causa efficiens definitur ab Aristotele 2. Physic. textu 23. Principium vnde motus, & 9. Metaph. textu 13. Potentia actiua definitur principium transmutandi aliud, quatenus aliud. Ideò primo de Generatione textu 45. ostenditur nullam actionem dari absq; mutatione; Igitur si cælum habuit causam efficientem, factum est cum aliqua mutatione; Repugnat autẽ, quòd illud, quod est æternum, sit factum; Igitur cælum non habuit causam efficientem; Idem patet de Materia; Etenim si materia facta est, ex aliquo facta est; Illud aliquid, ex quo facta est, vel est æternum, vel est factum; Si factum, ergo ex aliquo alio, quod materiæ habeat rationem; Atq; ita admittetur processus in infinitum; Vel igitur dicendum est, materiam non fuisse factam, & æternam esse, vel aliquid fieri posse ex nihilo, quod prorsus aduersatur Aristoteli lib. 1. de Physico Auditu textu 33. Intelligentias autem, nequaquam factas esse, demonstrat Philosophus 12. Metaph. ostendens, ipsas esse substantias ab omni materiæ concretione abiunctas. Quare, cùm omne id, quod fit, Aristotele docente, ex subiecto, & materia fiat, cõpertissimum est, Intelligentias immateriales minimè factas esse, & consequẽter non habere causam veram, & efficientem. Confirmatur, quia cum causa agens nihil aliud intendat, quam educere formam de potestate ad actum; atq; in ęternis esse, & posse, minimè differant, ex Arist. 3. Physicorum text. 32. quia potentia eliciendi in æternis semper est cum actu coniuncta, conficitur res ęternas causam efficientem habere non posse.

Quinta ratio colligitur ex Achillino quo-

quodlibet 2. vbi loquens de Intelligentijs, asserit, Aristotelem non concedere Intelligentias, neq; alia entia necessaria, à prima Intelligentia conseruari, sed quod ipsæ Intelligentiæ seipsas conseruant, laborando, vt illi primæ se assimilent, sicut illa prima intẽdit operari id, in quo consistit eius perfectio. Et hanc sententiam, seu potius turpissimum errorem secuti sunt inter recentiores Frãciscus Bonamicus lib. 10. de motu cap. 25. vbi concedit, Intelligentias habere esse à se. In quem errorẽ lapsus est Raguseus Disput. 7. cap. 18. existimans Intelligentias, tametsi secundùm suam substantiam sint à se, nihilominus secundùm propriam operationem ad finem præcipuum, & vltimũ referri. Imò idem Raguseus videtur adhęrere falsissimo pronunciato Bonamici putantis, quod per impossibile, amoto Deo, adhuc Intelligentię conseruarentur in esse. Fundamentum autem erroneæ huius opinionis, est, quod res æternæ, vt Intelligentiæ, Cælum, & Materia prima, sunt entia necessaria, quæ non possunt esse, & non esse, sed necessariò sunt, ad differentiam entis contingentis, quod potest esse, & non esse. Quare si æterna à Deo dependerent in conseruari, dependerent etiam in esse, quoniam conseruatio est continua existentiæ communicatio. Verùm illud, quod dependet ab alio in esse, non habet esse necessarium, sed potest esse, & non esse, illo posito, vel illo remoto, à quo dependet. Quamobrem cum Aristoteles posuerit supradictas substantias æternas, constituit etiam necessarias, & omnino independentes. Hæc sunt præcipua fundamenta, quibus fulcitur hæc sententia de primo mouente, in ratione causæ finalis.

Error Achillini, Bonamici, & Ragusei, putantiũ, Intelligẽtias secundũ à se ipsis habere esse, & conseruari.

His tamen non obstantibus, asserendum est cum D. Thoma 1. parte quæst. 44. art. 1. & lib. 3. contra Gentes cap. 15. & cum Toleto 8. Physic. quæst. 6. Deum, ex sententia Aristotelis, mouere, non solum sub ratione causæ finalis, sed etiam per modum causæ efficientis. Cuius sententiæ inter antiquos, propugnatores fuere Simplicius, & Ammonius, contra quos disputat Cremoninus loco citato. Placeat autem hanc sententiam Aristotelis authoritatibus & rationibus communire; Authoritates præcipuæ sunt depromptæ ex lib. 1. de Cælo tex. 32. vbi asserit Deum, & naturam nihil frustra facere. Ex 2. de generat. & corrupt. textu 59. vbi inquit, quòd cũ caduca nequeant fieri, vt eadem numero consequantur perpetuitatem, *Deus eo, quo restabat modo, compleuit hanc Vniuersitatem, perennem faciens generationem*; cuius opera, quæ numero eadem non possunt sempiternis sęculis manere, specie conseruantur perpetua. Clarissimum tandem hac de re extat testimonium primo de cælo textu 100. ex quo habetur, *Deum communicare esse, & viuere, his quidem clarius, his autem obscurius*; Verum quis non videt, quòd communicare esse est proprium causæ efficientis, non autem finalis? Non me latet, Alexandrum interpretatum esse hunc locũ, non de Deo, sed de cælo, per Deum significans ipsum cælum; quoniam à veteribus Philosophis, cælum Dei nomine appellabatur, vel quòd ad Dei naturam proximè accederet, vel quòd esset Animal diuinum, vt ipsi putabant; sed hæc extorta interpretatio penitus est reijcienda.

Ostenditur, Deũ mouere sub ratione non solum causæ finalis, sed efficientis, ex sententia Aristotelis.

Testimonia Aristotelis p supradicta sententia.

Non est prætermittendum testimonium Aristotelis 2. Physic. textu 73. docentis, duplicia esse principia mouẽtia physicè, quorum alterum non est physicum; quoniam non habet motus principium in seipso. Cùm autem ibi loquatur de principio effectiuo, seu de causa efficiente, & appellet principium non physicum illud, quod mouet immotum, qualis est primus motor, patet Aristotelem asserere, primum motorem esse causam efficientem. Propterea 2. physic. textu 67. cùm in præcedentibus textibus docuisset casum, & fortunam esse causas per accidens, subiungit, quod cũ causa per accidens sit posterior causa per se, planè consequi intellectum, & naturam, quæ sunt causæ per se, antecedere causas per accidens; Subdit autem intellectum, & naturam esse, & aliorum multorum, & huius Vniuersi causam; Vbi nomine causæ loquitur de causa efficiente, in quo genere causæ iam collocauerat textu 65. casum, & fortunam; Nomine autem intellectus intelligit

Deum, iuxta Dogma Anaxagoræ ab eodem Aristotele comprobatum, asserentis intellectum, idest Deum, rerum Vniuersitatis opificem fuisse.

Tandem id euidentissimè colligitur ex Aristotelis argumentationibus in 8. physic. astructis, ad probandum, dari primum Motorem immobilem; Etenim ille discursus totus innititur motioni, per modum causæ efficientis; quoniam ne detur processus in infinitum in mouentibus, & mobilibus, infert Philosophus, deueniendum esse ad aliquod primum mouens immobile. Quis verò non intelligit totam ratiocinationem versari, circa Motores mouentes, efficienter, & non finaliter? Imò omnia attributa, quæ de primo Motore ab Aristotele demonstrantur, scilicet, quod sit Mouens immobile, vnum, & separatum à magnitudine, ex hoc potissimùm emanant fonte, quod primus motor sit causa efficiens, vt philosophanti, & argumenta illa accuratè perscrutanti patebit. Ex quibus omnibus apparet, Deū ex sententia Aristotelis non solum mouere, per modum causæ finalis, sed etiā efficientis, quæ assertio, vt validiùs corroboretur, euertendæ sunt oppugnantes rationes superius allatæ, ex quarum euersione assertæ Conclusionis veritas clarior illucescet.

Responsiones ad supradictas rationes, & primò quod Deus mouet Calū per contactum virtualē, non corporeum.

Ad primam igitur Rationem respōdetur, Duplicem esse tactum; Alterum corporeum, alterum virtualem; Vtiquè verum est, Primam Intelligentiam, non se applicare ad mouendum cælum per contactum corporeum, sed per virtualem, eo modo, quo etiam prima causa concurrit cum actione secundarum Causarum, ipsas non corporeo contactu, sed virtuali tangendo, & mouendo.

Virtus primi Motoris, in mouendo Cælum est infinita intensiuè applicans se, iuxta exigentiā mobilis, & mouens in tempore.

Ad secundam dicendum est, primum Motorem in mouendo, adhibere virtutem infinitam, non infinito modo, sed potius finito, idest accomodato proportionaliter ad mobile, & iuxta ipsius indigentiam; Nam, vt demonstrat Scotus, Quodlibeto 7. ad 1. Deus est infiniti vigoris, secūdum Aristotelem, non quidem, quòd sit omnipotens illa omnipotentia, quam Deo Theologi tribuunt, quæ est vis efficiendi quodcunq; factibile, etiam immediatè, sine causis secundis; Nam ex mente Scoti, posuit Aristoteles necessariam connexionem causæ secundæ cum prima, & primæ cum secundis, & talem omnipotentiam concessit, quæ quamuis ex sua natura sit infinita, in efficiendo tamen est causis finitis alligata, Quamobrem, etiā si Deus in mouendo cælum, sua infinita virtute vtatur, quæ est non solum infinita extensiuè, sed intensiuè, vt supra traditum est; attamen, quoniam mobile, nimirum Cælum, postulat sua natura, vt moueatur in tempore, & non in instanti, virtus diuina infinita se se accommodans naturæ Cæli, illud mouet in tempore, quantumuis propter infinitatem sui roboris, illud instantanea vertigine circūrotare posset.

Ad tertiā respondet Heruæus quodlibet 2. quest. 1. Duplex esse agens; Alterum, quod præcedit tempore suam actionem, quodq; agit per motum, & mutationem, cuius actio est causare cum nouitate essendi, vt sunt agentia particularia; Aliud est agēs, quod non præcedit suum effectum tempore, imò simul est duratione cum ipso. Concedendum est, Deum non esse causam efficientem rerum æternarum efficientia, quæ præcedit tempore suum effectum, & consistit in motu, & mutatione, sed quidem esse causam efficientem rerum æternarum, per emanationem, quæ simul est cum re producta, & antecedit tantum prioritate naturæ suum effectum. Quod agens per similitudinem, & analogiam, & minus propria causa efficiens appellatur. Quemadmodum sol dicitur agēs per emanationem luminis, quod ab ipso fluit; sol autem non tempore, sed natura solum lumen præcedit. Hinc deducitur, quod cùm Aristoteles probat, Mundum esse æternum, non intendit probare, ipsū à nulla causa efficiente esse productum, sed tantum non esse factum media generatione, & motu; Repugnat enim æterno, hoc modo fieri, sed quidem admittit Aristoteles æterna à Deo emanare, iuxtà illud ab ipso pronunciatum 12. Metaphysic. textu 38. *A prima causa, tum cælum, tum natura dependet*, Quod clarius infrà patebit, atq; etiam in Quæstione sequenti.

Aristoteles admittit, æterna à Deo depēdere tanquam a Causa efficiente per emanationem.

Quar-

Quarta Ratio satis eneruatur respõsione præmissa; Nihilominus animaduertendum est, ad magis diluendam rationẽ, admitti ęquiuocationẽ à nonnullis Philosophis, in consideratione definitionis causæ efficientis ab Aristotele traditæ; Nam non accipit ipse principium motus pro principio durationis, sed pro principio effectiuo eiusdem motus, cùm asserit, causam efficientem esse principium, vnde motus. Et hoc modo, sicut mouens per vnam diem se habet ad motũ vnius diei, quia est causa efficiens totius illius motionis diurnę; Ita mouens ab æterno se habet ad motum æternum, vt est principium effectiuum motus. Cõfirmatur, quoniam fieri, dupliciter accipitur; Vno modo: pro eo, quod est habere esse ab alio effectiue, cum nouitate essendi; atque isto modo, nec motus æternus, nec aliquod æternum potest dici fieri. Contradicunt enim hæc sibi inuicem, Esse æternum, & habere esse ab alio cum nouitate essendi.

Diluitur supradicta responsio, cum explicatione definitionis causæ efficientis ab Arist. tradita.

Alio modo accipitur fieri pro eo, quod est esse ab alio effectiuè, non includendo nouitatem essendi, & iuxta hũc modum Arist. posuit motum ęternum, & Deum causam efficientem. scilicet per emanationem respectu rerum æternarum.

In quinta Ratione expugnanda, oportet diutiùs immorari. Multa enim amplectitur, accurato digna examine; Ideo duas, vel tres Theses, seu Conclusiones pro maiori explicatione constituam.

Sit prima Cõclusio, Omne id, quod habet finem, habet etiam causam efficientem, vt subtiliter probat Heruæus loco superiùs allegato. Nam in eo, quod tendit ad finem, necesse est, vt sit impressa quædam inclinatio, bonitas, & amabilitas, secũdum quam ordinatur ad finem. Illud autem, quod talem imprimit bonitatem, & amabilitatem, est causa efficiens; Cuius causalitas consistit in hoc, quod effectiue mouet, & ordinat suum effectum ad finem, quemadmodum ratio finis consistit in tractatione, & motione metaphorica, qua secundum bonitatem, & appetibilitatem, quam habet in seipso, mouet ordinata à causa efficiente. Obseruandum præterea est ex eodem Heruæo, §. *Secunda autem Conclusio*, Quòd primum agens, & vltimus finis sunt vnum, & idem; Nam inquit ipse; primum agens vel agit amore sui, vt vltimi finis, vel non. Si agit, habetur intentum; si non agit, ergo dependet ab eo, cuius amore agit; Sed primum agẽs eo ipso quod est primum, nõ potest ab alio dependere, igitur agit amore sui ipsius, ergo primum agens, & vltimus finis sunt vnum, & idem.

Omne, quod habet finem, habet etiã Causam efficientẽ.

Primum Agens, & vltimus finis sunt vnum, & idem.

Secunda Conclusio, omne quod sibi derelictum, est non Ens, habet Causam efficientem, sed omne, quod dependet ab alio est huiusmodi, Igitur habet Causam efficientem. Verum cælum, & natura, fatente Aristotele, à Deo dependent; Igitur habent Causam efficiẽtem, Ita vt ipsa posita, ponantur, & illa ablata, auferantur; Quare cælum, & natura non sunt dicẽda entia necessaria simpliciter, sed necessitate, seu æternitate ab æterno motore participata; Etenim solus Deus, ex mente Aristotelis est ens necessarium per se à nullo dependens; cætera verò entia sunt necessaria secundum quid, & dicenda sunt contingentia; Ideò dicuntur ex se, & natura sua contingenter, ad esse, & ad non esse se habere, quia dependent ab illa prima causa, quę priorit ate naturæ preueniens æterna ab ipsa emanantia, illis largita est esse, quod dicitur dependens, & mutuatum à prima causa, atq; æternum, non per se, sed per aliud, nimirum ęternitate à primo motore participata.

Cælum, & natura, ex Arist. non sunt entia necessaria simpliciter, sed secundum quid.

Tertia Conclusio colligitur ex D. Thoma in Quęst. disputatis, quęst. 5. de Potentia, art. 1. scilicet Deum esse causam conseruantem, & efficientem cæli, & Intelligentiarum; Nam quod dependet à Deo, vt à causa conseruante, ab ipso dependet, vt à causa efficiente, quia Nihil aliud est conseruare, quàm continuò efficere, seu producere, sed æterna dependent à Deo, per Aristotelem vt à Causa efficiente, ergo etiam, vt à causa conseruante; Quia, vt docet idem D. Thom. eadem quæst. art. 2. implicat contradictionem, asserere, quòd Deus faciat aliquid, quod ipsius conseruatione non indigeat; Omnis enim effectus à sua causa dependet depẽden-

Quod dependet à Deo, vt à Causa cõseruante, ab ipso etiam dependet, vt à Causa efficiente.

Conseruare est continuò producere.

tia

tia conseruatiua. Et sicut, cessante actione causæ efficientis, quæ agit per motũ, in ipso instanti cessat fieri rerum generatarum; Ita cessante actione agentis vniuersalis, & supremi, nimirum Dei, cessat ipsum esse rerum ab eo productarum. Itaque, vel amoto Deo, per hypothesim impossibilem, vel diuina cessante operatione, omnes res eodem momento in nihilum lapsuras esse, disertissimè docet D. Thomas; Qui pluribus rationibus 2. contra Gent; cap. 15. demonstrat, omnia in esse à Deo dependere; Tùm quia, vt maximè calidum est causa caloris in omnibus calidis; Ita Deus maximè ens est causa omnium Entium; Tum quia, sicut effectus proprij ad causas proprias reducuntur; Ita effectus omnes, vt sunt gradus essendi, rediguntur ad causam vniuersalem, quæ est Deus; Tùm quia, cum ens, quod est suum esse, non possit esse nisi vnum, & hoc ens sit Deus, cætera sunt entia per participationem ab ipso primo ente dependentia, & causata. Concinit huic veritati pronunciatũ Aristotelis 9. Metaph. text. 17. *Si prima non essent, nihil esset profectò*. Quod de Deo interpretantur Piccolomineus lib. 1. de Creat. cap. 4. & Alij.

Cessante diuino concursu, in nihilum omnia ruerent, quia in esse à Deo dependent.

D. Thomas probat, omnia à Deo dependere in esse.

Hisce ita constitutis, facile est omnia demoliri, quæ in quinta ratione fuere constructa; & primum falsum est, quod asseritur ab Alexandro Achillino, Intelligentias seipsas conseruare posse; Quia cum habeant esse participatum à primo ente, & conseruatio sit continuata existentiæ participatio, non possunt absque prima Intelligẽtia conseruari. Præterea falsum est id, quod à Bonamico, & Raguseo prolatum fuit, scilicet Intelligentias secundum suam substantiam esse à se, at secundum propriam operationem ad finem præcipuũ, & primum referri. Etenim, cùm modus operandi sequatur modum essẽdi, & iuxta Arist. axioma, Vnaquæque res sit propter suã operationem 2. de cælo text. 17; si Intelligentiæ secundum operationem, referuntur ad Deum, ergo etiam secundum esse; & hæc est ratio, qua Toletus in lib. 8. Physic. quest. 6. concludit, Intelligentias ita à Deo pendere, vt amoto Deo per impossibile, amitterẽt suum esse. Quod si, remoto Deo, permanerẽt, sequeretur, quòd ad Deum, tanquam ad finem vltimum, nõ referrentur, quia ordinari ad finem dicit essentiam ad ipsum finem ordinatam, & ab ipso dependentem in esse, & conseruari; Quare, cùm Bonamicus, & Raguseus defendãt, Deum, ad mentem Aristotelis, esse tantùm causam finalem, ad quam omnia referuntur, coguntur concedere etiam, quòd excluso, & amoto Deo, omnia ruerent in nihilum, quia huiusmodi operatio, qua res omnes ordinantur ad finem, connotat ipsam essentiam ita ordinatam, & à fine dependentem.

Refelluntur falsæ opiniones Bonamici, & Ragusei, quod Intelligentiæ à se, [illegible] substantiam, sint à [illegible] à Deo, & in esse, & in operari, & conseruari dependeant.

Ratio adducta à Toleto [illegible] confirmatione supradictæ veritatis.

Ad illud verò, quod in quinta ratione affertur de necessitate rerum æternarum, quæ vt entia necessaria nõ dependent ab alio, satis responsum est in superioribus Conclusionibus, nimirum entia æterna ab Aristotele posita, esse necessaria secundum quid, non absolutè, & esse æterna per æternitatem à causa prima agente per emanationem participata, quæ est primum agens, & vltimus finis rerum omnium.

Hæc à nobis hucusq; disputata sternunt viam, & aperiunt aditum, ad demonstrandum, nullam proficisci notitiam de Mundi fine à causalitate Dei, ad mentem Aristotelis. Enimuero, si Deus est tantùm causa finalis, dubio procul potestas destruendi Mundum non est in ipso admittenda, tùm quia destruere importat actionem, quæ propriè, & formaliter non conuenit fini; Tum quia proprium est finis conseruare, fouere, & custodire res, quæ ad ipsum diriguntur: Mundi verò occasus, & destructio pugnat cum rerum custodia, & conseruatione. Itaque si ad aures Aristotelis admittatur [illegible] causalitas in Deo, per modum causæ finalis, non est ambigendum; Deum nullo modò concurrere posse ad rerũ vniuersitatis demolitionem; Concurreret enim, quasi ad destructionem suæ causalitatis, rebus itaque deletis; in hoc Mundi theatro, nõ remaneret amplius in Deo causalitas finalis, propter quam res mundanæ ad ipsum Deum referuntur. Et quamuis, iuxtà doctrinã Theologicam, Deus sit etiam causa finalis destructionis Mundi, quæ cadit in ipsius prouiden-

Causalitati finali in Deo ab Aristotele assertæ repugnat finis Mundi.

dêt iam, imò eiusdem diuinæ prouidentiæ est effectus; attamen spectatur Deus non sub ratione causæ finalis naturalis, sed supernaturalis, excidij, & occasus Mundi. Quoniam verò Aristoteles sub nulla alia ratione, Deum finem rerum omnium constituit, nisi quatenus est finis vltimus rerum naturalium, planè infertur, & necessariò concluditur, Deo, vt causæ finali naturali rerum omnium naturalium, nullam competere vim res ipsas naturales consumendi, & euertendi.

Deus est finis supernaturalis Mundani excidij. At Aristoteles nō cognouit Dūm, nisi vt finem naturalē rerū omnium.

Si verò spectetur Deus, quatenus ex doctrina Aristotelis, est causa non solum finalis, sed etiam efficiens, & dicitur causa agens, per emanationem rerum æternarum, cæli, materiæ primæ, & Intelligentiarum, eo ipso, quòd ista ab Aristotele ponuntur æterna, & dependentia æterna emanatione ab ipso Deo, numquam ex ipsius sententia possunt deficere, numquam destrui, & corrumpi.

Ex sententia Aristotelis; supposito, quod Deus sit causa efficiens rerum æternarū. Mundus non potest deficere.

An autem, & quomodo, supposito Mundi interitu, Deus concurrere debeat cum causis secundis, nimirum cum Angelis, cælestibus corporibus, & elemento ignis, ad efficiendas mutationes in hac rerum vniuersitate, & ad omnia mixta destruenda, non est, vt pluribus hoc loco disputemus, cum hæc releganda sint in Disputationem de igne, qui hæc inferiora in fine Mundi depopulabitur; Sed quantum spectat ad doctrinam Aristotelis, non est ab re perscrutari breuiter, quo modo Deus, ad ipsius Philosophi mentem, supposito Mundi fine, ad eundem concurrere possit interitum.

Sententia fuit nonnullorum, qui asseuerarunt, causas secundas nihil prorsus moliri, & producere, sed Deum solum omnium effectuum esse causam, ipsumq; agere omnia, causis secundis nihil conferentibus. De quorum errore ab ipso refutato mentionem facit D. Thoma 1 part. quæst. 105 art. 5. ad primum. Et in quem errorem lapsi sunt Petrus Alliacensis lib 4. Sententiarum dist. 1. quæst. 1. & Gabriel Biellius 4. pariter Sentent. dist. 2. quæst. 1. & 5.

Examinatur quomodo causa prima, ex sententia Aristotelis, concurrat cum causis secundis.

Error putantium Causas secundas nihil operari.

Cuius erroris falsitas loco citato demonstratur à D. Thom. tum quia sequeretur, quod ignis non calefaceret, sed Deus in igne; tū quia subtraheretur ordo causæ, & causati à rebus creatis; tum quia virtutes operatiuæ frustra essent rebus creatis attributæ, si per eas nihil operarentur, & propria operatione destituerentur, cum omnes res, vt aliàs ex Aristotele adnotauimus, sint propter suam operationem. Sed quemadmodū falsissimum est, Deum immediatè omnia operari sine causis secundis, ita prorsus à veritate aliena æstimanda est sententia Durandi in 2. Sentent. dist. 1. quæst. 5 qui putat, solas causas secundas per se effectus suos producere, neq; aliter cum ipsis Deum ad illos effectus edendos concurrere, quàm conseruando illam vim, & virtutem, quàm ab initio causis secundis est impartitus; Sed falsitas huiusce sententiæ satis ostenditur rationibus à D. Thom. allatis, in art. citato, quo loco probat, Deum in omnibus intime operari; Quoniam cùm agentia sint inter se ordinata, semper secundum agens agit in virtute primi agentis, primumq; agens mouet secundum ad agendū, ideò non sat est, quòd Deus præstiterit causis secundis formā, secundum quam operantur, sed necesse est, vt in quacumq; ipsarum operatione, idem Deus concurrat cum actione causarum secundarum, adeò vt vna, & eadem actio procedat à primo, & à secundo agente, vt docet idem Angelicus Doctor eodem art. in respons. ad 2. Quare constantissima est assertio, Philosophorum, & Theologorum comprobata consensu, primā causam, tanquam causam vniuersalem, cum omnibus causarum secundarum operationibus concurrere. Dissentiunt quidem Theologi inter se, numquid Deus vim suam imprimat in causis secundis, an potius in eo, quod efficitur, & si in causis secundis, quærunt an ipsis tribuat virtutem, qua complentur, & aptè constituuntur ad sua munia obeunda, an verò tribuat actum, siue motum, quo ipsæmet ad sua opera exequenda excitantur? Si verò imprimit suam virtutem in eo, quod efficitur, cōtrouersantur etiam, numquid eius actio sit diuersa ab actione causæ secundæ; an huius, & illius sit vna, eademq; actio, quæ quatenus existit ex

Rationes eumdem errorem ostendentes.

Opinio falsa Durandi putantis causas secundas solas per se effectus producere.

Prima causa cōcurrit cū omnibus causarum operationibus.

Cōtrouersia inter Theologos de modo, quo Deus concurrit cum causis secundis ad operandum.

cau-

causa prima, vocatur generalis primæ causæ influxus, & quatenus ex causa secunda procedit, influxus secũdæ causæ particularis nuncupatur; De quibus modis causandi,& rationibus concursus ipsius Dei, non est hic locus disputandi. Hi tamen modi a nobis indicati consoni sunt Theologorum communi proloquio, Deum agere cum omni agente creato, immediatione virtutis, & suppositi; Verùm quoniam hoc pronunciatum supponit, Deum vbique esse, per essentiam, præsentiam, & potentiam, vt Theologi loquuntur, in discrimen vocari potest, an Dei concursus hoc modo explicatus, sit Aristotelicæ doctrinæ cõsentaneus; Quæ disquisitio petit quæstionem illã à Pilosophis in 8. lib. Physic. exagitatam, an Deus secundum Aristotelem sit vbique; Etenim, cùm ipsa causa prima, primusq; motor positus fuerit ab eodem Aristotele in circumferentia cæli 8. Physic. textu 48. & 1. de Cælo textu 22. affirmet, Antiquos in hoc conuenire, vt Deus sit in cælo, arripuit hinc occasionem Auerroes disput. 14. Metaph dubio vltimo impiè pronunciandi, puerile effatum esse dicere Deum vbique, & omnem rem tangere; Attamẽ contraria est sententia summorum Peripateticorum existimantium, Aristotelem Deum vbique esse, cognouisse; Alexandri nimirum Aphrodis. 2. de Anima cap. 23. Simplicij in 8. Physic. in textum 84. Themistij in paraph. 12. Metaph. Philoponi in primum de Anima textu 4. D. Thomæ in 8. Physic. in text. 84. Et hoc idem ex sententia Aristotelis alij præstantissimi Philosophi tuentur, vt Steuchus Eugubinus 4. de perenni Philosophia cap. 7. Marsilius Ficinus lib. 2. de Theologia Platonis cap. 6. & 7. Quare dictum Aristotelis supra allatum, de existentia Dei in circumferentia cæli, exponendum est, cum D. Thoma, quod ibi existit, non per determinationem suæ substantiæ, sed per efficaciam motus, qui maximè ibi viget, & quia eminentiori quodam modo, in illo primo mobili apparet Motor, participans primum motum eidem mobili.

Deus agit cum omni agente creato, immediatione virtutis, & suppositi.

Quæritur, an Deus, secundum Aristotelis doctrinam, sit vbiq;

Peripateticorum meliorum sententia est, Deum vbique esse, contra Auerrois interpretationem.

Exponitur dictum Aristotelis de existentia primæ causæ in circumferentia cæli, scilicet nõ per determinationẽ substantiæ, sed per efficaciam motus.

Itaq; ex dictis colligitur, quòd si Aristoteles finem Mundi cognouisset, dubio procul ipsi quoque compertum fuisset, finem Mundi à causis secundis, cum immediato Dei concursu ipsas concomitante, efficiendum fuisse; sed quoniã à causalitate diuina, ad mentem Philosophi, nulla proficiscitur cognitio de Mundi interitu, remanet disquirẽdum, an Aristoteles diuinã cognouerit creationem; Ita vt, ex cognitione creationis, quæ productio est rei ex nihilo, notitia assequi potuisset, rerum vniuersitatem ad nihilum quoque redigendam esse.

CAPVT QVINTVM.

Creationis definitio, & distinctio explicatur. Creatio cum nouitate essendi non fuit comperta Aristoteli, quia naturæ lumine comprehendi non potest. Reprehenditur Piccolomineus. Duo insignia Aristotelis loca explicantur. Improbatur expositio Gianninij. Admittitur ab Aristotele creatio sine nouitate essendi, ipsaq; declaratur. Ex dictis infertur, Aristotelem finem Mundi non cognouisse.

Definitio creationis examinatur.

Dvplex creatio ab vniuersa Theologorum schola constituitur. Altera, quæ dicitur cum nouitate essendi; Altera verò sine nouitate essendi, & simplex emanatio à causa efficiente nuncupatur. Vtriq; tamen, secundùm diuersas acceptiones, competit definitio creationis, quæ est productio rei ex nihilo. Quamuis enim D. Thomas 2. Sentent. dist. 1. quæst. 2. asserat, creare, esse producere rem in esse, secundum totam suam substãtiam,

& similiter Scotus 2. Sētent. dist. prima, qua st. 5 definiat creationem productionem totius creati in esse, non presupposita aliqua eius parte; tamen hæ descriptiones in hanc vnā coincidunt, & perstringuntur, tanquam in æquipollentem, & eumdem continentem sensum, quod sit productio ētis ex nihilo. Hinc allatas à D. Thoma, & Scoto definitiones iniustè reprehēdit Piccolomineus lib. 1. de creatione cap. primo, quia conueniāt etiam generationi, in qua forma ita producitur, vt nihil sui esse antecesserit; Nam formæ dicuntur habere inchoationem in materia, & aliquid ipsarum dicitur præexistere, quia præcedit subiectum, & materia, ex qua educuntur. Quod non euenit in creatione, in qua creabile nullam supponit materiam, seu potentiam, nisi potestatem illam non repugnantiæ, quam obiectiuam appellant. Ex quo patet, creationem propriè dici non posse mutationem, nec motum, quoniam motus est actus imperfectus tendēs ad perfectionem acquirendam, & mutatio denotat transitum ex vno in aliud. Creatio verò, neque est via ad perfectionem, sed in se totam rei creatæ perfectionem includit; Nec ratio viæ illi competit, quæ connotat tempus, cùm ipsa fiat in instanti; Neq; est transitus de vno esse ad aliud esse, siue à potētia reali ad actum, vel à re, quę prius habuerit esse in materia, & postea sub forma, sed res per creationem primò recipit totum esse, transiens non à priuatione, vt euenit in mutatione, & motu, sed à negatione ad esse reale. Quomodo autem creatio non sit mutatio, latè prosequitur D. Thomas in Quæst. disput. quest. de creatione.

Male Piccolomineus ex tendit definitionē creationis ad generationem.

Hisce præhabitis, dico primò, Arist. nullam habuisse cognitionem de creatione cum nouitate essēdi, quæ est productio illius entis, quod antea nullum habebat esse, & secundum quām creationem nostra christiana fides, & Theologica doctrina docet, hanc rerum vniuersitatem à Creatore Deo ex nihilo fuisse productam. Hanc, inquam, creationem Aristoteli prorsus ignotam fuisse, antiquiores Peripateticæ doctrinæ expositores vna manu tradiderunt. Auerroes, Simplicius, Philoponus; Inter quos etiam enumerantur Iandunus lib. 2 Metaph. quæst. 5. Henricus Quodlibet. 8. quæst. 9. eamq; Arist. ignorasse, pluribus demonstrat Card. Bessario aduersus Calumn Platonis lib. 2. cap 6 & lib 3. cap 13.

Arist non cognouit creationē cum nouitate essendi.

Inter recentiores autem, duo, vel tres potissimùm Authores, quos viderim, existimarunt, Aristotelem hanc creationem cum nouitate essendi compertam habuisse. Suarez Disput. 20. Metaph. sect. prima, in qua cùm primum attulerit rationes suadentes, Philosophum ignorasse creationem, dein sub. num. 6. putat, verisimiliorem esse sententiam, ipsum ex guam de hac re cognitionem habuisse; ideoq; perpauca de hac efficientia creandi tractasse; Et Suarez opinioni adstipulatur, Raphael Auersa tom. 2. suæ Philosophiæ quæst. 31 sect. 6. de creatione Mūdi §. quarto,

Opinio Suarez, & Auersa quod Arist. cognouerit Creationē cum nouitate essendi.

Verum, vt ingenuè fatear, hæc creatio, iuxta Aristotelis doctrinam, non est admittenda, cùm omnia Peripatetica labefactet, & euertat fundamenta, omnesq; Arist. doctrinę artus, & neruos elidat; Tum, quia repugnat vulgato axiomati ab Aristotele vsurpato, quod ex nihilo nihil fit; Repugnat materiæ, vt sic dixerim, ingenerabilitati, quam primo Physicorum demonstrat; Aduersatur motus, & Mundi æternitati, quam pluribus rationibus lib. 1. de cælo, & 8. dē Physic. Auditu demonstrat; Tum quia ex Peripatetica doctrina, nullum est agens, ad quod patiens aliquod non assignetur, imo potestas agendi, & patiendi ita sunt inter se connexæ, vt altera ab altera nequeat separari; Cum vero in creatione agens sit absq; patiente, creatio neque propriè est actio, neque mutatio, ideoq; Arist. prorsus ignota.

Rationibus ab Arist. petitis demōstratur ipsi ignotam fuisse creationem cū nouitate essendi.

Scio, Piccolomineum lib. primo de creatione cap. 6. multas afferre rationes, ad probandum creationem Aristotelicæ doctrinę reluctari, quas omnes non admitto, vt illam petitā à Dei ignoratione rerum particularium, & à necessaria ipsius operatione; supra enim à nobis demonstratum est, Deum habere cognitionem rerum omnium, & liberè operari. Neq; etiam admitto rationem depromptam à negatione potentiæ infinu-

Refelluntur, tanquam inualidæ, rationes Piccolominei, quibus probat creationem Arist doctrinæ repugnare.

finitæ in Deo, quoniam satis, superq; ostendimus ipsimet Deo conuenire, ex mente Aristotelis, infinitam virtutem vigoris, & mouēdi intensiuè. Sed quamuis Aristoteli cognitum fuerit hoc antecedens, scilicet, Deum esse virtute infinita præditum, non tamen necessariò debebat cognoscere omnes consequentias ab hoc antecedente emanantes, inter quas hæc est potissima, quòd Deus sit creator creatione cum nouitate essēdi; Etenim esto, quod creatio, supposita virtute infinita Dei, innato naturæ lumine, absq; diuino afflatu cognosci queat, ex sententia Conimbric. quęst. 2. in 8 Physic. & Suarez Disputat. allegata sect. 4 Quod tamen in hac Quęstione nos inficiabimur ad mentem D Thomæ; Non propterea potuit Arist. cognoscere hanc conclusionem deductam ex virtute infinita Dei, quod nimirùm ipse sit creator cum nouitate essendi. Non solum, quia talis conclusio ipsius principijs penitus repugnabat, sed etiam, quia considerauit Deum, vt primum mouens, & agens naturale, non verò, vt agens supernaturale, qualis in creando est ipsemet Deus.

Quamuis Arist. cognouerit Deum habere infinitam potētiam, non tamen cognouit, ipsum esse Creatorē.

Illi autem, qui Aristotelem adducere conati sunt, ad probandam, & cognoscendam creationem, de qua loquimur, adhibuerunt potissimùm duo Aristotelis testimonia, quę à nobis non sunt prætermittenda.

Primum est, ex 9. Metaph. cap. 1 vbi tradidit, *Actum, & Potestatem latius patere, quàm eam quibus est motus.* Ex quo colligunt, Aristotelem cognouisse actionem, & potentiam actiuam absq; motu, Cum verò vtrumq; in creatione appareat, inferunt ipsi, creationem perspectam habuisse. Qui verba Aristotelis attētè considerabit, Philosophi consilium esse eo loco cognoscet, docere potestatem, & actum reperiri, non solum in ijs, quæ mouent, & mouentur, sed etiam in ijs, in quibus non est motus, vt sunt visio, & actus intelligendi; Quę functiones non sunt motus, & tamen in his est potentia, & actus. Quare ille locus nullam de creatione ingerit cognitionem. Alterum verò testimonium habetur lib. 2. de Generat. Anim cap 3. in quo scripta sunt hæc verba *Restat igitur, vt mens sola extrinsecus accedat, eaq; sola diuina sit, nihil enim cum eius actione communicat actio corporalis.* Quæ verba exponentes illi, qui creationem Aristoteli cognitam fuisse opinantur, asserunt ipsu mentis nomine mentis intelligere animam rationalem, quæ catenus dicitur extrinsecus accedere, quia vnà cum cæteris formis non educitur ex potentia materiæ, sed à Deo creatur, & in corpore infunditur. Ex quo inferunt ipsi, patere notitiam de creatione ab ipso Aristotele habitam Propterea operæ pretium est hæc Aristotelis verba accurato examine explicare.

Considerātur testimonia Aristotelis perperam adducta pro creatione ab ipso cognita.

Arist. verba difficilia explicantur, de mente humana extrinsecus accedente.

Occurrit primò interpretatio Auerrois accipientis hæc verba, non per modum asseuerantis, sed potius ambigentis, adeò vt sensus ipsorum sit, cum non omnes animæ possint extrinsecus accedere, restat vt si aliquod principiū nobis extrinsecus contingit id esse solam mentem, atq; hanc solam diuinam esse. Quare cùm ex Auerrois interpretatione, dubiosè potius, quam assertiuè loquatur Aristoteles, non est hinc deducēdum, ipsum admisisse rationalis animæ creationem

Subsequitur expositio Alexandri, nomine mentis interpretantis mente effectricem, seu intellectum agentem, cuius munus est, deducere intellectum patientem, seu possibilem de potestate ad actum, & illustrare phantasmata, iuxta ea, quæ docentur ab Aristotele lib. 3. de Anima cap. 3. text. 17. Hanc interpretationem, consonam esse verbis Aristotelis ex multis conijci potest. Primò, cùm antea dixisset animam sensualem, qua animal est animal, & rationalem, qua homo est homo, tempore procedēte recipi, quia non simul animal fit, & homo, subiungit: *Quamobrem de mente etiam quo nam tempore, & quo modo, & vnde eam recipiant, quæ principiū id participant, plurimum dubitatur.* Quibus verbis Aristoteles seiungit mentem ab anima rationali. Secundò, cùm Aristoteles dixerit, mentem extrinsecus accedere, quoniam cum huius actione non communicat corpus, continuò ita subiungit. *Sed omnis anima, siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur.* Igitur separat animam rationalē a Mēte,

Alexander exponit verba Arist. de mēte effectrice, seu Intellectu agente, & Alex. interpretatio rectè ex Arist. discursu deducitur

te, quod magis confirmatur, quia actus intelligendi, quæ est actio propria animæ rationalis, fit cum sensu, aut per sensum, ex Aristotele lib. 3. de Anima text. 39. Propterea fieri non potest vt cum ea non communicet actio corporalis. Quamobrem, cùm duæ sint mentes in Aristotelica doctrina satis celebres, nimirum mens patiens, quæ materialis appellatur, cuius est omnia fieri, & altera mens efficiens, cuius est omnia facere, iure meritò Alexander lib. 2. de Anima scripsit, mentem, de qua hoc loco Aristoteles attestatur extrinsecus accedere, esse mentem effectricem, scilicet Deum ipsum, De qua etiam mente lib. 3. de Anima, text. 19. pronunciatum fuit, ipsam esse separabilem, immixtam, impatibilem, solamq; immortalem, atque perpetuam. Itaq; non rectè interpretantur Aristotelem illi, qui ex verbis supra allatis inferunt, creationem eidem Aristoteli compertam fuisse.

Ex verbis Arist. de mente extrinsecus accedente non colligitur creatio.

Ideò satis mirari nequeo, Thomam Gianninium in Lyceo exercitatissimum lib. de mentis humanæ statu post hominis obitum cap. 45. tradidisse Aristotelē non ignorasse, quædam fieri posse absq; motu, & mutatione, & præsertim animam humanam, ex ipsius sententia, creari. Quo loco inter cætera adducit testimonium Aristotelis sect. 30. Problematum problem. 4. vbi quærit, *Cur Seniores amplius mente valeamus, & Iuniores ocyus discamus*, & affert rationem per similitudinem deductā a manu, quæ est instrumentum corporis; quæ manus nō statim ac nata est, acquirit perfectionem instrumenti, sed progressu temporis. Ita mens, quæ est instrumentum animi, progressu temporis perfectione adipiscitur. Non video autem, vnde eliciat Gianninius, quod Aristoteles perspicuè agnoscat Deum tāquam animæ, mentisq; nostræ genitorem. Etenim ea verba, *Quia Natura, parens, & Author omnium, instrumenta nobis duo inseruit*, non indicant Deum creasse animam, & mentem, sed potius mentem esse opus naturæ, quod colligitur ex sequentibus verbis, *Omnes scientia, artesq; nostra opera sunt, mentem ipsam esse opus natura fatendum est.* Vbi sensus Aristotelis est accipere mentem, non pro anima rationali, secundùm suam substantiam, & vt est pars quidditatiua ipsius hominis, sed nomine mentis intelligit perfectionem intellectus, & actus perfectos ipsius mentis humanæ, qui progressu temporis, & præsertim, homine senescente, acquiruntur; Nam quemadmodum iuuenes velociùs discunt, tùm propter feruorem, & æstum spiritus, tùm quia eorum Intellectus nulla adhuc forma est imbutus; ita mens, idest perfectio intellectus, habitu scientifico exornati, ingrauescente ætate, magis acquiritur. Propterea asserit, mentem esse opus naturæ, quatenus natura, per annorum spatia decurrens in homine, quoad intellectum, perficitur, vti etiam manus instrumentum corporis, tractu temporis, in corpore ipso, magis ad operationes exercendas adaptatur, & perficitur.

Reprobatur Gianniny interpretatio verborum Arist. ex quibus ineptè colligit creationem.

Consonum est huic interpretationi Aristotelis pronunciatum lib. 7. Politicorum cap. 15. vbi hæc habet. *Vt autem Corpus in generatione antecedit animam; sic pars irrationalis antecedit eam partem, quæ habet rationem. Patet id in pueris, quibus statim ira, & voluntas, & concupiscentia extitit; At ratio, & mens, procedente ætate, in illis fieri nata sunt.* Ex quibus constat, nomine mentis, intelligi perfectionem illam scientiæ, seu prudentię, quæ progrediente ætate comparatur. Cum igitur Aristoteles loquatur de mente, quæ progressu temporis hominē ipsum quodammodo subsequitur, non est exponendus, quòd per mentem intelligat animam rationalem, formam hominis, vt loco citato interpretatus est Gianninius; quoniam forma numquam vel præcedit, vel subsequitur illud, cuius est forma, sed eodem tempore est cum illo, cuius dicitur forma, ex Aristotele lib. 12 Metaph text. 16. Itaq; satis arbitror demonstratum, ex nullo Aristotelis testimonio colligi posse notitiā ab ipso habitam de creatione, idest de prima ipsius specie, quæ dicitur creatio cum nouitate essendi.

Exponūtur verba Arist. quæ confirmāt per mentē intelligi perfectionem mētis, & non formā hominis.

Verùm, quemadmodum compertissimū est, ipsum hoc primum membrum creationis à nobis supra distinctę non agnouisse; Ita ipsius doctrinæ maximè congruum est asserere, ab eodem cognitam fuisse admissam, & approbatam secundam

Aristoteles cognouit creationem, sine necessitate essendi.

dam creationis speciem, quæ dicitur creatio sine nouitate essendi, aut simplex emanatio æterna totius Vniuersitatis à Deo, primo rerum omnium Authore, & causa efficiente; & quamuis Alexander, & alij id omninò inficientur; tamen Ammonius, Simplicius, & omnes fermè Latini id admittunt; Imò ipsimet Arabes, excepto Auerroe, de cuius sententia est lis inter Asseclas. Propterea Zimara in Quæst. de triplici Causa distinguit duplex agens. Alterum rerum, & formale, quod agit per motum, & definitur 2. Physic. text. 29. Alterum minus propriè, & per similitudinem, & dicitur agens per emanationem; quòd scilicet eius actio non sit verè, & formaliter actio, sed habeat similitudinem cum actione. Tale agens dicitur Sol respectu illuminationis, quæ ab ipso effunditur. Et quemadmodum si fuisset Sol ab æterno, semper lumen effluxisset à Sole; si pes in arena fuisset ab æterno, semper vestigium æternum hæsisset arenæ; Ita ab æterno rerum Vniuersitas, ex Aristotele, emanauit à Deo; cui emanationi conuenit definitio creationis, quæ est productio rei ex nihilo. Etenim, vt animaduertit Scotus 2. Sent. dist. 1. quæst. 2. Non esse, natura præcedere esse, intelligitur dupliciter, nempè positiuè, & priuatiuè. Positiuè non esse præcedit natura esse, quando aliquod ens in aliquo instanti naturæ positiuo habet non esse, & in alio instanti habet esse, scilicet in instanti, in quo fit; Priuatiuè autem non esse præcedit natura esse, quando aliquid in quocumque instanti naturæ habet esse, Tamen si aliud ens non esset, à quo ipsum essentialiter dependet, ipsum quoque non esset, & hoc pacto res emanans est creata à Deo ab æterno, sine nouitate essendi, in se considerata, & sibi relicta nihil est; & ipsi naturaliter inest primùm nihil, quàm Ens. Hinc, quando dicitur, creatura facta est post nihilum, hoc aduerbium, Post, dicit ordinem absolutè, sed duplex est ordo, alter durationis, alter naturæ. Non est necesse, vt creatura dicatur facta post nihilum, quod ipsa prius duratione fuerit nihil, & postea aliquid fuerit; sed sufficit, si priùs natura sit nihil, quàm Ens, eo prorsus modo, quo res æternæ ita dependent, & emanant à Deo, vt si Deus non esset, ipsæ non essent, & si non emanarent, non haberent esse. Ideò ex se ipsis nihil sunt, cùm totum esse, quod habent, hauriant participatum à Deo.

Zimara distinguit duplex agens, alterum agēs per motū, alterum per emanationē.

Creationi sine nouitate essendi, conuenire definitionem creationis, scilicet productio rei ex nihilo, declarat egregiè Scotus.

Hanc verò creationem, seu emanationem æternam ita explicatam, Aristoteli compertam fuisse, non est quod aliqui inficientur; Nam cùm ipse 12. Metaph. text. 38. clarissimè asserat, Deum esse principiūm, à quo cælum, & natura dependet, & emanatio æterna nihil aliud sit, quàm talis à Deo depēdentia, planè conficitur Aristotelem prorsus approbare hanc sine nouitate essendi creationem. Confirmatur ex cōmuni Theologorum placito, qui loquentes de creatura à Deo producta cum nouitate essendi, vnanimi affirmant cōsensu, quod creatio solum superaddit ex parte Dei relationem rationis, ex parte autē creaturæ relationem realem, quæ à fundamento solum ratione, & formaliter distinguitur, vt tradunt Scotus in 2. dist. prima quæst. 4. Durādus ibidem quęst. 2 Vasquez in 1. partē Disp. 173. quęst. 55. cap. 3. Valentia in 1. partem Disp. 3. quæst. 2. puncto 1. Hæc enim relatio nil aliud est, quàm ratio dependentiæ rei creatæ à Deo. Hæc autem ratio essendi, & dependendi ab ipsomet Deo, est intrinseca entitas creaturæ. Neq; hæc dependētia, vt aliqui putarunt, est modus à creatura distinctus, sicut inhærere est modus ab essentia accidentis distinctus, Etenim causa, ob quam inhærentia in accidente, est modus ab ipsius essentia distinctus, est, quia habemus argumentum, quo vnum ab altero separatur, cùm per diuinam potentiā existat accidens, absq; inhærentia in Sanctissimo Sacramento Eucharistiæ. Verùm, cùm impossibile sit, quòd res creata existat, & actualiter à Deo non depēdeat, sit, vt hæc relatio transcendentalis creaturæ ad Deum solum ratione, vel formaliter ab ipsa creatura distinguatur, & sit etiam, vt dependentia à Deo sit intrinseca entitas creaturæ. Quamobrem cum Aristoteles hanc agnouerit dependentiam, fateamur necesse est cognouisse etiam creationem, sine nouitate essendi:

Testimonium Aristotelis de creatione, sine nouitate essendi.

Creatio dicit relationem rationis ex parte rei, & ex parte creaturæ, relationē realem.

Authores supradictam doctrinam confirmantes.

Magis est intrinseca depēdētia rei creatæ à Deo, quā inhærentia accidēti, & affertur ratio.

His

Si Arist. non cooperta fuit creatio, cum nouitate essendi, nec etiam notum fuit res per subtractionē diuini cōcursus posse desinere.

His ita constitutis, colligitur euidentissima Conclusio, scilicet, eumdem Aristotelem nullam de fine Mundi cognitionē habuisse. Cùm enim eiusdem sit potestatis creare ex nihilo, prima specie creationis, & rem annihilare, seu ad nihilum rem ipsam redigere, primo ignorato, ignoratur & alterum. Praeterea verum est, quòd cum annihilatio, vt docet D. Thomas 3. parte quaest. 13. art 2. sit suspensio concursus creatiui, seu conseruatiui, cùm Aristoteles concursum Dei cum causis secundis aeternum posuerit, non potuit admittere talis concursus suspensionem, ita vt aliquando, dempto concursu, res desinant esse.

Sed aliquis fortasse vrgebit Aristotelem quòd finem Mundi cognoscere debuisset, cùm creatio ab homine solis naturae viribus, absq; diuino lumine comprehendi possit, qua creatione cognita, facilè etiam finis Mundi innotescit. Quare si homo naturaliter hanc cognitionem assequi potest, maximo vitio, & defectui verti debet Aristoteli, quòd rem tanti ponderis ignorauerit, ex qua poterat interitum Mundi deducere. Hanc sententiam quod creatio solo naturae ductu cognoscatur pugnaciter tuentur Conimbricen. in 8. Physic. cap 2. quaest. 2. art. 1. & in suum praesidium multos adducūt Sanctos Patres, nimirum Augustinum, Athanasium, Theodoretum, Dionysium, Damascenum, Gregoriū Nyssenum, Originem, & D Thomam. Cui sententiae adstipulatur Pererius lib. 5. de principijs rerum naturalium cap. 7.

Controuersia, an creatio lumine naturae cognoscatur, & Authores & rationes pro parte affirmatiua

Fundamenta praecipua sunt, quia infinita virtus vigoris in Deo, lumine naturali nobis innotescit; Igitur eo ipso quod est infinita, non est eius actio alligata materiae, & consequenter potest absq; materia producere, quod est creare. Accedit, quòd modus agendi sequitur rei essentiam; Propterea, cùm essentia diuina ab omni re independens lumine naturali cognoscatur; sequitur ipsius actionem ab omni subiecto independentem nihil aliud esse, quam creationem.

Quibus non obstantibus, illi adhęreo sententiae, quae inficiatur, creationem cum nouitate essendi neutiquam ab homine solo natiuo ingenij lumine perspici posse. Atq; haec est doctrina D. Thomae 1 parte quaest. 46. art. 2. vbi docet, creationem sola fide esse tenendam, nec demonstratiuè probari posse; Quod antea dixerat de mysterio sanctissimae Trinitatis, & non approbat, rationes probabiles adducendas esse ad creationem insinuandam, ne praebeatur materia nos deridendi Infidelibus, quod videlicet fidei assensum praebeamus ijs quae tantùm probabiliter ostēduntur. Ratio verò potissima, qua haec fulcitur Conclusio, deducta est ex modo naturali humanae cognitionis, quae, cùm ortum ducat à sensu, adeò vt nihil sit in intellectu, quod prius non fuerit sensu perceptum, cùm nihil, terminus à quo creationis, nullo queat attingi sensu, neque potest humana cognitio naturaliter trāsitum à nihilo ad esse percipere. Quamobrem, vt doctissimè animaduertit D. Thomas 2. Sentent dist. 1. Quaest. prima art. 2. in corp. & paulò ante fuit à nobis indicatum: Res creata dupliciter potest considerari, vel ita, vt naturaliter prius habeat non esse, quàm esse, vel ita, vt etiam duratione res creata prius non esse, quam esse habeat, & dicatur esse ex nihilo, quia in tempore creatur. Si primo modo sumatur, concedit D. Thomas, creationem posse demonstrari, atq; hoc modo Philosophos creationem posuisse. Si autem secundo modo accipiatur, asserit, creationem demonstrari nō posse, neq; à Philosophis concedi, sed per fidem supponi. Ideò mirandum est, Conimbric. adducētes pro sua sententia testimonium D. Thomae loco citato, ipsum accuratè non considerasse, cum potius ipsorum officiat, quam suffragetur opinioni.

Recipitur sententia D. Thomae docentis creationem cū nouitate essendi, sola fide cognosci posse, & ratio validissima affertur.

Neque vllam ingerunt difficultatem aduersantis sententiae praesidia a Dei infinitate, & independentia desumpta; Namquamuis humanum ingenium, solo praeambula naturae face, ad infinitatem, & independentiam in Deo agnoscendam peruenire queat, non tamen percipere potest naturaliter omnes effectus, omnes consequentias, quę ex positione infinitatis, & independentiae diuinae proficiscuntur, maximè, si humanum

Licet intellectus humanus naturaliter cognoscat Dei infinitam virtutem, non tamē cognoscit naturaliter creationem.

manum longè saperent captum, & excedant, vt est doctrina de creatione Mundi à Theologis tradita, & à Philosophis ignorata.

Obijcies antiquos Philosophos, referēte Iustino Martyre in sua Parenæsi, August. lib. 11. de Ciuit. Dei cap. 4. Lactantio lib. 7. cap. 3. August. Steuco lib. 7. perennis Philos. cap. 3. & 4. creationē cognouisse. Quare si creatio Philosophis comperta fuit, cur ab Aristotele omniū Philosophorum facilè principe, de rebus omnibus tū naturalibus, tum diuinis summam profitente sapientiam fuit neglecta?

Exponuntur dicta antiquorū Philosophorū, de emanatione æterna rerum à Deo, non de creatione, cū nouitate essendi.

Ad elidendos huius obiectionis neruos, obseruandum est cum D. Thoma loco supracitato, antiquos Philosophos admisisse illam creationem, quæ etiam Arist. probata fuit, scilicet productionem rerum ex nihilo, sine nouitate essendi, vel dicendum est Philosophorum opinionem fuisse, Mundum per creationem non incæpisse, sed per generationem, & motum genitum fuisse, iuxta quem sensū loquitur Aristoteles 1. de Cælo, text. 102. cum ait; *Omnes quidem Mundum generant*, & contra ipsos præsertim disputationem instituit lib. 1. de Cælo, & lib. 8 Physic. contendens demonstrare, Mundum non fuisse factum, neq; per motum incæpisse. Ideo priscorum Philosophorum opinio de Mundi creatione vtroque modo est interpretanda.

Cōficitur ex dictis ratio probās, Arist. non cognouisse Mundi occasū.

Ex dictis hæc argumentatio confici potest, ad demonstrandum Aristotelem nullam de Mundi fine obtinuisse notitiam. Creatio cum nouitate essendi dicit productionem rerum ex nihilo, quæ antea non habebant esse, & postea incæperunt esse. Ideò, qui hanc rerum ex nihilo productionem cognoscit, potest etiam facilè cognoscere, res ad illud nihilum posse redigi, ex quo fuerunt productæ. Sed Aristoteles non cognouit hanc creationem cum nouitate essēdi, vt fusè demonstrauimus, Igitur neque cognouit regressum ipsarum rerum in nihilum, qualis regressus continget in fine Mundi, dum species rerum omnium materialium, præter species cælorum, elementorum, & hominum destruentur. Creatio verò sine nouitate essendi, quæ fuit eidem Aristoteli comperta, nullam ingerit de Mundi occasu notitiam, quoniam cùm hæc supponat, res creatas ab æterno extitisse dependenter quidem, & emanatas à Deo, supponit etiam res ipsas perpetuo tempore permansuras esse. Itaq; satis arbitror probatum, Aristotelem Mundi interitum, & excidium, iuxta ipsius principia, & dogmata, admittere nequaquam posse.

Explicatur Deū, res nō annihilare, sed Authorē vulgari loquēdi modo, & pro maiori explicatione, aliquādo vsurpasse vocem nihili & annihilationis.


Illud autem in fine huius quęstionis admonendum est, quòd quamuis pluries mentio facta sit de rerum inferiorū annihilatione, tamen verè, & propriè annihilatio non est appellanda Mundi huius inferioris destructio, Etenim, quāuis Deus sua omnipotenti virtute creaturas omnes in nihilum redigere possit, nihil tamen vnquam annihilat Deus. Vnde Ecclesiast. 3. dicitur. *Didici, quod omnia opera, quæ fecit Deus, perseuerant in æternum*. Quæ verba explicans D. Th. 1. part. quæst. 65. art. 1. ad primum docet, ideò vera esse, quia Deus nihil annihilat, & quæst. 104. art. 4. disertè probat, quod Deus nihil omninò in nihilum redigit, & S. Augustin. lib. 83. Quæstionum quæst. 9 ait, Deum non esse authorem tendendi in non esse. Idē docet Caietan. 3 p. quæst 8. art 1 & q. 62. art. 1. Quare quamuis Mundus iste, quoad creaturas corruptibiles, destruēdus sit, annihilandus tamen dici non debet. Hæc indicasse volui, vt Lectori compertum sit, me aliquando vsum fuisse, & vsurum nomine nihili, cum re vera non intelligam propriè annihilationem, sed rerum excidium, & destructionem; Atq; tandem huic Aristotelicæ Disputationi finem imponamus, & Stoicam aggrediamur.



Tra-



TRACTATVS DE FINE MVNDI.



INTRODVCTIO

Ad Stoicam Disputationem.



IN Platonica commoratus sum Academiam; Per Lyceum Aristotelis ambulaui, nunc hæreo in porticu Stoica. Mei, o Lector, cape consilij rationem. Plures fuere sectæ, & quasi philosophantium semitæ, in quibus plurimi sapientiæ cultores, nullo obliteranda æuo vestigia presserunt, sed tamen cæteris iam palmam cedentibus, Tres de fastigio, & principatu humanæ doctrinæ strenuissimè inter se contendunt; Platonica nimirum, Peripatetica, & Stoica, Etenim Epicureorum familiã, ætate æqualem Stoicæ, immodica voluptas iugulauit, vno superstite Lucretio, Romano genere, & Poetica laude clarissimo, qui totã Epicuri Physiologiam Latinis versibus decantauit. Cynismus verò, quem ipse Diogenes, Cynicus à Cane dictus, nimium momordit, & dilacerauit, in eiusdem sepulchro iacet, tumulatus; Et quamuis Cynicæ, & Stoicæ sectæ dogmata ferè conueniant, tamen à Stoicis omninò ablegantur sordes, eaque expellitur impudẽtia, propter quã, ait Tullius, Cynicorum oratio tota est eijcienda, vt inimica verecundiæ, sine qua nihil rectum esse potest, nihil honestum. *1. de Off.* Quare cùm Platonica, & Aristotelica dogmata de Mundi interitu contẽplatus sim, superest, vt Stoicum de hac ipsa re placitum euoluam, & discutiam. Quod libentiùs aggredior, quia nulla est secta, magis Catholicæ veritati consona (excepto crimine de Fati immutabili necessitate) quàm Stoica; De qua hæc protulit Hieronymus: *Stoici nostro dogmati in plerisq; concordãt.* *In Isaiam cap. 10.* *Nec tantùm concordant*, inquit Lypsius, *sed etiam occultè ad nostrũ dogma, & ad pietatem manuducunt*; *In Manuduct. ad Stoic. Dissert. 17.* Quin narrat idẽ eruditissimus Author, D. Carolum Borromæum Purpureæ dignitatis, & Sanctitatis exemplar, sæpè fassum esse, Epicteti se libris motum, ac monitum ad rerũ humanarum contemptum, & diuinarum amorẽ. Sed ad huius sectæ amplitudinem, vnus sufficit Zeno, ipsius ductor, & Antesignanus, patria Cytticus, idest è Cyttio Cypri oppidulo ad mare ortus, auditor Cratis Thebani, quamuis dicatur etiam Xenocrati, & Polomoni operam dedisse; Qui duorum & viginti erat annorũ, cùm Athenas concessit, vbi annis octo, & quinquaginta scholæ præfuit; Vir cõtinens vita, moribus, sermone, habituq; seuerus, austeritate, & inopia gaudens, quique multa sibi ab Antigono Rege oblata, summa generositate recusauit, vt propterea de ipso defuncto idem Rex proclamauerit: Quale spectaculum perdidi; Si quidẽ in ipso admirabatur Rex ni-

nihil elatum, nihil humile, verborum cum gestibus consonantiam, & semper eiusdem animi tenorem, & æquilibriũ. Tanto viro defuncto, cùm nonaginta & octo duxisset annos, nullo morbo conflictatos, successit in schola Cleanthes, quem maiorum gentium Stoicum Cicero appellat, quiq; adeò inopiam coluit, & adamauit, vt nocte puteos exhauriret, ad quærenda sibi aliméta pro die, quem studijs impendebat. Huic autem subrogatus est Chrysippus, qui Stoicorum porticum humeris suis fulcire dictus est, quãuis ab alijs accusetur, quòd virilem Stoicorũ sapientiam acutis quæstionum spinetis eneruauerit. Volumina propè infinita conscripsit, vnde perbellè Carneades eum parasitum librorum vocabat, quoniam plerosq; libros alienis testimonijs, & sententijs complcuerat; Nullum tamen ex illis, Regi, aut Dynastæ inscripsit, extra ambitionem positus, fructu proprij laboris, & famæ præmio contentus. Panætius Stoicus à Cicerone laudatur, vir in primis cordatus, grauis, & ingenuus, qui familiaritate Africani Scipionis, ac Lælij dignissimus habitus est. Commemorabo etiam Possidonium Stoicum, quem Pompeius ille magnus tanti fecit, vt eius visendi, audiendique causa è Syria rediens, & Rhodum deflectens, lictori vetuerit, ne postes eximij Philosophi fascibus de more percuteret, fasces, inquam, ianuæ submittens strenuissimus ille dux, cui se multæ Oriẽtis, & Occidẽtis oræ submiserant. Huic tandem familiæ ex proceribus Romanis, nomen dederunt viri clarissimi, Cato Vticensis, & Brutus, qui Cæsarem interfecit. Cæterùm non est meum consilium Stoicorum persequi praconia, sed ipsorum doctrinam experiri; Cuius præcipuum munus est, animo erecto omnia mortalia calcare, hominem supra hominem efferre, salutaribus monitis, & medicamentis humanas mentes instruendo; Propterea illud de Stoicis audacter dicam, quod diuina prouidentia, antequam humanati Verbi vero sapientiæ nitore Mundum illuminaret, Stoicæ disciplinæ alumnos præmiserit, vt facem quamdam præambulam cælestis illius luminis prælucerent, & vitiorum tenebras honestissimæ vitæ splendore fugarent. Etenim Deus clariùs illustrat quasdam æthereas mentes solo naturæ, & perfectæ rationis fulgore; Atque vt loquitur Hieronymus; *Est in animis nostris quædam, vt ita dixerim, sanctitas, quæ velutis in arce animi præsidens, exercet boni, maliq; iudicium.* *Ad Demetriad. de Virg.* Hinc damnanda Manichæorum blasphæmia, duplicem Deũ constituentium, alterum bonum, alterũ malum, illum homines ad bonum, hũc ad malum propellentem. Talis in Stoicis viguit ad bona propensio. Nam si Christiana mandat religio, vt affectus, ac passiones, adhibito rationis, & diuinæ legis regimine, cohibeantur, quis ignorat, Stoicos Apathiam induxisse, atque in angustum passiones coarctasse, vt sapientem ipsis carere decreuerint? Mens quidem ipsorum non est, sapientẽ hominẽ ita affectu expoliari, vt nullum sentiat affectum, siquidem hæc habet Seneca in hac familia educatus. *Ep. 61.* *Non educo sapientem ex hominum numero, nec dolores ab illo, sicut ab aliqua rupe nullum sensum admittente, submoueo; Memini ex duabus partibus illum fuisse compositum; Altera est irrationalis, hæc mordetur, vritur, dolet; Altera rationalis, hæc inconcussas opiniones habet, intrepida est, & indomita.* Et alibi idem Author. *Lib. de Ira cap. 16.* *Sentit itaque sapiens suspiciones quasdam, & vmbras affectuum.* Quamobrem Stoica apathia non omnino eradicationem affectuum tollit, sed moderationem eorumdem iniungit. Et quemadmodum christianas mentes supremi Nũminis inflammatas amore, passiones nullo horrore obnubilant, aut labe subijciunt, haud secus Stoica pectora nullis perturbationibus agitantur.

Quid verò dicam de prouidentia diuina, quam nulla alia secta magis Deo adiicit? Vnde fallitur Theophilus Antiochenus Patriarcha, Tertulliano ferè cõpar suo, qui Stoicis affigit, quòd Deum in vniuersitate negant, aut si existat, asserunt eum nullius, quam sui curam gerere, cùm tamen Stoici Deũ vbiq; locẽt, & totum in toto, & totũ in partibus, partiũq; partibus cõstituant. Audi Tertullianũ, magnũ Ecclesiæ lumen, nisi veluti stella è Cælo cecidisset. *Apologet. cap. 47.* *Stoici Deum extra Mundum ita volunt, qui figuli modo torqueat molem hanc, Platonici autem extra*

Mun-

Mundum, instar gubernatoris in naui; Ideò Stoici Deum Mundi mentem vocarunt, ipsumq; omnia videre, curare, & cogitationibus etiam interesse affirmarunt. Quin putant, celeste Numen tam exactam, & singularem de rebus omnibus prouidentiam habere, vt nihil fortuitum approbent, & totum illud ditissimũ fortunæ regnum pessundare, & euertere videantur; Ideo prouidentiæ Diuinæ duas veluti sorores, & gemellas instituunt, Necessitatem scilicet, & Fatum; quam necessitatem in tanto habent pretio, & amore, vt omnia necessariò fieri arbitrentur; Quod quàm falsò, & impiè prolatum sit, & præsertim de fine Mundi, vberrimè demonstrabo. Hæc est densa erroris caligo, in quam Stoicorum oculi incurrunt. Hoc pelagus, & vortex, à quo ipsi abrepti fuerunt. Cum enim de scientia Dei perperam philosophati sint, in hoc Oceano ipsorum cymbula immissa fluctuauit, & demersa est.

Atque vt de conflagratione Mundi aliquid de ipsorum penu iam depromã. Nonnulli ex ipsis consentiunt Mundum per conflagrationem, seu exustionem purgandum esse, & effæta omnia instaurãnda. Atq; vt ego interpretor, de igne fortasse mysticè locuti sunt, nimirum igne Deum indicantes, à quo Mundus destruendus, & expiandus. Hinc Plutarchus, & Stobeus apertè asserunt, Stoicos ignem Deum appellasse; Et Parmenides, & Heraclitus ignem esse principium rerum asseuerantes, quid aliud, quàm Deum ipsum significarunt? Consonãt sacræ litteræ, in quibus a Moyse, & Paulo traditum est. *Deus noster ignis consumens est*. Sed cauendus error Stoicorum, qui plures Mundos, alium post alium à conflagratione constituerunt. Duo verò maximè in hac secta fuere lumina, adhuc coruscantia, Seneca, & Epictetus. Senecæ Nero Imperator discipulus fuit, & carnifex, atq; hic non solum monumentis claresci, sed etiam familiaritate cum Apostolis illustratur. Obijciunt ipsi vitam à sermone dissonam; ego non eius mores, sed pronunciata considerabo. Epictetus verò, fulgidissimum huius familiæ sidus, emicauit tempore Neronis, & vsq; ad Marci Antonini tempora illuxit, vita emẽdatissima fuit, & experimento comprobauit suum dicterium. *Contine, & abstine*. Cuius Enchiridion Simplicius commẽtarijs exornauit. Huius dicta in proposita materia non suppetunt; Senecæ autẽ multa occurrunt examinanda, & multa etiam Stoicorum dicta refellenda; Non tamen est opus, vt elleboro purgemus ingenium, quod præstitisse dicitur Carneades aduersus Stoicos disputaturus; Sed sat est, vt Theologico fulgore ad Stoicorum tenebras de fatali Mundi interitu disijciendas accedamus.



DISPVTATIO STOICA.

CAPVT PRIMVM.

Afferuntur Stoicorum, & præsertim Senecæ de Mundi interitu testimonia, mox de modo interitus, scilicet per conflagrationem; Et discrepantia inter Stoicos indicatur.

STOICOS Mundum interitui obnoxium existimasse, multis ex Stoica familia repetitis testibus comprobatur. Seneca in primis. lib de consolat. ad Polib. hæc habet. *Mundo quidam* (intellige Stoicos) *minantur interitum, & hoc vniuersum, quod omnia diuina, humanaq; complectitur, si fas putas credere, dies aliquis dissipabit, & in confusionem veterem, tenebrasq; demerget.* Et quemadmodum hæc Senecæ verba nullum mundani excidij genus referunt, sed tantùm vniuersalem ipsius occasum, ita idem demonstrant, quæ ab ipso tradita sunt lib. 3. quæst. natural. cap. 29. *Ergo quandocumq; erit terminus rebus humanis, cùm partes terræ interire debuerint, abolerique funditus totæ, vt de integro totæ, rudes, innoxiaq; generentur, nec supersit in deteriora magister.* Et post aliqua subdit, explicans eumdem interitum. *Vnus humanum genus condet dies; quicquid tam longa fortunæ indulgentia excoluit, quicquid supra cætera extulit, nobilia pariter atq; adornata, magnarum gentium regna pessundabit.* Verum quidem est, quòd non vna est ratio, seu species mūdani interitus apud Stoicos; Etenim idem Seneca loco prænominato, & lib. de consolat. ad Marciam cap. 26. duplicem Mundi cataclysmum his verbis exprimit luculenter. *Omnia sternet, abducetq; secum vetustas, nec hominibus solùm, sed locis, sed regionibus, sed Mundi partibus ludet, tot supprimet montes, & alibi rupes in altum nouas exprimet, maria sorbebit, flumina auertet, & commercio gentium rupto, societatem generis humani, cœtusq; dissoluet. Alibi hiatibus vastis subducet vrbes, tremoribus quatiet, & ex infimo pestilentiæ halitus mittet. & inundationibus, quicquid habitatur obducet; necabitq; omne animal, orbe submerso, & ignibus vastis torrebit, incendetq; mortalia, & cùm tempus aduenerit, quo se Mundus renouaturus extinguat, viribus ista se suis cadent; & sidera sideribus incurrent, & omni flagrante materia vno igne quicquid nunc ex disposito lucet, ardebit.* His verbis non solùm ante oculos ponitur vniuersa inundatio, qua Mundus demergetur, & obruetur, sed etiam conflagratio, qua vniuersa rerum moles absumetur. Hinc Phylo Iudæus lib. de Mundi immortalitate, de Stoicorum opinione ita loquitur. *Potest, secundùm Stoicos, Mundus aliquis æternus dici, & aliquis corruptibilis; iuxta ornatum, vt nunc est; ille autem, qui post exustionem iterum nascetur, iterumq; certis periodis, & numquam desituris.* Nimirum innuit Phylo, Stoicos Mundi quidem interitū approbasse per exustionem, sed etiam ipsius renouationem, & repetitam natiuitatem; Quod etiam indigitauit Seneca præhabitis verbis, dum ait, quòd se Mundus renouaturus extinguetur.

Aliqui Stoici negarunt Mundi finem per exustionem.

Quamuis autem ferè communis Stoicorum sit opinio de Mundi occasu, tamen non defuerunt ex illis, qui hoc Mundanum excidium penitus abnegarunt, vt testatur Phylo Iudæus lib. citato; *Boethus*, inquit, *& Possidonius, & Panætius, viri in Stoicis dogmatibus primarij, tamquam à Numine correpti, relictis exustionibus, ad diuinius dogma de immortalitate Mundi transfugerunt.* Propterea aliqua est inter Stoicos controuersia, an Mundus per exustionem interitum subiturus

sit; qua de re ita verba facit idem Phylo. *Hoc dogma de exustione, primi, & antiquissimi eius sectæ tenuerunt, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, & huius tamen discipulū, & scholæ successorem Zenonem aiunt, dubitasse de vniuersorum hac conflagratione.* De hac eadem controuersia inter ipsos Stoicos fidem facit M. Tullius 2. de nat. Deorum. *Stoici putant id, de quo Panætiū addubitare dicebant, vt ad extremum omnis Mundus ignesceret.* Confirmatur Stobæi testimonio, apud quem hæc leguntur. *Panætius probabiliorem censet, & sibi magis probatam æternitatem Mundi, quàm eius in ignem commutationem.* Nihilominus eruditissimi viri existimarunt Stoicorum placitum fuisse, Mundum per incendium postrema fata experiturum esse; & quamuis M. Tullius insectari potius, quam sequi Stoicismum videatur, tamen lib. 4. Tusculanarum quæst. iuxta mentem Stoicam, putat Mundum per exustionem absoluendum esse. *Stellas*, ait, *omnes, terram, mare, Deos esse, fore tamen aliquando, vt omnis hic Mundus ardore deflagret.* Repetit idem secundo de Nat. Deorum his conceptis verbis. *Post inflammationem nihil relinqui, præter ignem, à quo rursum, at de eo, renouatio Mundi fieret.* Quamobrem turpiter hallucinatur Philo Iudæus lib. præallegato, vbi tribuit quidē Stoicis Mundi excidium per incendium, sed arbitratur, exustionem postremam, non à Deo efficiendam esse, sed ab ipsa ignis potentia. Ita enim fatur. *Stoici censent, Deum quidem causam, authoremq; generationis Mundi esse, at non interitus, sed eam, quæ in rebus est insita, ignis potentiam, post longa temporum interualla omnia in se resoluentem.* Hallucinatur hic author, quia tanta non potest esse ignis potestas, vt naturaliter totam Mundi machinam demoliatur, sed quidem ignis, potestate recepta à supremo Numine, hanc rerum

Melior Stoicorū sententia de Mundi fine per incendiū.

Error Philonis, quod ignis naturaliter destructurus sit Mūdum.

destruet vniuersitatem, vt fusè in 2. parte huius Tractatus disseremus.

Hoc idem Stoicorum placitum, quāuis in cæteris dogmatibus aduersantes, approbarunt Epicurei, qui de Elementorū conflagratione, Mundique ruina eadem prorsus senserunt. Itaq; mirandum prorsus est, Stoicos Philosophos, sine diuino afflatu, vniuersam Mundi combustionē agnouisse, sed putandum est, veteres Sapientes hoc pronunciatum ab Hebræis accepisse, qui multarum rerum notitiam ad Aegyptios transtulerunt, & ab ipsis ad Græcos plurima cognitio peruenit. Hebræi autem hauserunt illam ab Adamo, perfectissima rerum omnium cognitione instructo, illaque præsertim, quæ ad Mundi statum agnoscendum requirebatur.

Stoicorū placitū de Mundi fine per incendium, est cōmune Epicureis.

Hæc Stoicorum vulgata, diùq; celebrata sententia Poetarum carmina excitauit; Vnde Ouidius lib. 1. Metamor. similia cecinit.

Esse quoque in fatis reminiscitur adfore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaq; regia Cœli
Ardeat, & Mundi moles operosa laboret.

Consonat Lucanus lib. 7. Belli Ciuilis eādem Mundi extremam describens vstionem.

Hos, Cæsar, populos, si nunc non vsserit ignis,
Vret cum terris, vret cum gurgite ponti,
Supremus Mundi superest rogus, ossibus astra
Mixturus.

Prætermitto carmina Sybillina eamdem Mundi pyram decantantia, quæ non à Stoicorum porticu defluxisse, sed desuper emanasse, putandum est. Quæ carmina refert S. Augustin. lib. 8. de Ciu. Dei c. 23. & Syxtus Senensis sua Biblioth.



CAPVT SECVNDVM.

Affertur, & examinatur causa, à qua Stoici adducti fuerunt in sententiam de Mundi incendio, eaque reprobatur.

Stoici existimant, Stellarū pabulū esse vapores

QVemadmodum satis celebrare nequeo Stoicorum effatum de Mundi cataclysmo per combustionem, vtpote sacris litteris consentaneum, ita satis mirari non possum illorum Philosophorum Senatum ita desipere, ac delirare, vt putet astrorum pabula esse vapores, suffitus aquarum, & expirationes, & per defectū huius pabuli Mundum esse inflammandum ab astris, quorum substantia est ignea. Et hanc Stoicorum opinionem eleganter refert M. Tullius lib. 2. de Nat. Deor. *Sunt, inquit, stellæ, natura flammeæ, quò circa terræ, maris, aquarum vaporibus aluntur; his qui à Sole, ex agris tepefactis, & ex aquis excitantur, quibus altæ, renouatæq; stellæ, atq; omnis æther, refundunt eodem, & rursus trahunt indidem, nihil vt ferè intereat, aut admodum paulum, quod astrorum ignis, & ætheris flamma consumat; Ex quo euenturum nostri putant, id, de quo Panætium addubitare dicebant, vt ad extremum omnis Mundus ignisceret, cum humore consumpto, neq; terra ali posset, neq; remearet aer, cuius ortus, aqua omni exhausta, esse non potest.*

Et quamuis hæc ita clarè à Cicerone tradita sint, vt nullus dubitandi locus relinquatur, quod sidera vaporibus nutriantur, ex quorum defectu Mundus sit inflammandus, tamen placeat eumdem Ciceronem lib. 3. de nat. Deor. ita disserentem audire. *Quid enim, inquit, non*

M. Tullij testimonia pro Stoicorū opinione.

eisdem vobis placet, omnem ignem pastu indigere, nec permanere vllo modo posse, nisi alatur? Alij autem Solem, Lunam, reliqua astra aquis ali dulcibus, & marinis, eamque causam Cleanthes affert, cur se Sol referat, nec longius progrediatur, solstitiali orbe, itemq; brumali, ne longius discedat à cibo; Atq; idē Cicero lib. 2. de nat. Deor. existimans, sidera esse ignea, & vaporibus nutriri, asserit, Cleanthem duorum sensuum testimonio, tactus, & visus, stellas igneas esse, confirmasse; Subiungit autem hæc verba. *Cum Sol igneus sit, Oceaniq; alatur humoribus, quia nullus ignis sine pastu aliquo permanere nequit, necesse est, aut ei similis sit igni, quem adhibemus ad vsum, atque ad victum, aut ei, qui corporibus animantium continetur.*

Hoc idem erratum emanauit ab Homero, qui stellas vaporibus nutriri, fabularum tegumento indicauit, scilicet Iouem cum cæteris Dijs, idest cum stellis, aliquando ad Oceanum perrexisse fabulatus est, Aethyopibus ad epulas inuitantibus, quam fabulam interpretatus est Macrobius lib in somnum Scipionis, animaduertēs hoc figmento demonstrari, stellas natura esse flammeas, & humoris haustu nutriri. Hinc cecinit Anacreon Poeta, *Phœbus potat æquor.*

Homeri fabula pro eorumdē sententia.

Et tandem id putauit Plinius lib. 2. natural. hist. cap. 7. *Astra, inquit, natiuo alimento tracti humoris igneam vim abundātia reddunt.*

Magnam instituerem rationum excursionem, ad hoc Stoicorum erratum profligandum, si mihi validissima non suppeditaret iacula, ad illud confodiēdum, vir eruditissimus Augustin. Steuchus lib. de Mundi excidio contra Stoicos, ita doctè, & eleganter disputans. *Audierunt euenturam Mundi conflagrationem Stoici, sed ad naturales causas eam reuocantes, errabant; Quem errorem facilè meliores Philosophi coarguent, partim probantes, nullam offensionem posse cæleste corpus accipere, partim numquam futurum, vt omnis humor absumatur, quod necesse sit omnem aquam absumptam, nō in nihilum, sed in nubes, ac vapores euanescere, quibus denuo coactis reparetur aqua, semperque is ordo remeet elementorum, nihil in nihilū abire natura patiente; Numquam, si quis arcana naturæ contempletur, eueniet, vt omnis aer, omnis aqua, cuncti vapores, humoresq; in nihilum, aut igneam dumtaxat*

Augustini Steuchi explicatio Stoicæ opinionis.

ma-

materiam dissoluantur, eò quod simul ardore Solis humor exhauritur, simul aer frigidus, fæcundus humiditatis reparatur, simul in nubes imbriferas grauidatur, simul in cauernas subterraneas, in flumina, fontesque, eminaturus recipitur, nec vlla fit humoris exhaustio, quin eadem opera fiat eiusdem reparatio. Tanta Soli radianti, potenti, moles humorum per omnem Mundum obiecta est, vt eodem tempore, quo concoquit humores, & terras ardoribus torret, alio terrarum hemisphario regnet humorum copia, vigens, & dominans, absente Sole; Et cum terras nostras inflammant æstiui dies, humorque absumitur omnis, eisdem sub Antipodibus sæuit hyems, præcipitesque cadunt ex æthere nimbi. Semper hoc ordine vigente, quem nulla tollat diuturnitas, tanto contextu factis elemẽtis, vt alterũ alterius pernicies nũquã esse possit; Tot sunt, eruntque semper in Mundo nubes, humoresque, quantum Soles, & ignes, flãmaque cælestes; Nec dabitur vnquam, vt abolere possit ignis aquam, tantam semper futuram, vt iugiter ardoribus Solis resistat, omnemque conflagrationem probibeat; Sic ardor Solis diluuia prohibebit, dico autem non particulares, aut conflagrationes aut illuuiones, sed vniuersales, quales Stoici somniabant, naturæ legibus numquam euenturas, quod euenire non possit. Quia? Si vera dicerent, iam pernicies illa, & humoris exhaustio principium habuisset, aut ad medium adducta fuisset. Iam forent æstates torrentiores, iam minus vbique vaporis, iam terras squallores pressissent, iam torrere mortales cæpissent, exhausta maria flumina, paludes, lacus, quorum nihil hactenus conspicitur; Superest igitur vera quidem Stoicos tradidisse, de conflagratione, de nouo Mundo, sed hoc vnum non vidisse, non rationibus naturæ, sed illius nutibus hoc euenturum, qui cuncta creauit, potens eadem, qua creauit potestate, cuncta resoluere, quem cum bonitas impulerit ad creandum, quo consilio, & potestate creauit, eadem pulchros ordines illos, vinculaque tenacia rerum resoluet. Hæc sunt expressa verba Steuchi in hunc locum translata, quia ab ipsis tam luculenter, & subtiliter, & efficaciter Stoicorum error retunditur, vt nihil neruosius afferri possit.

Reprehendit Stoicos putantes naturaliter Mũdi occasionem contingere debere.

Rationes Stoicorũ sententiã refellẽtes.

Rationes igitur huius Authoris eò collimare videntur, vt numquam admittendum sit, tantum futurum aquei humoris defectum, propter quem ignes illi cælestes in hæc inferiora ardore ferueant, eaque destruant, & consument. Non est prætermittendum humorem non ita excitari, & euehi sursum, vt ad sidera nutrienda perueniat, quoniam vapores ad milliaria quinquaginta à terra supra aerem attolluntur; quibus igitur alis ad Solem, cæteraque sidera aduolabunt? Preterea si pabulum astrorum est humor, eodem modo nutrientur astra, quo lucerna vapore augetur, nimirum oleo nutritur, cuius flamma oleum in seipsam commutando, nõ eadem semper remanet, sed alia flamma, & lumen perit, & euanescit, alia autem suboritur, & succrescit. Idcirco ardor lucernæ, & splendor est in continuo fieri, & fluxu, nec semper eadem est lucerna, ex quibus infertur, neque flammam Solis vaporibus nutritam semper eamdem fore, sed quotidie nouum Solem, quod Heraclitus opinabatur, constitui, quod certè prorsus est subsannandum. Confirmatur, quia vapor, vel exhalatio non est propriè pabulum ignis, qui verè, & propriè nutriatur, Siquidem quod nutritur, & augetur, semper manet idem, flamma autem, vt dixi, est in perpetuo fluxu, nascitur semper, & moritur. Addo, quòd de vapore, respectu astrorum, illud affirmandum est, quod de suffitu, & expirationibus, respectu ignis docet experiẽtia; nam cùm ignis sursum eleuat vapores ex olla ad operculum, non alitur ipsis, sed potius eleuatos vapores, & guttulas parum detentas consumit. Ita par est, Solem euectos vapores, non in suam commutare substantiam, quod est proprium aliti, sed ipsos in aere eleuatos, vel à Sole consumi, vel aquea forma retenta, in imbres deorsum delabi. Quare ex dictis iam opinor satis patere Stoicorum pronunciata, quoad Mundi conflagrationem, esse veritati consentanea, sed quoad modum conflagrationis, scilicet propter defectum pabuli, quo nutriuntur sidera, leuia prorsus esse, & nugas ineptas. Fateor quidem, sidera ignea esse, & suo loco id mordicus tuebor, sed ratio, qua Stoici contendunt id suadere, est prorsus, tamquam improbabilis, exibilanda. Propterea iure meritò accusa-

tur Seneca Quæst. natural. 2. cap. 5. hæc inania effutiens. *Ex Cœlo, & terra alimẽta omnibus animalibus, omnibus satis, omnibus stellis diuiditur. Hinc proferetur quo sustineantur tot sidera, tam exercitata, tam auida, per diem, noctemq; vt in opere, ita & in pastu.* Adhæsit huic errato Plinius Stoicus & ipse lib. 2. cap. 9. *Sidera verò haud dubiè humore terreno pascuntur.* Hinc Macrobius in somnum Scipionis diuina prouidentia factum putat, vt sub Zona torrida locaretur Oceanus, vt Sol inde subiecti humoris alimoniã haberet. Idcirco cecinit Lucanus lib. 9.

Quod rapidus Titan ponto sua lumina pascens,
Aequora subduxit Zona vicina perusta.

Et facetissimus Anacreon, vt supra retuli, Poeta ad potandum satis pronus, hæc eructauit.

Et potat æquor aquas,
Phœbusq; potat æquor.

Sed quemadmodum à veritate aliena est Stoicorum opinio de postrema Mundi conflagratione, producenda à sideribus igneis, quia deficient vapores, quibus earumdem stellarum flammę, & nutriuntur, & temperantur; ita non minus reprobandum est ipsorum Stoicorum crimen, quo necessitatem rebus omnibus afferentes, Mundi occasum fatalem, ac necessarium fore affirmarunt.

CAPVT TERTIVM.

Examinatur Stoicorum sententia de Fato, & reprobatur fatalis interitus Vniuersi, ex ipsorum opinione.

HÆc fati Charybdis multorum absorpsit ingenia, & Stoici præsertim in hoc freto natantes, disputationum fluctibus abripiũtur. Ad explicanda ipsorum errata, memoria recolendum est, priscos Sapientes tantam inter diuinam prouidentiam, & humani arbitrij libertatem pugnam animaduertisse, vt cùm nescirent prouidentiam cum humana voluntate conciliare, vel diuinam prouidentiam abnegarunt, vel liberam humanæ voluntati potestatem ademerunt. Siquidem Epicurus, nimiũ humanæ libertati attribuens, prouidentiam, anum fatidicam iocosè appellatã, penitus explosit. Ideò de Epicuro, & Cicerone à D. August. lib. 5. de Ciu. Dei cap. 9. traditum est, ipsos maluisse esse impios, quàm seruos. Et quamuis M. Tullius Epicuri opinioni aliquando adstipulari videatur, tamen lib. 1. de Nat. Deorum contra prouidẽtiam negantes hæc habet: *Sunt enim Philosophi, & fuerunt, qui omnino nullam habere censuerũt rerum humanarum procurationem Deos, quorum si vera sententia est, quæ potest esse pietas? quæ sanctitas? quæ religio?* Prosequitur idem Cicero. *Sin autem Dij neq; possunt nos iuuare, nec volunt, nec omnino curant, nec quid agamus, animaduertunt, quid est quod vllos Deis immortalibus cultus, honores, preces adhibeamus?* Quin idem Cicero lib. 2. de Nat. Deor. fusè, & luculenter res omnes creatas perlustrans, Mũdum diuina prouidentia gubernari demonstrat, adeo vt mihi, qui eiusdem libros de Nat. Deor. de diuinatione, & de Fato sedulò peruolutaui, incertum sit, quamnam sententiam amplexatus sit Cicero, videlicet, an cum Stoicis prouidentiam admiserit, & humanam libertatem extinxerit, an cum Epicuro prouidentiam sustulerit, & libertatem humanam vindicauerit.

Epicuri crimẽ, quo negatur diuina prouidentia.

Stoici igitur diuinam prouidentiam magnificentes, eamq; in omnibus necessariam constituentes, cuncta, quæ fiunt, & sunt, ex necessitate fieri, & esse censuerunt. Ideò liberum hominis arbitrium nomine quidem admiserunt, sed re ipsa euerterunt. Quare opinio Stoicorum de Fato in hoc cõsistit, quòd Fatum sit necessitas rerum omnium, actionumq; quam nulla vis rumpat; Vel sit series causarum, & ordo a prima ad vltimam causam necessariò procedens; Vel, vt interpretatus est Chrysippus, Stoicę familię facilè primogenitus, sempiterna, & indissolubilis causarum catena, seipsam, & cætera per æternos ordines

Stoicorum descriptio nec de fato necessitatem inducente.

nes voluens, & implicans. Hanc fuisse Stoicorum opinionem de Fato; fidem facit Plutarchus lib. de Stoicorum repugnantijs, Fati necessitatem, iuxtà Stoica placita, his explicans verbis. *Cui fatale est in mari perire, quomodo fieri potest, vt ei mors contingat in terra? Et quomodo Megaris Athenas venire quis, quia Fato impeditur?* Ideò, referēte Plutarcho, Chrysippus causam insuperabilē, quæq; impediri, aut mutari nullo modo possit, Fatū pronunciauit. Imò, teste Plutarcho, asserebant Stoici, in nostra potestate non esse, neque virtutes, neq; vitia, neque officia, neq; peccata. Hoc sanè iniquum est, sed magis impium, & detestandum est Senecę crimen de prouidentia cap. 5. vbi de necessitate Fati hæc pronunciauit. *Quæ necessitas, & Deos alligat? irreuocabilis, & diuina pariter atq; humana cursus vehit. Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem Fata, sed sequitur.* Quæ non solùm parum decorè, sed ineptissimè dicta sunt de Deo, quamuis Lipsius lib. 1. Physiol. Stoic. cap 12 extorta interpretatione, Senecæ verba ad verum, liquidumq; deducat sensum, nimirum Deum, semel statuta non mutare.

Senecæ verba, de necessitate Fati, considerantur, & reprehendūtur.

Ratio potissima, qua adducebantur Stoici, ad affirmandum, omnia necessitate fieri, & sempiternam causarum seriem à prima dependentem, indissolubilem esse, ita ab ipsis astruebatur. Vel Deus præsciuit contingens futurum, vel non præsciuit. Quod nō præsciuerit, nō est vllo modo asseuerandum, quoniam in Deum nulla rerum cadit ignorantia. Si præsciuit, ne scientia Dei sit fallax, & mutabilis, necessario eueniet id, quod scitum est à Deo. Igitur nullum datur cōtingens, quod se habeat ad opposita, & quod æquè fieri possit, & non possit, sed omnia insuperabili necessitate contingent. Hęc argumentatio, vt ex animo fatear, tanti semper fuit ponderis, vt nō Stoicorum modo, sed Theologorum etiam ingenia defatigauerit. Quocirca clarior Theologorum fax nobis est accēdēda, vt cognoscatur modus, quo Deus futura cōtingentia cognoscit, à qua notitia allatæ argumentationis nerui eliduntur.

Potissima ratio Stoicorum de necessitate Fati cōsideratur, & reycitur.

D. Thomas prima p. quæst. 14. art. 13 existimat, ęternitatē, tāquā mensuram, absq; mēsura, essentiā, & cognitionē Dei metiri; Quæ æternitas, teste Boethio, est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Quare cùm æternitas omnes temporum differentias, scilicet tempora præterita, præsentia, & futura cōplectatur, fit, vt ab ęternò subijciātur diuino intuitui omnia, quæ in qualibet differentia temporis euenient.

Explicantur varij modi, quibus Deus futura cōtingentia cognoscit.

Scotus lib. 1. Sentent dist. 3. quæst. prima docet, ad futura contingentia, vt ipsa existant, requiriri diuinæ voluntatis decretum, in quo, inquit ipse, futura contingentia à Deo cognoscuntur. D. Bonau lib. 1 Sentent. dist. 39. quęst. 3. art. 2. existimat, Deum in suis ideis futura cognoscere; Sed qualis sit Dei cognitio futurorum cotingentium, non ab illa deducerent Stoici necessitatem euentuum, nisi adderent, Deum esse causam necessariam; Nam si talis causa est Deus, infertur, nullam dari contingentiam, cùm omne contingens à Deo dependeat, & producatur, tamquam à prima, & vniuersali causa. Idcircò, ad euertendam Stoicorum argumentationem, respondendum est, Deum non esse causam necessariam simpliciter, neque contingentem, sed superiorem vtraq; & causam esse omnino liberam. Præterea animaduertendum est, motionem causæ primæ modi cari in secunda, iuxtà modum, & naturam ipsius causæ secundæ; Quare esto, quòd à prima causa moueatur necessariò secunda, recepta tamen motio in secunda, si ipsa sit contingens, modificatur à contingentiā recipientis. Et quoniam causa prima, prius natura modificatur, quam excitet secundam ad mouendum, fit, vt motio illa iam modificata in causa contingente, moueat secundam causam, non necessariò, sed contingenter. Causam verò primam mouere intrinsecè secundam iuxtà modum, & naturam ipsius causæ secūdę patet ex eo, quod de prima causa in sacris eloquijs proditū est, scilicet, *Quod attingit à fine vsque ad finem fortiter, & disponit omnia suauiter.* Quorum verborum sensus est, causam primam iuxtà modum, & naturam cuiuscunque causæ secundæ, ipsi præsto esse, & cooperari. Propterea negandum est, nullā dari

Falsò putant Stoici, Deum esse causā necessariā

Causa prima applicat suam causalitatem causę secundę, iuxtà naturam ipsius secundæ causæ.

Contingẽtia oritur à causa secunda, & proxima. dari contingentiam, vt asserebant Stoici, qui splendidum illud,& fallax fortunæ regnum conculcabant, quoniam cõtingentia se tenet ex parte causæ secundæ, & proximæ, non autem Dei, quem negat D. Thomas primo Sentent. dist. 38. causare contingenter, docens, causam primam continere in se,non formaliter, sed eminenter naturam, & modũ causarum, tùm necessariarum, tùm contingentium.

His ita constitutis, assero,contingentia futura, iuxtà duplicem rationem, cõsiderari, scilicet in actu, vel in potentia causarum. In actu, habent rationem præsentis,in potentia causarum, habent rationem futuri. In actu, habent rationẽ necessarij, & determinati ad vnum,quia res dum est, necessariò est, ex Arist. 1. Perhierm. In potentia, habent rationem contingentis ad vtrumque. In actu, subduntur certæ cognitioni, in potentia,subijciuntur coniecturæ. *Contingẽtia considerantur, vel respectu scientia diuina, vel respectu causa proxima.* Contingentia igitur, quæ in æternitate sunt præsentia diuino conspectui, & quæ infallibiliter cognoscuntur à Deo, sunt in actu, respectu diuinæ cognitionis ob rationem D.Thomæ iam allatam, nimirũ, quia ęternitas totum ambit tempus, & Dei congnitio ęternitate mẽsuratur. Ideo quæ in tempore nobis contingũt, Deo ab æterno sunt præsentia, Propterea contingẽs scitur à Deo, ratione pręsentialitatis, non ratione futuritionis. *Soluitur supradict. argumentatio Stoicorum.* Argumentatio igitur Stoicorum ita diluitur. Si considerentur contingentia, vt sunt in actu, & quatenus ad diuinam scientiam referuntur, quia omne quod est, eo ipso quòd est, necessariò est, & omne scitum à Deo,quatenus scitum, impossibile est aliter se habere, vtique verum est, quod contingentia, vt sunt actu, & vt scita à Deo,sunt necessaria, quod perinde est ac dicere, quòd contingens est tale in se, & vt relatum ad causas proximas, à quibus producitur, sed quatenus est actu, præsens Deo, & subiectum diuinæ scientiæ, & intuitui, non dicitur contingens Et hæc est doctrina tradita a D.Thoma p.1.quæst.14 art.13. & à doctissimo Caiet. comment. in eumdem artic. Qua doctrina argumentatio Stoicorum destruitur,hoc potissimo fulta præsidio, quòd omne scitũ à Deo, necessarium est esse. Hinc inferebant aliqui perperam, Si Deus præuidit, peccaturum me, nec falli præuisio illa potest,ergò necessariò peccabo. Sed quis non cognoscit, præuidisse Deum me peccaturum eo modo,quo pecco,scilicet non necessariò, sed liberè,voluntariè,& contingenter. Quare scientia Dei non imponit necessitatem obiectis à se cognitis, vt sunt in sua causa, atque vt habent rationem futuri, & contingentis; Neq; motio causæ primæ excitans causas secundas ad operandum, infert ipsis aliquam violentiam, sed eis vtitur, sine ipsarum corruptione; Et quemadmodũ supremum cęlum inferiores orbes secũ trahens, proprium eorum motum non abrumpit, aut sistit, sic Deus omnia humana trahens, peculiarem ipsarum vim non eneruat,& motionem voluntatis nõ cogit, aut impellit.

Quibus præmissis, duplicem construere possunt Stoici argumentationẽ, ad insinuandam, vt sic dixerim, Mundi occasus fatalitatem. *Rationes Stoica pro fatali Mũdi interitu afferuntur, & dissoluuntur.* Primam rationem ita conficient. Necessitate Fati absumetur alimentum astrorum, scilicet humidum, quo deficiente ignea siderum natura exuberabit,& inferiorẽ comburet, ac demolietur vniuersitatem. Negamus nos, Fati necessitate id euenturum; nam cùm Fatum,vt mox dicemus, ex sententia Aristotelis, sit ipsa natura, quæ iugiter suam appetit,& molitur conseruationem, haud dubiè non sinet ipsa destrui illud humidum, quo astrorum ignes, ita loqui fas sit, refrigerantur, ne sublunarem Mundum inflammatione perdant. Igitur fatalis non erit deficientia vaporum, vt nugantur Stoici. Altera verò ratio,ex dictis,sic efformari potest,Finis Mundi est à Deo cognitus; Igitur ne fallax sit eius cognitio, eueniet necessariò. Respondendum est, iuxtà tradita, occasum Mundi, vti præsentem Deo,in ambitu æternitatis, & vti scitum ab ipso, non esse contingentem, sed vti relatum ad nos, & ad causas secundas, nimirum elementa, & cælestia corpora, quæ in fine Mundi magnas subibunt mutationes, vel etiam relatum ad Angelos,quibus vtetur Deus in illa formidabili catastrophe. Itaque interitus Mundi non fatalis, non necessarius, sed infallibilis,

con-

contingens tamen est appellādus. Quoniam verò Stoicorum error de Fato à Platonica doctrina effluxisse perhibetur, quærēdum nobis incumbit, an hoc Stoicorum placitum sit, vel conforme, vel dissimile Platonis opinioni.

CAPVT QVARTVM.

Disputatur, an Mundi interitus à Stoicis fatalis constitutus, Platonicæ doctrinæ sit consentaneus. Examinatur Platonis sententia de Fato, & iucunda aspergitur eruditione.

FRanciscus Piccolomineus inter recētiores primę notæ Philosophus, in sua morali Philosophia grad. 2. de principijs virtutum cap. 33 refert, opinionem virorum sapientum fuisse, Platonem existimasse cuncta necessariò euenire, Fatoq; subiecta esse, præter ea, quæ ratione fiunt, & consilio. Verùm ad Platonis placitum hac de re explicādum, præmittendū est, omnes Platonicæ doctrinæ asseclas affirmare, Fatum esse immutabilem in anima Mundi, rerum mobilium dispositionem; Quam animam appellātes Platonici Deam necessitatis, aliquam ingerit suspicionem, quod tribuant Fato necessitatem illam, quam Stoici constituerunt: sed ab ipsis anima Mundi Dea necessitatis nuncupatur, non quia singula ab illa dependentia sint necessaria, sed quoniam anima operatur vbique eodem modo, & eadē lege, quæ sibi à Mēte opifice indita fuit, & quia omnia in suo conuenienti ordine, vti fuerunt à primo opificio constituta, conseruat. Consonant cum Platonis doctrina quæ tradita fuere à Plutarcho libello de Fato, vbi nonnulla affert Platonis testimonia de Natura Fati, & præsertim authoritatem eiusdem Platonis, ex 10. de Repub. petitam, quo loco appellat Fatum orationem Virginis Lachesis, quæ Necessitatis est filia; & in Phædro describit Fatum esse diuinam orationem, quam non audire nefas est, & quæ à causa dependet, nullo irretita impedimento; atq; ita loquitur Plutarchus. *Fatum est vniuersa Mundi anima in tres partes quasi distributa; Harum suprema Cloto appellatur, proxima Atropos, infima Lachesis, quæ sororum suarum calestes actiones excipiat & in terrestria, quibus præsidet, diuidit.* Prosequitur Plutarchus, & appellat Fatum, ex mente Platonis, legem Adrasteæ, & Lachesim filiā Necessitatis. Verum coniunxisse Platonem cum Fato contingentiam, declarat idem Plutarchus eodem Lib. de Fato, asserens, contingens esse illud, quod & ipsum, & eius contrarium fieri potest.

Explicatur sententia Platonis non esse, tribuere Fato necessitatem ineuitabilem.

Insuperabilem Fati violentiam, & necessitatem à Stoicis inuectam, exprimere videtur fusus adamātinus, quo ex Platonicis figmentis Parcæ dicuntur rerum humanarum stamina ducere, quæ Parcę appellantur etiam animę Mundi, & Parcæ dicuntur, vel quia nemini parcunt, vel quia cùm nemo sit sua sorte contentus, Parcæ, idest auaræ ab omnibus appellantur. Hæ igitur tres fæminę, fila trahentes, vtuntur fuso adamante composito, quæ materia indicat stabilē, & inexpugnabilem Fati efficaciā à Stoicis prædicatam. Istæ verò fæminę munera Fati explentes, Cloto, Lachesis, Atropos, vt supradixi, nominantur, æquali interuallo in throno sedentes, vestibus albis inductæ, capite coronatæ, ad Sirenarum canentes harmoniam. Quare cum Parcæ, quæcumque in Ideis in Mente creata insitis, vt Platonicè loquar, quasi in glomo inuoluta explicēt, & reuoluant, videntur in hoc inferiori Mundo, & adamantinum tractare fusum, & necessario filo rerum omnium ducere euentus. Nihilominus hæc à Platonicis tradita, si mysticè, & allegoricè, vti par est, exponantur, nullam præsefeerunt Fati necessitatem. Etenim fusus, ex quo stamina ducunt fęminæ, est vniuersi Cæli axis, super quo cælestes reuoluuntur sphæræ, qui ex adamante constare dicitur, vt ipsius immobilitas, & perpetua consistentia demonstretur. Lachesis Cloto, & Atropos varia significant tem-

Explicatur allegoria fusi adamātini, & simul allegoricè exponūtur Parcæ, earumq; conditiones explicantur.

pora;si quidem Lachesis præterita, Cloto præsentia, Atropos futura indicat;& ducere stamina è cælo,à cuius motu oritur tempus, nil aliud est, quàm varia tempora, cæli motu metiri. Quod certè nullam affert rebus necessitatem. Vel asseramus stamen, quod trahunt Parcæ, prenotare celestes influxus,qui instar fili exigui in hac inferiori Mũdi plaga recipiuntur,& propter celorum maximam distantiam fracti, tenues, imbecilli, ad hæc inferiora descendunt. Fingũtur illæ fæminę in solio sedẽtes paribus inter se distantes interuallis, quoniam iusta est Fati distributio in illis rebus, quæ Fato subijciuntur. Cãdida sunt amictæ veste, & in capite coronatæ, ad præmonstrandam naturam Fati integram, puram, efficacem, imperiũ aliquod in rebus habentem, non tamen violentiam inferentem. Canunt ad harmoniam Sirenarum, quæ sunt cælestium sphærarũ animæ, vt per cãtum demonstretur, Causas secundas ministras diuinæ prouidentię, & Fati executrices, singula efficere, iuxta harmoniam, & consonantiam, quam habẽt causæ secundæ, cum mente opifice, ipsas mouentre, ac dirigente.

Plato non tribuit Fato necessitatem.

Ex Platonicis igitur fabulamentis nõ elicitur Platonem aliquam Fato necessitatem tribuisse;& quamuis in Phędro ipsum Fatũ appellauerit legem Adrasteæ, nempè legem ineuitabilem, & immutabilem, atq; in Timæo nomine legis illas dixerit qualitates, quibus Mundana cõnectuntur, tamen hæc non præseferunt necessitatem, sed tãtum ordinem, & rerum seriẽ rectè ab anima Mundi administratam. Præterea constat, Platonem à Stoicis dissentire, in collocandis animis humanis sub Fato, cui sine controuersia ipsos subegerunt Stoici; At Plato in Dialogo de Regno docet alia in prouidentiam, alia in Fatum cadere: quod potissimum de animabus humanis pronũciatũ

Quomodo anima humana tum sub Fato, tum sub Prouidentia, ex Platone constituantur.

est, quippe quæ, quandoq; sub Fato, & quandoq; sub Prouidentia constituuntur. Etenim cùm animæ sunt à corpore disiunctæ, ante ipsarum ingressum in corpora, vt fabulantur potius quam philosophantur Platonici, vtiq; a Fato sunt liberæ, & prouidẽtiæ subijciuntur. Cum verò rerum terrenarum amore capiũtur, & propensionem sentiunt ad corpora, Fato subduntur. Propterea Plato in Timæo affirmauit, animas tunc primum Fatales leges expertas esse, cum fuerunt vehiculis adiunctæ, ex quibus Fati exordia ducuntur. Cum verò coniunctæ sunt corpori, non omninò Fato subijciuntur, sed partim supra Fatum, partim in Fato, & partim sub Fato collocantur. Nam anima iũcta corpori duabus viribus prędita est, nimirum facultate intellectiua, & sensitiua. Per intellectiuam anima hominis est supra Fatũ, per sensitiuam, est in Fato. Quoniã verò anima per hanc facultatem vtitur corpore, ipsiq; viram sensitiuam tribuit, quam Platonici vestigium, & vmbram vitæ appellant, quatenus vita sensitiua corporis est sub Fato, anima etiam sub Fato dicitur constituta. Quamobrem cum Chrysippus, & Cleãthes, Stoicæ sectæ Dynastæ, Fatum, & Prouidentiam confundant, itaut quæ prouidentia eueniunt, etiam Fato contingere arbitrentur, hac etiam de causa Academici à Stoicis dissentiunt, asserentes, aliqua subijci solum prouidentiæ, vt animam Mundi, animas sphærarum cælestiũ, humanas animas corpore solutas, & Dæmones ipsos; cætera verò Fato esse subiecta.

Quomodo Dæmones, ex Platone, sint sub Fato.

Dæmones prouidentiæ, & non Fato subiecerunt Platonici, qua in re omninò aduersãtur Peripateticis Dæmones negãtibus, quippe qui omnes effectus Dęmonibus adscriptos, cęlestibus attribuunt corporibus, vt non minus impiè, quàm falsò, conatur ostẽdere Pomponatius lib. de Incantationibus.

Accusatur Pomponatius negãs Dæmones, & ipsorum opera cælestium corporum viribus attribuens.

Platonici autem Dæmones adducunt, vt subftãtias aëreo corpore prædiras, & passionibus subiectas. Ideo ipsi Dęmones, quatenus habent corpora coniuncta, subtilia quantumuis, & tenuissima, subijciuntur Fato. Quoniã verò nostra religio, & sacra docet Theologia, Dęmones esse substantias intellectuales, ab omni materiæ concretione seiunctas, asserendum est, ipsos Fato non esse subiectos.

Iuxta Platonis doctrinam, Mũdi occasus non est fatalis

Ex dictis firmum, & inconcussum constituamus dogma: Mundi interitus, ex sententia Platonis, fatalis non est dicendus. Etenim si Fatum est, ex ipsius mente, dispositio residens in anima Mũdi, cum hæc anima non moliatur perniciem huiusce magni corporis, siue animalis, quod animat, & informat, vt demon-

monstrauimus in Disputatione Platonica; Igitur neque Fatum, quod residet in anima Mundi, ad excidium ipsius Mundi conspirabit. Sed quoniam in Disputatione Platonica satis ostendimus, occasum Mundi supremę causæ libertati à Platone adscribi, consequitur, vt iuxtà illius Philosophi sententiam, Mundi interitus nullo modo fatalis sit censendus. Quamobrem Stoicorum errata de fatali vniuersitatis catastrophe, non solum cohærent cum Platonica doctrina, sed hæc potius illis acerrimè aduersatur. Verùm quoniam non desunt alij, qui student Aristotelem in Stoicas de Fato syrtes adducere, disquirendum breuiter est, an Stoicus fatalis Mundi occasus cum Aristotelica doctrina consentiat.

CAPVT QVINTVM.

Affertur germana Aristotelis sententia de Fato. Explicatur quid sit fatale, quid fortuitum, quid casuale. Defenditur Aristoteles ab accusatione Theodoreti, & laudatur Piccolominei interpretatio. Statuiturq; Mundi finem, iuxta Aristotelis pronunciata, non esse fatalem appellandum.

Demonstratur Arist. pro Fato intelligere naturam.

FAtum, & Naturam esse vnum, & idē in Peripato demonstrat Alex. Aphrod. lib. de Fato, & omnes Peripatetici consentiunt, excepto Pomponatio, qui lib. de Fato in Stoicorum crimina turpissimè labitur. Id colligitur ex Aristotele 5. Phys. 57. vbi generationes violentas, & non naturales vocauit non fatales; Igitur cùm fatale opponatur violento, & non naturali, id quod est fatale, erit pariter naturale, idest proueniet ex passione materiæ, ex actione formæ, ex qualitatibus primis agentibus, & ex qualitatibus patientibus. Ideò Fatum, & Natura pro eodem sumuntur; In hoc etiam sensu acceptum fuit Fatum à Poeta, qui de morte Didonis cecinit. *Nam quia nec Fato debita nec morte peribat*; idest illius mors, neque causam habuit à natura, neque debito naturæ contigit ordine.

Explicātur ea, quæ Fato non subijciuntur.

Hinc ea non subijciuntur Fato, quæ semper eodem modo fiunt, vt sunt defectus, seu Eclypses Solis, & Lunæ. Nomine enim Fati intelligimus vim quamdam versantem circa illa, quæ contrario modo possunt euenire, adeò vt viribus Fati redigantur ad illam partem, cui Fatū ipsum præest, & suffragatur; Quoniam verò Solis, & Lunæ del. quia aliter contingere nequeunt, Fato non subijciuntur. Neque etiam subduntur Fato, quæ possunt esse, & non esse, quemadmodū sunt ea, quæ ab intellectu, & voluntate humana proficiscuntur, & qualia sunt artificiata, quæ ab opifice, & condi possūt, & non efformari. Itaq; Fatum ea dumtaxat comprehendit, quæ plerumque fieri solent eodem modo, & talia sunt ea, quæ à natura producuntur. Idcircò Fatum, iuxtà Aristotelis doctrinam, definiendū est; Series causarum secundarum natura agentium, quę non impeditæ, certo tempore, & statuto modo suos producunt effectus, eosque ad proprios dirigunt fines. Ex quibus colligitur, iuxtà Aristotelis mentem, Fati energiam, non tantū causis efficientibus inesse, sed etiam materiæ, sine qua ipsæ nequeunt operari Vnde cum duplex sit Natura, Materia, & forma, illa passiuum, hæc actiuum principium, initio lib. 2. Physic., Fatum est attribuendum materiæ, spectata inclinatione, quam habet, ad suscipiēdam causalitatem efficientis causæ, agentis virtute formæ, quæ dicitur principium actiuum, & cui potissimum conuenit nomen, & ratio Fati. Contingit verò, quod naturales causæ aliquādo impediantur, ne possint suos producere effectus, iuxtà modum, & ordinem consuetum. Quare effectus, qui tunc eueniunt, non fatales, seu naturales dicuntur, sed fortuiti, vt sunt monstra, quæ definiuntur defectus naturæ aberrantis à fine. Impeditur enim natura, tum actiua, tum passiua, quinam dum animal monstrum producitur; Im-

Definitio Fati, ex Aristot.

Effectus fortuiti quinam dicuntur.

peditur actiua, à qualitate seminis, quod erit, vel nimis calidum, vel nimis frigidum, vel siccum; vel à quantitate eiusdē seminis, quod erit in maiori, siue in minori, quàm deceat quantitate. Impeditur etiam natura passiua, respectu virtutis formatricis in fœmina, in cuius matrice contingit aliquis defectus, propter quem fœtus, iuxta consuetū naturæ modum, non elaboratur.

Explicantur differentiæ fatalis, fortuiti, & casualis.

Sed ne oratio nostra ambiguitatibus, & æquiuocationibus laboret, explicāda est breuiter differentia inter id, quod dicitur fatale, fortuitum, & casuale. De fortuna, & casu egregiè disputat Aristoteles secundo Physic. 52. & distinguens fortunam à casu, asserit, quod fortuna est causa per accidens eorum, quæ rarò fiunt cum electione; Casus autem, sine electione; Propterea fortuitus euentus est, cùm aliquis fodiens terram, inuenit thesaurum, quandoquidem inuētio thesauri non erat finis fodientis terram; Casus autem est, cum equus currens impingit in puteum, in quem se præcipitē agit, & perit. Quare fortuna est respectu hominis, Casus autem respicit bruta, & etiam inanimata. Animaduertendum est, hos effectus dici fortuitos, & casuales, respectu causarum particulatium, à quibus producuntur, non respectu primæ causæ mouentis secundas, vt infra dicemus. Quare fatalis effectus, ad differentiam fortuiti, & casualis, ex Aristotele, est ille, quem natura per se intendit, & quem solet plerumq; eodem modo producere.

Defēditur Aristoteles à calūnia sibi à Theodoreto illata.

Hinc apparet calumnia à Theodoreto lib. 6. de curandis Græcor. affect. illata Aristoteli, cuius etiam meminimus in Aristotelica Disputatione. Putauit Aristotelem in potestate Fati, nō solum rerum naturalium generationem collocasse, sed etiam diuitias, paupertatem, felicitatem, & virtutes, & vitia; Quæ certè cùm non habeant principia fixa, & determinata in natura, quam Aristoteles constituit Fatum, sed dependeant à principio electionis, & à nobis liberè operantibus, non possunt ab Aristotele sub Fato collocari. Verba Theodoreti in disputat. Aristotelica prætermissa hic non sunt reticenda. *Nicomachi filius Aristoteles*, ait ille, *Lunā tenus putauit Dei prouidētiam rebus præesse, & ideò omnia, quæ infra Lunam continentur, minus Deum curare, sed eorum gubernationem tradidisse Fatorum necessitati, cui quidem tantum tribuebat, vt non solùm diuitias, paupertatem, prosperam valetudinem, morbos, bellum, pacem, sed virtutem quoque, & vitium ab hac diceret mortalibus dispensari.* Hunc errorem adscripsit etiam Aristoteli Pomponatius lib. de Fato, vnde satis mirari nequeo, virum Peripatetica doctrina cęteroquin excultum, hęc falsa aduersus Aristotelem pronunciasse.

Exponitur, & laudatur sententia Piccolominei de Fato.

Contrà verò eruditissimus Peripateticus Franciscus Piccolomineus grad. 2. Philosoph. moral. cap. 34. docens, Fatum à natura solum ratione distingui, & dici naturam, vt est rei essentia, & operis principium, dici autem Fatum, vt ordinem prouidentiæ subiectum includit, ostendit actiones liberas ab homine productas, iuxtà Aristotelica dogmata, à Fato non prouenire; & præsertim ab illo Fato cum quo Stoici ineuitabilem necessitatem copularunt; Compertissimum est multis in locis, Aristotelem humanam extollere libertatem, & præsertim lib. 3. Ethic. cap. 3. vbi tradidit, nos de his rebus consilium capere, quæ in nostra potestate constituuntur, & capite 5. asserit, nos pro libito posse honesta, & turpia sectari; & cum Virtus definiatur habitus cum recta ratione electiuus, quis non videt à Peripato alienissimum esse illud, quod à Theodoreto obijcitur, scilicet Aristotelem voluntarias actiones, vel à virtute, vel à vitio emanantes Fato subegisse?

Testimonia Aristotelis excludentia humanas actiones liberas à Fato.

His ita constitutis, affirmandum est, Mundi interitum, qui tamen ab Aristotele non conceditur, vt in disputatione Aristotelica ostēdimus, iuxta ipsius doctrinam de Fato, dici fatalem non posse; Etenim si Fatū, & natura vnum, & idē existunt, atq; ratione tantùm inter se distinguuntur, Mundi finis, cum respectu ipsius Mūdi, futurus sit omnino violentus, vtpote rerum naturalium corruptiuus, nō potest naturalis, nec consequēter fatalis appellari. Præterea Fatum cōstituitur ab eodē Aristotele in materia, varias induente formas, & hęc materia nil aliud est, quàm compago, & vnio elementorum, quæ cupiunt se in mixtis

Ex Aristotele finis Mundi non potest dici fatalis.

ad-

admiscere, ipsaq; componere; Quoniam verò, post Mundi finem, elemēta priuata erūt vsu, & exercitio qualitatum actiuarum, & passiuarum, vt suo loco dicam, neque amplius mixta conficient, fit, vt ille status elementorum, iuxta Aristotelis mentem, non sit naturalis, neq; fatalis. Accedit quòd series Fati posita est in causalitate secundarum causarum, tendentium ad generationem eorum, quæ vt plurimum, eodem modo producūtur, quales sunt rerū inferiorum generationes. Quare post Mundi finem, cessante motu Cæli, omnes deficient generationes, omnisq; causalitas, & virtus causis secundis, idest cælestibus corporibus, & elemētis adimetur. Igitur neq, finis Mūdi, neq; status, quem post finem Mūdus superstes assequetur, ex Aristotelis mēte, fatalis est nuncupandus, sed potius cōtingens; quoniam tunc causæ naturales à suprema diuina potestate impeditę, à proprio recedent fine, nec cōsuetos poterunt effectus producere; Quapropter illud, quod ex tali resultabit impedimēto, erit contingens, respectu rerum materialium, & causarum secundarum operantium. Quare Aristotelis doctrina de Fato, non solum nō suffragatur Stoicorum placito de Fatali Mūdi excidio, & incendio, sed potius ipsum destruit, & Stoicorum falsitati vehementer reluctatur. Quoniam verò veritatis regula est Theologica doctrina, vt magis Stoicorū errata reijciātur, falsaq; cognoscātur, statuēdum est, quid Theologicè sentiēdum est de Fato, & de fatali Mundi interitu.

CAPVT SEXTVM.

Explicatur vera Fati definitio, & natura, & aperitur iuxta quem sensum possit Mundi occasus, tum fatalis, tum contingens appellari.

THeologi Fatū abhorrent, sumpto tamen Fato in ea significatione, qua accipitur, pro ineuitabili rerum omnium, & etiam actionum humanarum necessitate, vt sumpserunt Stoici, & Chaldæi. Et Simon magus, qui, referente S. Clemente lib. 3. recognit. liberum negauit arbitrium, omniaq; Fato subiecit. Hunc errorem amplexatus est, ex hæreticis, Bardissianus quidam, putans etiam hominum cōuersiones, quæ immediatè à Deo proficiscuntur, sub Fato comprehendi. De qua hæresi mentionem facit Augustinus lib. de hæresibus, hæres. 35. & idem crimen sequuti sunt Priscillianistæ, ex eodem Augustino hæresi 70. & ex Alphōso à Castro, verbo, *Fatum*; Quæ hæresis Priscilliani in Concilio Bracharensi primo cap. 9. damnata fuit.

Heretici ineuitabilem necessitatem Fato attribuentes.

In hanc eamdem foueam lapsi sunt Manichæi, liberum arbitrium auferentes, negantesque, in homine aliquam esse facultatem, qua indifferenter bonū, & malum elicere potest. Ideò delirantes dicebant, in ipsomet homine duas esse animas, alteram à Deo bono principio emanatā, quam etiam Dei particulam, & substātiam impiè appellabant, & qua mediante, homo solum bonum, ex necessitate tamen appetebat, & operabatur; Alteram verò partem malam esse, & ex malo principio delibatam, cuius ope pariter homo, solum ex necessitate malum exequebatur, De quo crimine loquitur August. hæres. 46. & fatetur, se aliquādo hoc nefario flagitio confœdatum fuisse, quod testatur Epist. ad Honoratum; Porrò fidei christianæ lumine illustratus, aduersus hoc scelus libros de libero arbitrio exarauit, & acriter Disputationis arma contra Manichæos commouit. In hoc eodem freto naufragium fecit Petrus Abaillardus, referente Alfonso de Castro, lib. aduersus hæręs; verbo: *Libertas*, & verbo: *Futurum contingens*; & propter hanc hæresim in Cōcilio Constantiensi, sess. 8. art 27. damnati fuerunt Vuiteleffus, & Io. Hus; & tādem propugnatores huius hæresis fuerunt Lutherus, Philippus Melancthon, & Caluinus, ab Ecclesia damnati.

Manichæi & aly heretici necessitatem rebus humanis attribuentes damnati.

Hac

Hac igitur acceptione Fati necessitatem inducente ab Ecclesia profligata, & SS. Patribus, nimirum à Leone Pont. ep. 95. & Gregorio Pontif. homil. 10. in Euangelia, Theologi sub duplici acceptione Fatum admittunt, scilicet si pro Dei voluntate, & potestate sumatur; Vnde August. lib. 5. de Ciu. Dei cap. 1. hęc protulit: *Si propterea quisquam res humanas Fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem, Fati nomine appellat, sententiam teneat, & linguam corrigat*; Idcirco, iuxta hanc acceptionem, finis Mūdi, qui à Dei voluntate, & potestate profecturus est, & cuius Mundi renouatio erit diuinæ potentiæ effectus, hoc modo fatalis potest nuncupari.

Sub quibus acceptionibus Fatum à Theologis admittatur.

Finis Mundi quomodo fatalis appelletur.

Præterea cōsiderant Theologi, Deum ab æternitate, ante Mundi creationem, cuncta distribuisse, omnibusq; leges indidisse, quibus ad proprios fines dirigerentur; quam rerum dispositionem in mente æterni Opificis existentem, ipsius Dei prouidentiam appellant Theologi, cuius munus est omnia in proprios fines ordinare; Expletio autem, & executio illius æternæ dispositionis, locis statuta, & temporibus distributa, & executioni demandata, per causas secundas, idest per cælos, per Angelos, per dæmones, & per homines, Fatum appellant Theologi, affirmātes, omnia subijci Fato, præter humanam voluntatem, in quam aliqui ex ipsis asserunt, non directè, sed indirectè tantum, & per accidens agere corpora cęlestia. Hinc Fatum relatum ad diuinam mentem, dicitur prouidentia, relatum verò ad causas secundas, Fatum nuncupatur; Quod definitur à Boethio lib. 4. de consol. philosoph. prosa 6. *Inhærens rebus mobilibus dispositio, per quam prouidentia suis quæque nectit ordinibus.* Quorum verborum sensus est, Fatum esse seriem, ordinemq; causarum secundarum, sub diuina prouidentia constitutum, cum quo stat libertas humana, & rerum contingentia. Iuxta hanc acceptionem Fati, dicendum est quòd finis Mundi dupliciter spectari potest; Vel vt ipsius destructio ordinatur à Deo, ad fines ab ipsomet Deo prædefinitos, qui sunt implementum sedium cęlestium, ex quibus lapsi fuerunt rebelles Angeli, glorificatio corporum beatorum, cruciatus corporum damnatorum, vno verbo, præmia, & penæ; & hac ratione considератus finis Mundi, dicitur effectus diuinæ prouidentiæ, ita ordinantis res creatas in proprios, & vltimos fines. Si verò consideretur finis Mundi, vt est exequēdus, medijs causis secundis, quæ erunt Angeli, dæmones, astra, ignis, qui, iubente Deo, hanc inferiorem Mundi plagam depopulabitur, interitus Mūdi appellandus est fatalis, quatenus nimirum illa æterna diuinæ prouidentiæ dispositio, de Mundo, ob indicatos fines, destruendo, causis secundis exequenda committetur.

Explicatur quid sit prouidentia, & quid sit Fatum.

Definitio Fati à Theologis approbata.

Finis Mundi, quomodo dicatur effectus diuinæ prouidentiæ, & simul fatalis.

Vtique verum est Mundi occasum hoc modo spectatum, ineuitabilem, & infallibilem esse; nihilominus etiam cōtingens, & accidētalis nominari potest. Etenim, si consideretur, respectu voluntatis diuinæ, determinantis interitum Mundi tali tempore, & cum talibus circumstantijs, & quatenus est effectus à Deo præuisus, & volitus, non est ambigendum, ipsum omninò ineuitabilem, & infallibilem esse. Si verò spectetur Mūdi interitus per se, & in ordine ad causā præcipuam ipsum destructuram, quæ erit ignis, haud dubiè dicendus est contingens, quia accidet Mūdo destructio, & pariter continget igni superius data tanta potestas, vt Vniuersum demoliatur; nam si consideretur ignis, secundum suam naturam, & ordinariam causalitatem, prorsus accidet ipsi tantis pollere viribus, vt in omnia mista agat, imò in cætera elementa, ad illa destruenda, ad hæc purganda. Si verò sumatur ignis, vt est instrumentum diuinæ potentiæ, & vt per facultatem obedientialem dirigetur ad exustionem Mūdi, non dicetur ignis operatio contingens, & accidentalis, sed ineuitabilis, & infallibilis actio diuinæ potestatis. Itaque finis Mundi dicitur immutabilis, & ineuitabilis simpliciter, absolutè, non respectu fatalis necessitatis, vt falsò arbitrati sunt Stoici, sed respectu diuinæ voluntatis, & prouidentiæ. Dicitur verò contingens, respectu sui ipsius, cui accidit talis destructio, & respectu causarum materialium, & immaterialium, quæ ad illam, iubente Deo, conspirabunt destructionem. Consonat hæc assertio cum doctrina D. Th.

Finis Mundi ineuitabilis, & infallibilis, vnaq; cōtingens dicendus est


1. p.

1. p. quæst. 116. art. 4. docentis, fatale illud esse, quod causis subditur secundis, vnde infert, creationem, & glorificationẽ nullatenus Fato esse subiectas, quia immediatè à Deo, & nulla ratione à causis secundis proficiscuntur. Quapropter cum Mundi vniuersalis pernicies, ita disponente Deo, causis secundis demandanda sit, & subijciẽda, possumus in hoc sensu Mundi finem fatalem appellare, cũ qua acceptione cohæret contingẽtia excidij Mundani, quod respectu ipsius Mundi, & causarum secundarum, contingentis nomen nanciscitur. Et quoniam hoc Theologico fulgore Stoicorum caligines, de necessaria, & fatali Mundi ruina penitus disiectæ sunt, ad aliam Disputationem conficiendam transeamus.





DISPVTATIO ASTRONOMICA.





IN hac Disputatione duo prœmittenda sunt; Alterum, quod certum est, alterum, quod prorsus incertum, & dubium. Pro comperto habetur Cæli motum, post diem Iudicij, & Mundi finem vacationem perpetuam habiturum esse; Quod indicatur ab Isaia cap. 6. his verbis. *Non occidet vltra Sol tuus, & Luna tua non minuetur*; Quod certè euenire non potest, nisi luminaria vacent à motu; Idem fas est, ex Io. cap. 10. Apocalyp. argumentari, quo loco Angelus per viuentem in sæcula sæculorum iurat, quod post diem Iudicij, hominumq; resurrectionem, tempus non erit amplius, quod cum sit ipsi Cælo cōnatum, cessante tempore, cesset etiam motus Cæli necesse est. Hùc spectant verba cap. 4. Deut. quibus asseritur, Solem, Lunam, & Astra in ministerium cunctis gētibus esse creata; Quare cum post diem Iudicij, gentes motu Cæli indigere non debeant, eiusdem Cæli motus omninò deficiet. Suadet id ratio adducta à D. Thoma 4. Sent. dist. 48. & pri. par. quæst. 91. art. 2. vbi docet, motum circularem Cæli pertinere ad perfectionem ipsius Cæli, ex prœsenti statu generationis, & rerum corruptionis; Quoniam cum Cælum sit causa vniuersalis generationis rerum sublunarium, mediante motu circulari, suam in hæc inferiora exercet causalitatem; Verum post diem Iudicij, hominumque resurrectionem, inducto altero Mundi statu; hæc inferior rerum moles cœlorum vertigine non indigebit; Quæ propterea tunc, non solum ad ipsius perfectionem non pertinebit, sed etiam omninò inutilis erit, & superuacanea; Neq; putandum est, Cælum eo tempore passurum violentiam, quasi extra naturalem statum positum, quia videlicet feriabitur à motu; Etenim Cælum non habet ex se tam intrinsecam inclinationem, & naturalem ad motum circularem, vt ipso deficiente, in violento statu existat, quiescendo, sed Cælum suapte natura est indifferens ad motum, & quietem, solumque habet propensionem naturalem ad circularem motum, propter figuram, qua præditum est, globosam ad motū circularē prorsus idoneā. Addo, quòd Cœlum carens omni grauitate, & leuitate, à quibus qualitatibus elementa vel sursum euehuntur, vel deorsum feruntur, in orbem reuoluitur, quāuis ęqualiter aptū sit ad motū, & quietē accipiēdam, neq; violenter se habeat, vel motu priuetur, vel in orbem agitetur. Consentiunt Auicennas, Scotus, Albertus, Durandus, asserentes motum circularem, nec naturalem, nec violentum esse Cælo; sed de hac re fusius in secunda parte huius Tract. disputantes de statu Orbium Cælestium, post Mundi finem.

Illud, quod incertum prorsus, & dubium habetur in hac Disputatione, est Quæstio, à nonnullis excitata, An consummatio Mundi futura non sit, nisi primùm omnium Cælorum conuersiones absoluantur, & sidera redeāt ad eamdem positionem, quam in exordio Mundi habuerunt, cum à Deo fuere creata; Id verò *Primum quæsitum.*

in potissimum disputatur de motu Cæli siderei, videlicet, an cõpleto motu octaui Orbis, quo motu ad idem punctum redeat, à quo, initio Mundi, & sui cursus discessit, & quæ rotatio ab Occasu ad Ortũ multis sæculorum myriadis complectur, dies Iudicij futurus sit, & Mundus suum finem habiturus. Nam Cæli stellati vertiginem annum magnum Platonici appellarunt, in quo anno magno aliqui turpissimè errantes putarũt, quod renouabitur Mundus, & eadem redibunt, & reuertentur, quæ antea fuerunt, ducentes in prauũ sensum verba Ecclesiastis cap. 1. *Quid est quod fuit? Ipsum quod futurum est.* quæ verba interpretatur D. Augustin. lib. 12. de Ciu. cap. 13. scilicet quod de generationibus, alijs euntibus, alijs venientibus intelligantur: quare Augustinus reprehendit eos, qui putant eadem post multa sæcula redire his verbis: *Absit, inquit, à recta fide vt his Salomonis verbis, illos circuitus significatos esse credamus, quibus illi putant, sic eadem temporum, temporaliumq; rerum volumina repeti; vt v. g. sicut in isto sæculo Plato Philosophus in vrbe Atheniensi, in ea schola, quæ Academia dicta est, discipulos docuit, ita per innumerabilia retro sæcula, multum prolixis quidem interuallis, sed tamen certis, & idem Plato, & eadem Ciuitas, eademque schola, ijdemq; discipuli repetiti, & per innumerabilia deinde sæcula repetendi sunt. Absit, inquam, vt nos ista credamus.*

Ad hæc spectant ea, quæ tradidit Ficinus in Plotinum lib. 7. cap. 1. de anno magno, ita loquẽs. *Finita forma in anno Mundi magno gignuntur, in sequẽnti verò eadem reuertuntur, causis eisdem & videlicet reuertentibus.*

Tota series huius Astronomicę Disputationis in 4. Sectiones diuidetur. In prima disputabitur, an absoluto motu octaui Orbis, sæculorum eueniet consummatio; Qua occasione aliqua scitu digna de motu Cælorum, & præsertim octauæ Sphæræ referentur. Secunda Sectio continebit disputationem aduersus Thomam Campanellam, putantem Solem telluri ita appropinquare, vt aliquando futurũ sit tempus, quo approximatus, vniuersam hanc inferiorem Mundi molem absumat incẽdio. Tertia Sectio explicabit, qualis futura sit obscuratio Solis, & Lunæ, & quæ iuxta sacræ Scripturæ pronunciata, ante Mundi finem euenient. Quarta, lapsum, & ruinam Stellarum è Cælo comprehendet.

SECTIO PRIMA.

QVÆSITVM PRIMVM.

Explicatur iuxta communem Astronomicam doctrinam triplex octauæ Sphæræ motus: accusatur Clauius: approbatur noni Cæli deferentis inferiores Orbes ab Occasu ad Ortum: statuitur vnicum esse motum omnium Cælorum ab Ortu ad Occasum: recensentur opiniones diuersæ complementi motus Firmamenti, & tandem demonstratur, quod ipsius motu absoluto Mundus non interibit.

VVlgatum Astronomicæ doctrinæ pronunciatum est, triplici motu cælestes Orbes cieri; Alter dicitur motus raptus, alter naturalis, alter accessus, & recessus. Primum motum communem esse Firmamento, atque cæteris cælestibus Sphæris, tamquam exploratissimum, cum ab antiquis, tum ab aliquis recentioribus supponitur: est quidem controuersia inter ipsos, quidnam sit Cælum, quod Orbes inferiores ab Ortu ad Occasum circumuoluit: Etenim Aristoteles Cælum esse sydereum putauit: Quam assertionem sequitur Cremoninus lib. de motu Cæli, sect. 2. cap. 13. Ruuius de Cælo cap. 5. quæst. 2. Auersa de Cælo quæst. 32. Hurtadus de Cælo disput. 1. sect. 1. Arriaga disput. vnica sect. 4.

Ego tamen adhæreo opinioni eorum, qui sentiunt cum Ptolemæo primum mobile esse distinctum à Firmamento, tum quia, cum motus, qui dicitur raptus, ex eorum sententia, qui ipsũ admittunt, semper appareat in firmamento, non est putãdum, hãc sphęram violẽter hoc motu rapere se ipsam; sed quidem à Cælo sibi superiori rapi, & agitari; tũ quia motus primi mobilis ab Oriente ad Occidẽtem, spatio 24. horarum, debet esse inuariabilis, & mensura certissima, cum vero motus octauæ Sphæræ varietur, vt mox dicemus, quoniam Cælum stellatum non complet perfectè suum circulum, spatio 24. horarum, sed paulũ retrò manet, & per trepidationem, vel librationem inflectit ad Polos, vt cõmunibus vtar Astronomicis verbis, fit, vt alterum Cęlum sit supra ipsum, quod motu inuariabili, & semper vniformi, aliorum est mensura certissima 24. horarum spatio suam rotationem absoluens.

Alter verò motus, qui dicitur Naturalis, existimatur ille, quo cælestes Orbes ab occidentali ad oriẽtalem plagam mouentur; Quem motum contrariũ esse motui, quo eædem Sphęræ ab Oriẽte ad Occidẽtem mouentur, aliqui arbitrati sunt, alij verò opinantur, hos duos motus verè, & formaliter inter se contrarios non esse, tum quia fiunt super diuersos Polos, nam motus raptus fit super polos Mundi, motus autẽ naturalis fit super polos Zodiaci, tum quia conficiuntur per diuersas lineas circulares, siquidem ille, qui dicitur raptus, per circulum Æquinoctialem; naturalis autem per circulum Zodiacum peragitur; Ideò cum motus contrarij tantum sint illi, qui ad vnum punctum fixum referuntur, ita vt vno motu ad illum accedatur, & altero motu ab illo recedatur, fit, vt hi duo motus non sint propriè contrarij, quoniam Planetæ, qui mouentur à primo mobili ab Oriente ad Occidẽtem, non recedunt ab Occidente, & ipsum deserunt, vt ad Orientem reuoluantur, sed dicuntur dirigi ab Occidente in Orientẽ, quia mouentur in signa oriẽtalia percurrenda, vt subtilissimè interpretatus est P. Clauius in Sphæra de Sacrobosco. Quin Alpetragius Arabs in suis Theoricis putauit, quòd verè, & realiter vnus est motus omnium Orbium, scilicet motus ab Oriente in Occidentem, factus a primo mobili, tamen multiplex motus dicitur, respectu plurium mouentium; Nam vnus motus fit à primo mobili, alter ab eccentrico Circulo, qui retardat motum planetarum ab Oriente in Occidentem. Idcircò Cęli inferiores ab Ortu in Occasum, à primo mobili mouentur, sed cum hoc discrimine, quod primum mobile complet suum motum diurnum, spatio 24. horarum, & transit à puncto Orientis ad punctum Occidentis, at Orbes inferiores retardant suos motus, sed diuersis modis, ex qua diuersa retardatione, oriuntur diuersa temporum interualla, quibus Planetæ, & Firmamentum dicuntur suas absoluere periodos, & de quo interuallo potissimùm, respectu octauę Sphęræ, mox dicemus. Circa quem motum diuersę extitere Astronomorum sententiæ, nam Ptolomæus putauit octauam sphæram singulis annis centum, gradum vnum conficere, atque ita suam absoluere reuolutionem in annis 36000. Albatenius in annis 66. arbitratus est, firmamentum conficere vnum gradum, & ipsius motum compleri in annis 23760. Tycho Brahe putauit, idem Cælum vnum gradum percurrere in annis 70. mensibus 7. & integrum cursum absoluere in annis 25200. Solus Alphonsus Rex Hispaniarũ, nescio qua ductus ratione, arbitratus est, hunc motum compleri in annis 49000. Hinc satis mirari non possum P. Clauiũ, qui putauit decem esse Orbes cęlestes, decimũ esse primum mobile, deferens Planetas, & firmamentum ab oriente ad occidentem, nonum verò Orbem reuoluere ipsos Planetas, & firmamentum ab occidẽte in oriẽtem; Quæ etiam fuit opinio Alberti Magni lib. 2. de Cælo tract. 3. cap. 11. & tale Cælum chrystallinum fuit appellatum, quamuis alij inuexerint Cælum chrystallinum, propter motum trepidationis, siue accessus, & recessus, tum Cælo sydereo, tum Planetis competentem. Quin Maginus lib. 1. cap. 2. & 3. Theoric. Planet. talem motum putauit perfici per duos Cælos distinctos. Sed quicquid sit de numero Cælorum, assero motum nullum esse, sed tantum apparenter, ideòque Clauium cęteroquin pręstantissimum Mathematicum decipi ponentem pro tali motu nonum Cælum.

Diuersa tẽpora motus firmamenti inducuntur.

His explicatis, quæstio est, de motu,

quo firmamentum redit ad primum punctum Orientis; à quo initio Mundi discessit, & disputatur, an completo interuallo annorum vel 36. mill. vel 23770. vel 25200. vel 49. mill. qui sunt termini ipsius circumrotationis, naturaliter finis Mundi, & seculorum consummatio euenire debeat. Non enim sermo est de motu accessus, & recessus, seu trepidationis, quem octauæ Sphæræ, & cæteris conuenire Planetis communiter asseritur, & quo motu Aplanes, nunc accedit ad polum Arcticum, & ab Antarctico remouetur, nunc à polo Arctico discedit, & ad Antarcticum accedit, quam latitudinem, & periodum nõnulli asserunt compleri spatio 7. mil. annorum, sed solum, vt dixi, quæstio est de motu naturali ipsius octauæ Sphæræ, quo absoluto, aliqui perperam putarunt, Mundi consummationem futuram esse.

Primo loco animaduertendum est hãc opinionem falso niti fundamento, nimirum, quod Sidera, quæ mouentur proprijs conuersionibus ad eamdem omninò positionem redire possint, quam habuerunt in Mundi primordijs, cum à Deo creata fuere. Etenim Astronomi vnanimiter docent, orbium cælestium motus inter se prorsus incommensurabiles esse, & per anomalia, seu motus irregularitatem, vel Cælum sidereum, vel cæteros Errones numquam ad idem punctum, & positionem, quã semel tenuerunt, posse reuerti. Sed esto quod idem attingant punctum, à quo in principio sui motus, & creationis discesserunt, quæro, an Firmamentum, postquam reuolutum fuerit ad idem punctum, prosequetur suum motum, vel ipsum interrumpet, & quiescet. Si dicatur, ipsum non vacaturum esse à motu sed rursus renouaturũ esse suum cursum; peto causam, propter quam, non cessante motu Firmamenti, nullaque existente in ipso mutatione contingere debeat, adeò ingens in Mundo superiori, & inferiori, catastrophes, vt superior Mũdus, nimirũ cælestis in alijs orbibus feriatur à motu, inferior verò in interitum delabatur, & postea in meliorem formã reparetur. Quare cum nulla, nec vera, nec probabilis afferri possit causa, ob quam reuertente octaua Sphæra ad primum pũctum, à quo suum inchoauit motum, finis Mundo sit imponendus, id prorsus inane figmẽtum æstimandumm est; Si verò asseratur, Cælum sidereum, postquam assecutum est primum punctum, à quo sui motus primordia duxit, quieturum esse, afferenda est causa, propter quam illa Sphæra, sua completa circumrotatione, cessare debeat à motu. Etenim Corpus mobile desinit moueri, vel quia cessat influxus, & efficientia causæ mouentis, vel quia patitur in seipso aliquod impedimentum, & alterationem, propter quam desinit moueri. Vel tandem, quia reperit resistentiam in medio, per quod mouetur. Sed propter nullam, ex tribus his causis, Firmamentum, completa sua circumrotatione, naturaliter quiescere debet: igitur ex negata ipsius quiete, & motus vacatione, tanta in vniuerso Mundo mutatio contingere nequit. Ipsum autem Firmamentum cõpleto motu quiescere non debere itademonstratur. Causa mouens Firmamentum, quod ab Arist. æstimatum fuit primum mobile, est primus Motor, idest prima Intelligentia, & Deus ipse, à quo æterno motu cælestem illum veri orbem perperàm ipse Arist. putauit. Hæc prima causa, cum liberè agat, vtiq; potest à motu Firmamenti se abstinere; sed quoniam Arist. existimauit, primam causam æterno tempore mouentem, agere, quod impium est, ex necessitate Naturæ, vt in disputatione Peripatetica fuit à nobis disputatum, sequitur iuxta Arist. sententiam, causam primam, numquam non moturam esse; Quoniam verò sententia, & veritati, & Theologicæ doctrinæ cõsona est, quod non Deus immediatè, sed quidem secunda Intelligentia; vel Angelus mouet orbem sidereum, quemadmodum cæteri orbes ab Angelis reuoluuntur, dicendũ est, Angelum numquam desiturum esse mouere octauam Sphæram, nisi prima Intelligentia iubeat firmamentũ nõ quiescere, respectu causæ mouentis vacãtis à motu, vnde quietem statuere cælorum, est extra limites Naturæ, & nostra quæstio est, an naturaliter quiescente octaua Sphæra, Mundus habiturus sit finem; nam sicuti finis Mundi est supernaturalis, ita etiam supernaturalis erit ipsorum cælorum quies; ergò naturali lumine quietem cælorum attingere non potentes, fautores huius sententiæ, nequeunt etiam asserere, ex

quiete octauę Sphęræ, propter reuolutionem, & recursum ad primam positionem, prosecturam esse Mundi consummationem. Neq; respectu ipsius mobilis deficiet motus Firmamenti, eo quia in seipso aliquod impedimentũ, siue alterationem patiatur, quia non est admittenda, iuxta Arist. placita, aliqua passio, & alteratio in corpore cælesti, cuius alterationis omnino expertes Aristoteles cælestes orbes constituit; præterquam quod concipi, aut fingi non potest, quænam futura sit alteratio inducta, vel impedimentum, aduenięns Cælo stellato, postquam suũ absoluerit cursum; Neq; tandem per resistentiam aut repugnantiam in medio repertam quiescere potest naturaliter Aplanes, quoniam medium, quod percurrit suo motu, vt infrà clarius explicabo, est expansum quoddam, ferè immensum, plenum subtilissima, & peruia substantia, quæ aura ætherea à recentioribus nuncupatur, quæq; nullam repugnantiam inferre potest, vel ipsi Cælo sidereo; vel planetis, qui per ipsam reuoluũtur, quandoquidem suapte natura est rara, permeabilis, fluida, nec potest ita cogi, vel condensari, vt resistentiam faciat orbibus, per ipsam vel se mouentibus, per scientiam motus inditam, vt loquitur Tycho, vel vt verius, & satius dicendum est, per ipsam motis, à proprijs Intelligentijs assistentibus. Itaq; ex dictis patet, quod, vel octaua Sphæra, absoluta sua periodo quiescat, vel non, contingere nequit tam magna in Mundo catastrophes, vt inferiori Mole deleta, nouus Mundus renascatur. Quæ omnia cum eleganter, ex more, confirmata sint à Pererio comment. in Genes. lib. 2. cap. 1. quæst. 6. placet eius verba hìc referre. *Quod autem nonnulli dixerunt, non prius fore consummationem Mundi, quam proprys omnium calorum conuersionibus absolutis, ad eadem sidera omnia positionem redeant, quam habuere olim in exordio Mũdi, cum sunt à Deo creata, duplici argumento refellitur; Nam compluribus viris doctis fit admodum verisimile, & Nicolaus Copernicus Mathematicis, nec dubys, vt credit ipse, rationibus probauit, motus orbium calestium esse inter se prorsus incommensurabiles, vt nec simul omnes vnquam perfici, nec ad eamdem positionem, quam semel tenuerunt Astra, reuerti queant; Deinde proprius octaui Cæli ab Occasu ad Ortum motus, non ante sex, & triginta annorum millia, si quidem creditur Ptolemao, compleri potest: Non est autem credibile, nec dum exactis ab orbe condito, vsq; ad huc sex mille annis, restare etiamnum ad diem vsq; Iudicij triginta annorum millia, prasertim; cum manifestè doceat Sacra Scriptura, Dominum nostrum esse incarnatum, extrema Mundi atate, & in nouissimis diebus, atq; vt Paulus ait; in fine seculorum, quia etiam, sicut loquitur Io. In nouissima hora*: Hæc Pererius, qui subdit, Cæli motum à Deo institutum fuisse, non vt per eum, aut, quod deest Cælo, acquiratur aut quod inest, conseruetur, sed propter hominum generationem, potissimè autem Electorum, qua generatione in die Iudicij completa, cælestis motus, tamquam inanis, & superuacaneus, vlterius non producetur. Id autem non eueniet ex causa naturali, sed ex completo numero electorum, quæ prorsus est causa supernaturalis. Quò fit, vt intellectus hũmanus, vel ex absoluta reuolutione ad primum punctum octauæ Sphærę vel ex ipsius quiete, & motus vacatione, occasum Mundi, eiusq; renouationem nequeat argumentari.



QVÆ-

QVÆSITVM SECVNDVM.

Disputatur aduersus Campanellam, quod falsa sit appropinquatio Solis ad Tellurem, propter præcedentiam Æquinoctiorum, de qua, necnon de varietate ipsorum disseritur, & allata vera causa anticipationis Æquinoctiorum, explicatur modus, quo ab Astronomis rectè dicitur Sol appropinquare Telluri, & ab ipsa elongari, qua occasione tractatur de eccentricis, & epiciclis, & multa Astronomica pronunciata considerantur, atq; obiter expenditur causa renouati anni à Gregorio XIII. Et tandem concluditur, cataclysmum per ignem naturaliter secuturum non esse, propter Solis proximitatem.

FR. Thomas Campanella Calaber ex S. Dominici Familia, lib. de Sēsu rerum, & Magia, cap. 13. referēs suam sententiam explicatam in 4. libris, quos de re Astronomica contra Aristot. Telesium, Ptolemæum, & Copernicum se asserit scripsisse, & Cortesio discipulo indicasse, affirmat, se in illis libris ostendisse perpetuò Solem descendere deorsum magis, ad cremādam Tellurē, ideòq; non semper ab Æquatore ad Tropicos excurrere grad. 23. & min. 28. semperq; obliquitatem defecturam, quoniam propè terram arcus est angustior, nec sursum reuersurum esse aliquando, vt Copernicus sentit; Numquam enim, ait ipse, obseruatū est, ipsum ascendere, sed descensum modo tardare, & à Ptolemæo ad nos descendisse 31. parte, ac dimidia ferè, easdemq; ob res anticipari Solstitia, & Æquinoctia; quæ in antecedentia feruntur. Vnde infert, quod ipse prædixit, Mundi mortem per ignem, sicut Heraclitus sensit, & S. Petrus prophetauit. Hæc sunt ferè ipsius verba lib. commemorato relata, quæ etiam fermè repetit lib. 1. Astrologicorum cap. 5. art. 1. vbi tradit, Solem præuenire Æquinoctia, vel quia fixę Stellę in posteriora etiam tardissimo feruntur motu, vti placet Ptolomaicis, aut quia Æquator est in Tellure, & inclinatur ad Zodiacum, vt Copernicеis videtur, aut quoniā Sol angustiores circulos propinquior telluri factus describit, & idcircò præuenit sectionē Æquatoris; Quare ex ipsius pronunciatis, addita ignea caliditate, quam idem Campanella lib. 3. de sensu rerum cap. 1. soli attribuit, contendit inferre, Solem naturaliter terram comburendo, cataclysmum per ignem productū esse.

Hæc sententia, quamuis falsa, est tamen viri acri ingenio, & omni scientiarum genere cumulatissimi, quem Romæ agnoui, & sepè allocutus sum, admirans vberrimam, qua rerum omnium affluebat, cognitionem; Ideò prouinciā satis dignam me aggressurum puto, si huius Doctoris sententiā ad accuratam disputationis trutinam reuocabo. Et primùm quidem miror, ipsummet, pro confirmatione sui pronunciati, non attulisse illud, quod traditum fuit à Cæsalpino lib. 3. quæst. Perip. scilicet in campo Martio olim fuisse obeliscum, cui Augustus addidit mirabilem vsum, ad deprehendendas Solis vmbras; & dierum, ac noctium magnitudines; Verum non multa post tempora, cæpit eadierum obseruatio minus congruere; quod indicare videtur mutationē factam in cursu Solis, quamuis Cæsalpinus eam mutationem attribuat cuidam motui terræ perperam ab ipso excogitato.

Tota vis mūdani incendij, ex Campanellæ sententia, naturaliter euenturi, in approximatione Solis ad tellurem posita est; quam propinquitatem vnico veluti præsidio, idest præcedentia Æquinoctiorum, & Solstitiorum communire conatur; Quapropter hæc præcedentia à nobis accuratè est examinanda, cum ab ipsius recta notitia appropinquantis Solis vanissima, & falsissima assertio deprehendatur. Et quoniam fundamentum hypothesis Campanellæ, est æquinoctiorum præceden-

dentia, primò loco quærendum est, an verè talis præcedentia sit admittenda: Pro qua re Tycho Brahe Danus præstantissimus Astronomiæ instaurator lib. 1. Progymnas; varios Solis ingressus in æquinoctialia puncta recenset, quæ talem habent inter se diuersitatem, vt æquinoctia modò præcedere, modò tardare videantur. Etenim obseruat anno Domini 1584. Vernale æquinoctium contigisse die 9. Martij h. 21. m. 30. Anno sequenti 1585. factum fuisse, die 10. Martij h. 3. m. 19. Anno 1588. rursus factum fuisse die 9. h. 20. m. 45. Eadem varietas est ab ipso obseruata in Autumnali æquinoctio, quod incidit anno 1584. die 12. Septembris h. 16. m. o. & anno 1586. die 13. hora 3. m. 38. & anno 1588. rursus die 12. h. 15. & m. 15.

Obseruat idem Tycho, Annum tropicum inæqualitatem quandam præseferre, propterea ab Hipparcho ad Ptolomæum, alia huiusce anni apparet magnitudo, quàm à Ptolomæo ad Albatenium, & ab vtrisq; ad nostra tempora, vt videre est in tabella ab eodem Tychone efformata; Adsunt nimirum varietates, non quidem in diebus, cum omnes dies anni tropici, vel solaris sint 365. neq; in horis, cum semper fuerint quinque, sed diuersitas est in minutis, & secundis, cuius variationis, & inæqualitatis causa ab Astronomis cōsideratur; Etenim annus solaris eamdem non habet magnitudinem, & in suis circuitibus variatur, modo diminutus, modò auctus, iuxta irregularem motum Solis in Eccentrico, quem motum vocant Astronomi argumentum medium, vel mediam anomaliam Solis annuam, & iuxta etiam inæqualem motum Sphæræ inerrantium. Hinc licet cum Copernico diuidere annum in Sidereum, & Tropicum, seu temporalem. Sidereus annus est illud spatium temporis, quo Sol suo integro curriculo absoluto reuoluitur ad eãdem Stellam fixam, à qua primum discesserat; Cuius anni variatio tribus causis attribuitur à Magino lib. 1. cap. 10. Theoric. Planet; scilicet Apogæo medio extremi orbis, quod Apogæum progressu temporis in diuersas fertur Zodiaci partes; similiter adscribitur Apogæo vero, quod singulo anno inæqualiter mutatur, propter annuum motum anomaliæ ipsius Apogæi; & tandem causa est permutatio Eccentricitatis Solis, quæ est variatio Centri eccētrici, propter motum orbium anomaliæ Apogæi. Quare, propter has causas reditus Solis ad aliquam Stellam fixam, à qua discesserat, continuò variatur. Conspicitur in anno Tropico, seu Temporali eadem varietas, ab eisdem causis producta. Nam cum annus Tropicus sit ille, quo Sol totum percurrens Zodiacum, reuertitur ad idem punctum Æquinoctij vernalis, à quo annus sumpsit initium, & hic annus semper minor sit anno sidereo, fit vt hæc inæqualitas referatur ad motum octauæ sphæræ, relatum ad puncta æquinoctialia, & solstitialia, propter æquinoctiorum librationem, ob quam octauus orbis, modò citius, modò tardius ab æquinoctijs, & solstitijs apparentibus progredi videtur.

Neq; prætermittenda est ad variationem in motu Solis indicandam, alia Tychonis obseruatio, qua animaduertit, Solem ab initio Arietis ad medium Tauri progrediendo, conficere dies 46. horas 3. m. 35. Præterea à medietate Leonis vsq; ad principium Libræ absoluere dies 46. h. 8. m. 50. & tamen cum signa Zodiaci sint æqualium partium, scilicet habeāt triginta gradus longitudinis, idem tempus impendere debet Sol à principio Arietis ad medium Tauri, quale insumit à medietate Leonis ad principium Libræ; Nihilominus apparet differentia in itinere Solis horarum 5. & min. 15. ab vno ad alterum signum. Ex quibus apparet Solem in suo motu, modo velocem, modo tardum esse. Et hæc prænotasse volui, vt sternerem mihi viam, ad veram aperiendam causam, propter quam præcedūt Æquinoctia; Quorum differentias obseruauit etiam Christianes in sua Astronomia Danica lib. 1. Theoric. cap. 2. in examine æquinoctiorum Hipparchi, de quibus tabellam efformat, qualem etiam constituit in examine æquinoctiorum autumnalium Ptolomæi. Notandum tamen est; varietatem ab Hipparcho consideratam, non esse semper referendam in anomaliā Solis, sed in refractionem eiusdem Solis in Alexandrino Horizonte, quæ Autumnale æquinoctium retardabat, Vernale verò promouebat in eodem examin. num. 2. Hinc ipse composuit tabellam ingressuū Solis in singula eclypticæ dodecatome-

ris, & in 4. puncta cardinalia, ad initium trium sæculorum, scilicet 1500. 1600. 1700. ex qua tabella apparet Solis ingressum in signa Zodiaci, & præsertim in cardinalia, velociorem fore vltimo seculo, quam fuerit in præcedentibus; atque hinc inferre posset Campanella verè Solem appropinquare telluri, breuiores circulos circa ipsam efformare, & tandem sua propinquitate eamdem tellurem inflammaturam esse; Quod prorsus à veritate alienum demonstrabimus, si veram causam præcedentium Æquinoctiorũ indagabimus; necnon modum, quo Sol in suis motibus modò præcedere, modò tardare videtur; absq; eo, quod motus à sua sede, vt putat Campanella, telluri appropinquetur.

Atq; vt hinc exordiar; si Æquinoctia spectãda essent ex positione Circuli equinoctialis in tellure constituti, vt supra innuit Campanella, facilè esset causam afferre varietatis Æquinoctiorum; etenim id supponit falsam opinionem Dominici Mariæ Ferrariensis, Magistri Nicolai Copernici, quod moueatur æquinoctialis circulus in tellure, quemadmodum Poli mouentur; Etenim Ferrariẽsis reprehendens Ptolomæi sententiam in sua Geographia, asserit, se inuenisse eleuationes Poli borealis à Ptolomæo positas gr. 1. & min. 10. suo tempore mutatas esse; Quam diuersitatem adscribit ipsorum Polorũ motioni, non Tabulis Astronomicis; in quibus aliquando contingunt errata, putat siquidem Polum Boreum versus punctum verticale habitantium delatũ esse; Quod probat exemplo petito à freto Gaditano, vbi inquit, quod tempore Ptolemæi, Polus boreus ab Horizõte gr. 36. cum quarta eleuatus erat, postea verò gr. 37. ac duplici quinta eleuatus apparuit; Quare infert hic Author, quod ex hoc Polorũ motu, ea, quæ hunc habitantur loca, fient deserta, & similiter, cùm ad motionem Poli moueatur æquinoctialis, consequetur aliquando, vt habitatores, qui sub Zona torrida summo vrgẽtur æstu, per aliquot annorum myriadas, summa frigiditate premantur. Itaq; ex motione æquinoctialis, & polorum in globo telluris, si vera esset hæc sententia, diuersitas æquinoctiorum oriretur. Sed omnia de motu telluris, vel secundum totum, vel secundum partem, grauissima sunt errata, tum sacræ Scripturæ, tum Sanctæ Ecclesiæ decretis reluctãtia. Vide hac de re disputantem Gilbertum lib. 6. de Magnete cap. 2. qui cap. 9. de præcessione æquinoctiorum verba faciens, asserit mutationem ipsorum, nõ semper æqualem esse, sed modò celeriorem, modò tardiorem apparere, quoniã Poli telluris in circulo Arctico, & Antarctico inæqualiter incedũt, & à media via, vtrinq; declinant. Ideò acriter reprehendendus est Copernicus lib. 3. reuolutionum cap. 1. existimans, per motum librationis terræ, alterabilem esse Eclypticæ & Æquatoris obliquationem, constituens Æquatorem in tellure inclinatum ad Zodiacum; & quo motu librationis censet Polos terrestres, circellis quibusdam, longo temporis tractu circumlatos, obliquitatem æquatoris ab Eclyptica variare, atq; ita præcedere equinoctia; quæ omnia nullatenus sunt admittenda, vt pote innixa falsæ mobilitati terræ, cui ipse annuum, diurnum, & librationis motum attribuit, à sacro Codice, & Ecclesiæ sanctionibus profligatum.

Dominici Mariæ opinio.

Gilberti opinio.

Copernici hypothesis.

P. Clauius comment. in 1. cap. sphæræ de Sacrobosco attribuit anticipationem æquinoctiorũ motui trepidationis octauæ Sphæræ; Nam posito hoc motu, quo stellatus Orbis, modò à Septentrione in Austrum, modò ab Austro in Septentrionem declinat, fit vt duo Tropici patiantur & ipsi mutationem, & consequenter in ipsis mutatio & æquinoctiorum, & solstitiorum appareat. Quoniam verò obseruatum fuit, æquinoctia accidisse, antequam Sol ad Ariete accederet, aut ad Libram; imo postquam aliquando iam percurrerat principium Arietis, aut Libræ, & eodem modo contigerunt solstitia, etiam si Sol non extiterit in principio Cancri, vel Capricorni, aliunde hæc diuersitas non oritur, ait ipse, quam à motu trepidationis octauæ sphæræ.

Clauij opinio.

Sed nõ reprobata hac ratione viri de re Astronomica optimè meriti; aliam clariorem, ac magis adæquatam fas sit causam perscrutari. Astronomico calculo constitutum est, intercedere inæqualitatem inter annum Romanum, siue Iulianum, siue Ciuilem, & annum Astronomicum; Siquidem annus Iulianus à Iulio Cæs. ita dictus, quia ipse Cæsar illum insti-

Anni Iuliani differentia ab Astronomico. stituit, opera Sosegenis Astronomi excellentissimi, quem secum ex Aegypto, circa annum ante natum Christum 47. pro Kalendario suo efformando Romam adduxit, paulò maior est iusto, & vero anno Astronomico; Quandoquidem annus ciuilis, preter dies integros 365. constat horis sex; Astronomicus autem constat diebus 365. h.5.m.49. Quare cum annus ciuilis sit paulò maior Astronomico, cõsequitur, vt citius absoluatur Astronomicus, quam ciuilis, ideò Sol suo vero motu, paulò prius Æquinoctium tangit, quam idem æquinoctium per annum ciuilem denotetur; Et quemadmodum sex horæ in anno ciuili, in quatuor annis cõputatæ, diem integrum conficiunt, vnde quolibet quarto anno intercalatur dies integer, & annus bissextilis appellatur, ex diebus 366. cõflatus, ita additio vnius horæ, quæ in Astronomico non adest, facta in anno ciuili, quamuis singulis annis exigua sit, tamen in pluribus simul collectis annis, ita augetur, vt illa hora 6. addita à Iulio Cæsare anno ciuili, in cursu annorum 134. constituerit integrum diẽ, & per plures 144. annos multiplicata, confecerat numerum dierum decẽ. Quare tempore Concilij Nycæni, anno Christi 325. celebrati, Vernale æquinoctium *Correctio anni Gregoriana.* incidebat die 21. Martij, vt etiam à Iulio Cæsare in sua anni instauratione fuerat institutum; at tempore Pontificatus Gregorij XIII. inter quem Pontificatum, & Nycænum Concilium lapsi erant anni 1265. anticipabat æquinoctium ferè diebus decem, Vernale siquidem decurrebat die 11. Martij, & Autumnale die 14. Septembris, & solstitiũ Æstiuum incidebat in diem 12. Iunij, & Hybernum in diẽ 12. Decembris; Vnde Pontifex accuratissimo Astronomorum, & præsertim P. Clauij adhibito consilio, decem abstulit dies ab anno 1582. & dies quinta Octobris illius anni vocata fuit dies decimaquinta; atque ita Æquinoctia, & Solstitia sequentis anni reuersa sunt ad pristinas sedes, in anno Iuliano institutas, scilicet quod æquinoctium Vernale contingat die 21. Martij, Autumnale die 24. Septembris, solstitia verò die 22. Iunij, & Decembris. *Aequinoctiorum tempora.* Quoniam verò adhuc annus Ciuilis, quo vtitur Ecclesia, superat annum verum Solis min. 10. vnius horæ, & secundis 44. propterea totidem minutis, & secundis, quolibet anno, æquinoctia anticipant sedes suas, nam quando Sol ad idem punctum æquinoctij aut solstitij reuertitur, desunt ad annum Romanum cõplendum dicta min. 10. & secunda 44. Propterea in annis 400. Æquinoctia, & Solstitia præcurrent sedes suas, tribus integris diebus. Quapropter, ne Solstitia, & Æquinoctia adnotatos in Kalendario Romano dies amplius imposterum anteuertant, idem Summus Pontifex statuit in annis quadringentis, tres annos Bissextos *Omissio Bissext.* omittendos esse, idest tres annos, qui deberent conflari diebus 366. æstimandos esse pro annis conflatis ex diebus 365. Ex dictis apparet manifestò, quod si anni Romani quantitas adamussim, & adæquatè congrueret cum vero motu annuo Solis, nulla esset anticipatio Æquinoctiorũ, aut Solstitiorum, sed semper eodem modo, & ijsdem anni diebus recurrerent; ex quo etiam patet, quod nisi Kalendarium Romanum, eo quo diximus modo, correctum esset, prorsus contingeret illud, quod P. Clauius animaduertit in cap. 2. Sphæræ, nimirum, quod in spatio annorum 24500, Æquinoctia, & Solstitia sedes inter se inuicem permutarent, adeò vt Vernale Æquinoctium incideret in Septembrem, Autumnale in Martium, Brumale Solstitium in Iunium, Æstiuum in Decembrem. Itaq; iuxta hunc primum explicationis modum, anticipatio Æquinoctiorum non est attribuenda, vt perperam existimauit Campanella, propinquitati Solis ad tellurem, sed inæqualitati, quæ inter annum Ciuilem, & Astronomicum intercedit.



SECTIO SECVNDA.

QVÆSITVM TERTIVM.

Disputatur de Eccentricis, & EpycicIis, & ostenditur per motum Solis in suo Eccentrico Æquinoctia variari, & Solem per talem motum, Telluri quidem appropinquare, sed non per mutationem sui Orbis à propria sede, vt sensit Campanella. Multa obiter astronomica dogmata explicantur.

OCcurrit alius modus subtilis quidem, & accuratus, quo tum anticipatio Æquinoctiorum, tum propinquitas Solis ad tellurem explicatur, diuersa tamen propinquitas ab illa, quam falsò Campanella excogitauit. Pro cuius modi explicatione, supponendum est id, quod tradiderũt antiquiores Astronomi, Ptolemæus, Alphraganus, Thebit, & alij, scilicet vnumquodque Cælum tribus orbibus, seu circulis conflatum esse, duobus scilicet extremis, & vno medio, qui duo Orbes extremi, habentes vnam superficiem, centro Mundi concẽtricam, & aliam eccentricam, appellantur eccentrici secũdum quid, Orbis autem medius habens ambas superficies eccentricas, dicitur simpliciter eccẽtricus; Vnde in hoc Orbe, qui dicitur deferens astrum, constituitur Planeta, & pariter ponitur Epycicus, qui est Sphærula parua, immersa in crassitie circuli deferentis eccentricum, ita tamen, vt non sit tali circulo alligata immobilis, sed in seipsam circa proprium suum Centrum reuoluatur, suasq; reuolutiones certo tempore perficiat; Propterea cum in latere Epycicli infixus sit Planeta, fit vt reuolutione eiusdem Epycicli, etiam varietas in motu Planetæ deprehendatur; nam dum Planetæ sunt in auge, vel apogæo Epycicli, sublimiores apparent, & à terra remotiores; cum verò sunt in perygæo, vel in imo augis, humiliores videntur, & terræ viciniores. Notandum tamen est circa Epycicium Lunæ, vt hæc obiter dicam, repetiri magnam discrepantiam inter doctrinam Copernici, & Magini; Etenim Copernicus putat sphæram Lunæ ex quatuor orbibus esse constructam, quorum duo sunt homocentrici, duo autem sunt Epycicli in illorum ambitu descripti; primus dicitur circulus nodorum Lunæ; qui defert caput, & caudam Draconis, secundus qui infra hunc locatur, defert duos Epyciclos, in quorum primo, & maiori ponitur secundus Epycicius, qui lunare corpus desert, & circumuoluit. Primus Epycicius, ex sententia Copernici, aduersatur motui sui deferentis, & mouetur ab Ortu in Occasum; Secundus autem Epycicius contrarius est motui Epycicli primi, & ab Occasu in Ortum mouetur. Ego amplector sententiam Magini lib. 1. de Theoric. Planet. constituentis solos eccentricos in lunari sphæra, eò prorsus modo, quo in Sole posuit, putans luminarium amborum sphæras in circulorum ordinatione esse æquales, nec non à cæterarum errantium Sphæris esse diuersas; Ideò excludit Epyciclos, non solum, quia si Luna in illo duplici Epycicio volueretur, Lunæ maculæ aliquando viderentur, & aliquando occultarentur, viderentur quidem, quando Perigeæ essent, occultarentur verò, quando factæ essent apogeæ, & tamen cum eędem maculę semper in corpore lunari in eodem situ existant, fit, vt Epycicius, ob hanc potissimam rationem, reijciatur, non solum, inquam, ob rationem allatam, sed quia cæteri Planetæ habent Epyciclos, in quibus sunt retrogradi; Luminaria verò per Zodiacum, semper iuxta signorum consequentiam feruntur, & retrogradi non sunt. Quare Maginus existimat, eccentricum Lunæ obire munera Epycicli primi, à Copernico inuenti; nam, vt primus ab Ortu in Occasum fertur, ita cẽset Maginus eccentrico deferenti Lunam inesse motum contrarium eccentrico Solis,

Calorum ex Orbib. compositio.

Epycicius Planetarũ

Epycicius Lunæ.

Lunaris hypothesis Copernici.

Lunaris Theoria Magini.

ideſt moueri ab Ortu in Occaſum.

Prædictos tres Circulos, & Epyciclos admittunt ferè omnes Aſtronomi in Planetis, præterquam in Sole, quem negant habere Epyciclum. Acerrimus oppugnator horum circulorum eſt Hieronymus Fracaſtorius, vir omni ſcientiarum genere excultiſſimus, lib. de Homocentricis, qui reprehenditur à P. Clauio comment. in cap. 4. Sphæræ. Animaduertendum tamen eſt, aliquos negare hos circulos in Venere, & Mercurio, aſſerentes non habere proprios orbes, ſeu cælos totales, ſed omnia ipſorum Phænomena ſaluari per ſolos Epyciclos, quibus mouentur circa Solem; Non enim hi duo Planetæ ambiunt ſphæram Lunæ, & terram, vt faciunt etiam tres alij ſuperiores Planetæ, Saturnus, Iupiter, & Mars, qui habent vnà cum Mercurio, & Venere, Solem pro cẽtro, quemadmodũ ſidereum Cælum, Sol, & Luna habent pro centro ipſam terram, vt patet in ſyſtemate Tychonico, in quo Sol conſtituitur centrum ſphærarum cæleſtium, quas diximus; Et quamuis Sol ſit mobilis, ex ſententia Tychonis, ad differentiam Copernici ipſum immobile centrum conſtituentis, tamen idem Sol habere poteſt rationem centri, ad cuius rationem conſtituendam, non eſt neceſſaria immobilitas ſimpliciter, ſed ſecundum quid, ideſt, quod centrum non moueatur eo motu, quo mouentur ea, quæ circa ipſum reuoluuntur. Propterea, reſpectu Veneris, & Mercurij, recentiores, in Cælo Solis collocarunt duos orbes eccentricos, vnum Veneri deſtinatum, alterum Mercurio, per quos orbes hi planetæ fiũt modo ſuperiores Soli, modo inferiores; ſed quemadmodum Epyciclos plurimi Aſtronomi admittunt in Planetis, ita, vt dixi, negant in Sole, exceptis Ceſalpino, & Chriſtiano Longomõtano in Aſtronomia Danica, qui Ceſalpinus lib. 3. quæſt. Peripat. quæſt. 3. contendit in Sole quoque Epyciclum demonſtrare, rationibus deſumptis à velociſſima Solis motione, à tremore vmbrarum, imo à tremore ſui luminis; Quod lumen, ſi per tecti ſpiraculum in ædem, & in parietem oppoſitum impingat, apparet lumen modò incitatius eſſe, modò tardius, modò ſtare, modò regredi, cuius motus inæqualitatem breuiſſimo factam tẽpore, attribuit Ceſalpinus minimo circulo celerrimè agitato, nimirum Epyciclo; Quæ tamen omnia non Epyciclo, ſed partim viſus humani imbecillitati, partim refractioni radiorum, adſcribenda ſunt; Siquidem lumẽ Solis plerumq; coniunctum, & mixtum eſt vaporibus, qui in aere mouentur continuò, & agitantur; hinc per refractionem euenit, vt vmbræ, & lumina quodammodo tremere videantur; Neq; eſt, quod citatiſſimus Solis motus epyciclo attribuatur, cum ſat ſit eccentrico circulo deferenti ipſum Solem, eiuſdem velocitatem, & motus varietatem, vt mox dicam, adſcribere.

Opinio Fracaſtorij.

Sol centrũ planetarũ aliquot.

Ceſalpini opinio de Solis Epyciclo.

Tremor Solaris luminis per ſpiraculũ intrantis vnde oriatur.

Scio tamen aliquos ſaluare anomaliam Solis per Epyciclum; quòd perinde eſt ac ſi Sol haberet ſolũ excentricum, dummodo excentricitas ſit æqualis ſemidiametro epycicli, & moueatur cẽtrum epycicli in concentrico, vt optimè demonſtrat Petrus Erigonius in ſuis Theoricis lib. 1. cap. 3. prop. 10.

Et vt ad ſupradictos circulos redeam; Confirmatur potiſſimum poſitio Orbis medij, ſeu deferentis ex eo, quod per hanc poſitionem optimè explicatur motus Planetarum ab Occaſu ad Orientem; Nam hic Orbis melius nõ mouetur cum velocitate primi mobilis, ſed ſe retardat in illo motu, & proprio motu conuertitur ab Occidente ad Orientem; Hinc fit, vt Planeta ſpatio viginti quatuor horarum, non complet integram reuolutionem ab Oriente ad Occidentem, vt præſtat primum mobile, ſed aliquanto remaneat retrò. Propterea diuerſus eſt motus, quẽ facit hic circulus medius in Planetis, à motu quem in eiſdem faciunt alij circuli, qui ſequuntur motum primi mobilis, hic verò defert Planetam ab Occaſu ad Ortum.

Motus deferentis ab Occaſu ad Ortum.

Non me latet poſitionem eccentricorũ, & epyciclorum à Peripateticis acriter impugnari; nam inter veteres, Auerroes contra hos circulos diſputat ſecundo de Cælo, comment. 35. & 12. Metaph. comment. 45. Inter recentiores verò Cæſar Cremoninus olim in Patauina Academia primarius, & celeberrimus Philoſophiæ profeſſor, ſect. 2. de motu Cæli, cap. 14. 15. & 16. Ariſtotelis, & Auerrois ſententiam mordicus, & ſtrenuiſſimè contra hos circulos defendit; Cuius, & aliorum rationes refellere non eſt huius loci, prater-

Impugnatores Eccentricorũ, & Epyciclorum.

terquam quod P. Clauius comment. in cap.4. Sphæræ, hanc prouinciam egregiè suscepit. Quamobrem adhæreo Tychonis doctrinę lib.1. Progymnasmatum cap. 1. docentis, Solem non vndequaq; terrā in suo tramite, loco centri respicere, sed aliud quoddam, extra hanc, sui circuitus obtinere meditullium, ideò ipsum Solem conuolui ad terras, orbe eccentrico, tamquam exploratum habet, & indubitatum.

Terra non est cētrum motus Solis.

Aliqui Recentiores negantes circulos solidos, quibus circumdantur Planetæ, saluant egregiè, ac explicant ipsorum syderum Phænomena, neq; ego eorum reijcio opinionem, sed quoniam iam explicatu mihi magis suffragatur ad Campanellæ Paradoxon euertēdum, ideò eidem sententijs libentius adhæsi. Quibus ita constitutis, facile est supra allata Campanellæ figmenta euertere; Etenim si Sol in suo eccētrico orbe mouetur ad terrā, eo ferè modo, quo cæteri Planetæ in suis mouentur Epyciclis, euenit profectò, vt Sol aliquando propior, aliquando remotior fiat terræ. Hinc prouenit illa Solis propinquitas ad tellurem, effecta à Campanella, propter quam putauit ipse, fore vt aliquando Mundus absumatur incendio. Respondendum enim est, Solem, non appropinquare terræ, vt ipsius Sphæra è suo loco deturbetur, & dimoueatur, quemadmodum Campanella concedere videtur, sed quidem appropinquare terræ, per motum in suo eccentrico, per quem circulum idem Sol remotior est à terra in suo Auge, & vicinior ipsi in suo Perigæo; Ex qua motus varietate, & irregularitate oriuntur diuersitates in annis, propter diuersos ingressus Solis in signa cardinalia, de quibus supra diximus, imò ex motu Solis in hoc circulo, dependet acceleratio, vel retardatio Æquinoctiorum; Quæ præcedentia Æquinoctiorum erat Achilles, qui pro sententia Campanellæ pugnabat, nunc à nobis Astronomicæ veritatis iaculis expugnatus, & profligatus.

Respondetur Campanellæ.

Equidem miror Campanellam Mundi incendiarium, ad fulciendam suam opinionem, non adhęsisse falsæ Copernici sententię constituentis lib.1. reuolut. cap. 9. Orbem terrę inter Orbem Martis, & Veneris, putantis Orbem terræ cum Orbe Lunari circumuolui circa Solem, immobile centrum Planetarum. Nam hoc modo constituta terra, propinqua Orbi Martis, & circa Solem reuoluta, dubio procul ex ardore Martis, & Solis facilius flammam conciperet, quàm si dicatur, quod Sol ad ipsam descendat, ad eam aliquando comburendam. Quoniam verò opinio Copernici, non solum aduersatur Platoni, Aristoteli, Ptolemæo, & vniuersæ Philosophorum phalangi, collocanti terram in medio Mundi, tamquam Vniuersi centrum immobile, sed etiam (vt superius dixi) repugnat sacris monumentis, & Romanæ Ecclesię constitutionibus, idcirco satius arbitratus est Campanella, incendium naturale telluris, approximationi Solis adscribere.

Systema Copernici sententiæ Cāpanellæ accommodatum.

Cæterū Campanella, contra quem hucusq; disputationis arma suscepimus, facilè nostrum eludet certamen, & spicula retundet negando, vt verè negat loco citato, Eccentricos, & Epyciclos. Ideò concedit quidem, & tamquam probatissimum putat, Solem aliquando viciniorē fieri terræ, sed inficiabitur hanc vicinitatem contingere, propter eccētricum Solis, modo à nobis explicato. Propterea ad infringendā penitus ipsius opinionem & ne aliquod ipsi remaneat latibulū, quo se recipiat, opus est vno, vel altero argumento necessariam circuli eccentrici positionem demonstrare.

Prodeat primo loco obseruatio ab Astronomis habita de itinere Solis, qui diuersis temporum mensuris semicirculum borealem, & semicirculū australem percurrit: Quandoquidem dies, qui in cursu Solis intercedunt, ab æquinoctio vernali incidente, die 21. Martij, vsque ad æquinoctium autumnale, quod fit die 24. Septembris, sunt dies 187. At reuersio Solis à die 24. Septembris, vsq; ad diem 21. Martij, continet dies dumtaxat 178. Vel vt hac tempestate calculis exactioribus examinauit Argolus li.1. in Ephem. cap.8. primus circulus absoluitur, diebus 186. hor. 18 ½. & secundus diebus 178. hor. 11 ½. itaut cadat inæqualitas dierum 8. & horarum 7. At quænam sit causa, propter quam Sol maius tempus impendit, dum perlustrat semicirculum borealem, quam australem, hæc adducitur ab

Sustinetur eccentrici contra Cāpanellam.

Astronomis, scilicet quod Sol perambulans semicirculum borealem, decurrit ab Ariete per Cancrum, vsque ad Libram. Vnde eo tempore Sol fit vicinior Cancro, in quo Eccentricus Solis suum habet Apogæum, idest punctum, quod longissimè abest à terra; Propterea maiorem partem eccentrici ibi percurrens, plus temporis consumit, quam in semicirculo australi, quem pertransiens idem Sol, fit propinquior Capricorno, idest opposito augis eccentrici, quod est punctum maximè vicinũ terræ; Quare minorem partem eccentrici percurrit hic, quam ibi & consequenter minus tempus absumit; Quod si hæc varietas motus annui Solis adscribenda est ipsius Eccentrico, & ex hac varietate deducitur maior, & minor distantia Solis à terra, cur à Campanella auferendus erit hic circulus eccentricus, quo talis vicinitas egregiè defenditur, & explicatur, absq; illo absurdo, & detestabili pronunciato, de propinquitate Orbis Solaris ad tellurem, per remotionem à proprio loco, & sede?

Inæqualitas motus Solis annui.

Ingressus Solis in signa Zodiaci.

Ex hac eadem causa oritur inæqualitas ingressus Solis in signa Zodiaci. Etenim ingreditur principium Arietis die 21. Martij, principium Tauri, die 21. Aprilis, Gemini die 21. Maij, Cancri die 21. Iunij, Leonis 24. Iulij, Virginis 24. Augusti, Libræ 24. Septembris, Scorpionis 24. Octobris, Sagittarij 23. Nouembris, Capricorni 21. Decembris, Aquarij 21. Ianuarij, Piscium 19. Februarij; Quare Sol tardius vnum signũ ingreditur, quam aliud, ob hanc rationem, quia maior pars circuli deferentis Astrum, magis correspondet vni signo, quam alteri, Ideò breuius, vel tardius illud pertransit.

Variatio Solaris diametri.

Similiter ex positione Eccentrici proficiscitur maior, & minor apparentia Solis nostris oculis exhibita; Siquidem deprehenderunt Astronomi, Solem existentem in Capricorno, vel in alijs Australibus signis maiorem apparere, quam cum Cancrum, vel alia signa borealia pertransit. Non ignoro, hãc maiorem apparẽtiam Solis in Capricorno existentis, à multis adscribi, nõ ipsius ad terram propinquitati, sed vaporibus inter Solem, & nostrum visum interiectis, qui disgregantes radios visuales, efficiunt, vt Sol maior videatur; Idcirco afferunt Solem orientem ampliorem apparere, quia vapores versantur circa Orizontem, ad quem Sol ascendit; In meridie autem minor apparet, quoniam disiecti sunt à suis radijs vapores, qui maiorem illam magnitudinem, per refractionem representabant. Vt verum fatear, hæc consideratio parui est momenti; nam Sol maior videtur in suo perigæo, & non solum, quando vaporibus aer versatur, sed etiam quando serenissimum est cælum, & nullis fermè vaporibus occupatus est aer; Quod sæpè hyberno tempore contingit, existente Sole in Capricorno, cum à vẽtis, ac frigiditate immodica purgantur, exiccantur, & vt sic dixerim, suffocantur vapores, ne aerem condensent quando verò existit Sol in Cancro, sæpe sæpius euenit, vt aer æstiuis procellis repente excitatis, turbetur, ac densetur, & tamen Sol tunc minor apparet, quam tempore hyemali; Igitur causa præcipua maioris, & minoris apparentiæ Solis, adscribenda est maiori, vel minori distantiæ eiusdem Solis à centro Mundi, quod est terra; & hæc diuersitas distantiæ oritur ab eccentrico circulo.

Causa huius variationis.

Variatio distantia Solis à Luna.

Alia ratione non minus valida demonstratur vicinitas Solis ad Lunã, & ad Tellurem orta ab eodem eccentrico. Quod primum patet in Eclypsi Solari, quæ fit per interpositionem Lunæ inter Solem, & nostrum aspectum, & quæ Eclypsis, vno tempore maior est, & lõgius durat, quam alio tempore; id verò aliunde prouenire non potest, quam à maiori, vel minori distãtia Solis à Luna; Nam Sol propinquior Lunæ, magis, & vehementius illam illuminat, vnde ipsa, quæ est corpus opacum, omni lumine destitutum, præter mutuatum à Sole, minorem projcit vmbram in Solem, & consequenter breuior est Eclypsis; Quando verò Sol in coitu cum eadem Luna, est remotiór ab ipsa, minus illam illuminat, & consequenter Luna maiorem projicit vmbram in Solem, & Eclypsis fit longior. Idem dicendum est de Lunari Eclypsi, quæ fit per interpositionem terræ, inter Solem, & Lunam, existentem in Eclyptica; & in Nodis, vel circa, & fit quando Luna ingreditur vmbram terræ, incidẽs in conum ipsius vmbræ; in qua Eclypsi euenit, vt Luna modò magis, modò minus obscuretur. Etenim tunc minori caligine offunditur Luna,

na, & breuior est Eclypsis, quando Luna per motum sui Epycicli est remotior à terra: Sicuti enim quando est vicinior, magis implicatur, & inuoluitur in vmbra terræ, quæ latior est, & longiori tempore Luna debet ipsam pertransire, ita quando Luna est remotior ab ipsa terra, tunc ipsius terræ vmbra, erga Lunam, est angusta, & minus lata, eamque Luna debet minori tempore pertransire, atque hinc oritur breuitas Eclypsis. Quamobrem ex propinquitate Solis per suum Eccentricum ad Lunam, & ex propinquitate Lunæ per suum Epyciclum ad terram, prouenit inæqualitas Eclypsis, & Lunaris, & Solaris; quæ inæqualitas, quamuis ex alijs causis proficiscatur, vt infra dicemus, agentes de Sole, & Luna obscurandis ante Iudicij diem, tamen hæc etiam causa allata consideranda est, & adscribenda eccentrico in Sole, vel eccentrico, vel Epyciclo in Luna, ex supra traditis. Cum igitur Stellæ in illo expanso fluido non existant suspensæ, absque vllo circulo, cui sint infixæ, veritati consonum videtur pronunciatum de Eccentricis, & Epyciclis, quibus infixi planetæ, ab Intelligentijs cælestibus mouentur, & telluri modò propinqui, modò ab ipsa remoti apparent.

Cesalpini opinio de vnico Cælo. Non enim adhæreo sententiæ Cesalpini lib. 3. Peripatet. quæst. quæst. 4. quam secutus est P. Auersa, tom. 2. Philosophiæ quæst. 32. sect. 7. nimirum vnicum esse Cælum, intra quod existunt peramplæ quædam zonæ, seu fasciæ, diuisæ, & discontinuatæ à reliquo cælo, habentes suã longitudinem, & profunditatem, & in quibus, septem sunt infixi Planetæ; Nam eò ipso, quod sunt zonæ, & fasciæ, non videntur habere profunditatem; & tamen Aristoteles secundo Cæli text. 59. & alij Astronomi docent, Astra omnia esse solida, & plena corpora, & esse globos, non zonas, suam profunditatem habentes; Vt patet in Luna, quæ cum sit globus rotundus, vna sola medietas conuersa ad Solem illustratur, dum verò resoluitur, & coniungitur cum Sole, illa medietas, quæ est auersa à nostris oculis, illustratur quidem à Sole, sed à nobis non videtur, quoniam Luna est corpus opacũ, & nõ transparens, vt infra explicabimus, agẽtes de obscuritate Lunæ in fine Mundi. *Luna globus rotundus esse.* Hæc opinio de zonis videtur indicata ab Ægidio in Hexameron. part. 2. cap. 33. Quicquid sit de zonis, patebit speculanti sententiam Cesalpini, & Auersæ harum zonarum officiũ ad munera eccentricorum reduci, & hos Authores, mutato nomine, eccentricos tandem concessisse.

Sententia Auersæ. Neq; mihi probatur eiusdem Auersæ sententia putans vnum esse sidereum cælum, ipsumq; per se primò moueri ab Ortu in Occasum, absq; eo, quod rapiatur ab alio Cælo, dum ex alia parte mouentur singulæ Planetarũ zonæ super polos proprios, & in obliquum, ab Occasu in Ortum; supra enim satis superq; demonstrauimus, necessarium esse Cælum, quod dicitur primum mobile, rapiens Planetas ab Ortu ad Occasum, certa, & inuariabili mensura horarum 24. nec non demonstrauimus, qualis sit motus Planetarum ab Occasu in Ortum, qui fit potissimum per suos eccentricos; Quos, licet multi refellant, inter quos est etiam Lucillus Philateus lib. 2. de Cælo, ponens alium motum proprium ipsius Planetæ, instar Helicis, tamen probabilius est, dari circulum eccentricum in Orbibus Planetarũ, præterquam in Venere, & Mercurio, qui cum ferãtur circa Solem, tamquam circa proprium centrum, ex sistemate Tychonis, sat est illis assignare Epyciclos, per quos circa Solem moueantur. Itaq; explodendum omninò est Astronomicum crimen Campanellæ, admittentis propinquitatẽ Solis fieri per ipsius mutationem, & descensum à proprio loco, & sede, & consequeter incendium Orbis inferioris naturaliter cõtingere posse, ex flammis Solis continuò ad Tellurem labentis, quoniam à nobis ostensum fuit, propinquitatem Solis ab eccentrico circulo prouenire, neq; talem esse, vt mediante ipsa, Sol combutere possit hanc rerum inferiorum molem, sed quidem ex ipsa, diuersitates Æquinoctiorũ, anticipationes, & Solstitiorum varietates profici sci; Addo, quod sicuti ab Astris fixis non potest inflammari Terra propter maximam ab ipsis astris firmamenti distantiam, quoniã terra, ex Tychonica doctrina distat à fixarum cælo 14. millibus terræ semidiametris; Ita neq; Sol potest comburere terram, à qua distat 1142. terræ semidiametris. *Conclusio disputationis aduersum Campanellam.*

tris. Ex quibus omnibus inferri nequaquam potest, naturaliter Mundi incendiū aliquando futurum, vt perperam existimauit Campanella, cui perstrepenti sono iam tempus est, vt aures obturemus.

SECTIO TERTIA.

De Sole, Luna, & Stellis in fine Mundi obscurandis.

Afferuntur sacræ Scripturæ testimonia de obscuritate Luminarium, & Siderum in fine Mundi. Expositiones ipsorum indicantur, & præsertim exponuntur verba S. Ioan. in Apoc. cap. 6. & Matthæi cap. 24.

PRimo loco petenda est à Lectore venia euagandi libero, sed breui gressu extra Astronomicæ scientiæ confinia, per amœnissimos sacræ Scripturæ campos, ex quibus ea colligā pronunciata, quæ mihi suppetent segetem, ad Astronomicam disputationem de propositis argumentis instruendam. Et quidem in consummatione seculorum, aliquo tamen tempore, ipsam præcedente, obscuranda esse Cæli luminaria, Solem, Lunam, & Sidera, non est prorsus ambigendum, quia est dogma de fide, pronunciatum à Prophetis, & à Christo Domino declaratum. In hanc siquidem assertionem conspirant ora Prophetarum. Occurrunt primò verba Iohelis cap. 2. *Et dabo prodigia in Cælo, & in terra, sanguinem, & ignem, & vaporem fumi. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis.* Quę verba non sunt exponenda cum D. Hieronymo de passione Christi; Nam, vt animaduertit Ribera, indicat Propheta sequentibus verbis, aduentum Spiritus Sancti præcessurum esse illa signa; At Christi passionem, vt notum est, effusio Spiritus Sancti non præcessit, sed & passionem, & ipsius resurrectionem subsecuta est, igitur non sunt exponenda de passione Domini, eò magis, quia dies resurrectionis Domini incongruè vocatur dies magnus, & horribilis; Quare non admitto aliam interpretationem, quòd tropologicè sint ea verba exponenda, sed assero explicāda esse de signis, & prodigijs euenturis in fine Mundi, maximè quia hæc verba referuntur in Actibus Apostolorum cap. 2. vers. 20. & ipsa interpretatur Io. Lorin. de signis ad diem Iudicij pertinentibus.

Luminarium, & stellarum obscuratio.

Expositio prophetiæ Iohelis.

Huc spectant verba Iob cap. 9. *Qui præcipit Soli, & non oritur, & Stellas claudit, quasi sub signaculo.* Olympiodorus refert hæc verba ad Dei potentiam, qui si velit, potest vicissitudinem Ortus, & Occasus tollere; atq; Soli præcipere, vt in quadam certa regione commoretur, neq; exoriatur, astra etiam obscurare, ne luceant. Pineda accommodat hæc verba signis, & prodigijs futuris, ante Mundi consummationem, ita loquens. *Et si ludere licet in ipsis signaculi, & signi vocibus, & lusnis significationibus, illa profectò signa, quæ erūt in Sole, Luna, & Stellis, erunt signacula quadam, sub quibus illorum splendor continebitur, & abscondetur.*

Prophetia Iob exponitur.

Ita exponēda sunt verba Isaiæ cap. 13. versic. 10. *Quoniam stella cæli, & splendor earum non expandent lumen suum; Obtenebratus est Sol in ortu suo, & Luna non splendebit in lumine suo.* Cornelius à Lapide obseruat, quod præfata verba sunt hyperbole, & hypallage, qua Prophetæ solent significare extremam calamitatem, cladem, & afflictionem, quoniam afflictis, ob spirituum vitalium, & animalium debilitatem, atq; ob capitis deliquium, & vertiginem, omnia caliginosa videntur. Propterea cum his verbis prædicare contendat Isaias, quam terribilis futurus esset ille dies, quo Deus Cyrum, & Persas contra Babylonem erat excitaturus, ea verborum

Prophetia Isaiæ.

borum energia, ingentes illas ærumnas Propheta ante oculos exhibuit. Sed quoniam graphicè non ſolum depixit Babylonis excidium, ſed etiam ſub eius typo diem Iudicij, & totius Orbis occaſum explicauit; idcircò dicendum eſt, Iſaiā prophetico oculo inſpexiſſe obſcurationes Luminarium, in fine Mundi euenturas.

Alia prophetia Iſaiæ.

Ad idem ſignificandum referūtur verba eiuſdem Prophetæ cap. 24. verſ. 23. *Et erubeſcet Luna, & confundetur Sol, cum regnauerit Dominus exercituū in monte Sion, & in Hieruſalem, & in conſpectu ſenum virorum fuerit glorificatus*; Et ſuprà verſic. 21. ait Propheta. *In die illa viſitabit Dominus ſuper militiam Cœli in excelſo, & ſuper Reges Terræ, qui ſunt ſuper terram.* Quæ verba ita exponit S. Hieronymus. *Stellas quaſi ægrotantes Deus viſitabit, & ferro, & cauterijs inuret, vt fiat Cœlum nouum, & terra noua.* Stellæ enim, vt ait Iob cap. 25. *non ſunt mundæ in conſpectu eius.* Subdit P. Cornelius. *Maximè cum iam Idololatria alijſq; ſceleribus cultæ, aut pollutæ ſunt. Propterea Deus viſitabit, ideſt obſcurabit, imo Cœlo deturbabit.* Circa verò erubeſcentiam Lunæ, & Solis à Propheta indicatam, quamuis Theodoretus, Euſebius, Vatablus, & alij interpretentur erubeſcētiam Luminarium, de excidio inuecto Iudæis, poſt Chriſtum crucifixum, pro quo ſcelere Planetæ erubuerunt, ideſt obſcurati ſunt, tamen eadem luminaria erubeſcentiam paſſura eſſe, in fine Mundi, ex eo patet; quod obſtupeſcent, & quodam rubore ſuffundentur, cum videbunt tantam reproborum damnationem, & pœnam, & ſimul tantam beatorum gloriam, & maieſtatem, quod ſignificant verba illa. *Et in conſpectu ſenum virorum fuerit glorificatus.* Porrò ruboris, & confuſionis Planetarum dat Hieronymus cauſam, ſcilicet; *Erubeſcet Luna, & cōfundetur Sol, cernens homines, qui ſuo fruebantur lumine, nihil dignum Dei bonitate feciſſe. Erubeſcent aſtra,* ait Cornelius à Lapide, *quod luxerint homini impio, qui hac luce abuſus eſt, ad multa, & nefanda ſcelera perpetranda.* Itaq; verba Iohelis relata à S. Petro Act. 2. *Luna vertetur in ſanguinem*, à prefato Authore ita exponuntur, erubeſcet Luna, inſtar ſanguinis colore ſuffuſa, quæ omnia tandem indicant obſcurationem luminarium in fine Mundi futuram,

Erubeſcentia luminarium.

Interpretatio Hieronymi, & Cornelij.

Ezechielis prophetia.

Ezechielis teſtimonium cap. 32. eamdem confirmat luminarium obſcurationem his verbis. *Et operiam, cum extinctus fueris, Cœlum & nigreſcere faciam Stellas eius, Solem nube tegam, & Luna non dabit lumen ſuum, omnia luminaria Cœli mœrere faciam ſuper te, & dabo tenebras ſuper terram tuam.* Animaduertit Cornelius Prophetam his verbis vſum eſſe hyperbole, & hypallage poetica, ad explicandam cladem inferendam à Domino, Pharaoni Aegypti regi; tamen cum nomine Pharaonis, quilibet impius intelligatur, obſeruat idem Author hæc verba exponenda eſſe de prodigijs antecedentibus Iudicij diem in quo impius dicitur extinctus, ideſt perpetuæ morti apud inferos damnatus.

Amos prophetia.

Prætermitto verba Amos cap. 8. Occidit ei Sol, cum adhuc eſſet dies, confuſa eſt, & erubuit. Quibus verbis, dum Hieroſolymis intenduntur minæ, etiam ſub typo, & figura calamitates in conſummatione ſeculi prænotantur.

Alia Iſaiæ prophetia.

Omitto etiam explicationem verborum Iſaiæ cap. 34. verſ. 4. *Et tabeſcet omnis militia Cœlorum, & complicabuntur ſicut liber Cœli, & omnis militia eorum defluet, ſicut defluit folium de vinea, & ficu*; vbi per militiam Cœli intelliguntur Sol, Luna, & Sydera, vt interpretantur S. Thomas, Hugo, Vatablus, & Lyranus. Et quod omnis militia defluet, inſtar folij de vinea, vel de ficu, intelligunt aliqui, quod Stellæ fixæ, propriè ex Cœlo in Terrā decident, vt arbitrati ſunt Chryſoſtomus, & Maldonatus in cap. 24. Matthæi, qui ait; *Magis Chriſto id affirmanti, quam Ariſtoteli id fieri poſſe neganti, aſſentior.* Nam infra in expoſitione verborū D. Ioannis Apoc. 6. exponam quid ſignificet complicatio Cœli, tamquam libri, & in quæſt. peculiari diſputabo, An aſtra verè lapſura ſint de Cœlo in terram. Id circo ſuperſedens nunc ab expoſitione verborum Iſaiæ, me transfero ad explicationem verborum Io, loco commemorato.

Prophetia Ioannis.

D. Io. in Apocalyp. cap. 6. hæc habet. *Et Sol factus eſt niger, tamquam ſaccus cilicinus, & Luna tota facta eſt ſicut ſanguis, & Stellæ de cœlo ceciderunt ſuper terram.* D. Ambroſius, & Rupertus hæc verba retulerunt ad populi Iudaici reprobationem, & excidium regni Iudaici, factum à Tito

Interpretatio Ioan. Impetatore, ob impiam Christi Domini necem, & Christianorum persecutionem: Ita vt sensus sit; Sol Iudaici populi, qui primùm obseruatione suæ legis, & amore in Deum efferuescens, emicabat, obscuratus est, & tamquam sacco cilicino indutus, propter scelera grauissima, quæ ipsum denigrarunt. Luna obscurata est, vel non dedit lumen suum, & facta est sanguis, quia synagoga instar Lunæ, Christi sanguine ab ipsa enecati perfusa, omnibus fuit horrori, & despectui; Et Stellæ ceciderunt de Cęlo super terram, quia principes Sacerdotum, & Scribæ, & Pharisęi, qui velnti Stellę refulgebant, de Cælo veræ doctrinæ, & obseruantiæ legis, in multa crimina ceciderunt. Hæc expositio subtilis, & ingeniosa reprobanda non est; Illud solum præ oculis est habendũ, quod verba Io. sunt prophetica, & præsignant facienda ignota, non facta, & comperta; Constat autem aliquot annis ante Io. visionem, excidium Hierosolymitanum à Vespasiano, & Tito Romanis Imperatoribus illatum esse, & per totum terrarum Orbem peruulgatũ; propterea existimo, verba Io. magis propriè, & congruenter consummationem sæculi, & euentura in ipsa prænotare.

Dionysij Carthus. interpretatio reiecta. Neq; putandum est cũ Dionysio Carthusiano, & alijs, quod Ioannes nigredinem Solis, & saccum cilicinum, & Lunam conuersam in sanguinem, & Stellas cadentes de Cęlo enumerans, non propriè, sed metaphoricè, & per hyperbolem loquatur, more Prophetarum, qui res graues exagerare solent, vt fecit Isaias cap. 13. excidium Babylonis vaticinando, vt antea retulimus; Quod præstitit etiam Ezechiel, maximã Ægypti Regi cladem infligendam prænunciando; Et quemadmodum Iohel cap. 2. hyperbolicè describit magnitudinem malorum, quibus Iudaicus populus ab exercitu Chaldæorũ obruendus erat; nã quamuis Io. pronunciata eò potissimum referantur, vt ante oculos proponant grauitatẽ calamitatum, quibus afficiendi sunt homines in fine sęculi, tamen obscuratio Solis, & Lunæ, & Siderum casus, non ita debent exponi, vt per nimium timorem visura sint ipsis hominibus luminaria obscurari, & Astra commoueri; Nam reuera per istas insignes, & veras Stellarum mutationes voluit Deus indicare extremas calamitates, quibus homines in fine Mundi opprimentur.

Verba Christi Domini litteraliter intelligenda. Verba Saluatoris Matthæi cap. 24. Marci 13. Luc. 21. clarissimè demonstrant obscurationem Solis Lunę, & casum Stellarum de Cęlo, nõ mysticè, vel metaphoricè, sed secundum sensum litteralem intelligi, Et prætermissis verbis eiusdem Domini Saluatoris, quæ ab alijs Euangelistis tradita sunt, & quæ eamdẽ referunt sententiam, versabor dumtaxat in explicatione verborum, quæ ipse habuit, referente Matthæo, loco pręnotato. *Statim autem post tribulationem dierũ illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suũ, & Stellæ cadent de Cælo, & virtutes calorum commouebuntur.* In quorum verborum explicatione considerandum est, Christum Dominum, in eo sermone, quem habuit ad suos Discipulos, promiscuè loquutũ fuisse de euersione Hierusalẽ, & de Mundi occasu, vt patet ex interrogatione ab Apostolis ipsi Christo facta, his verbis. *Dic nobis, quando hac erunt, & quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi?* Ideò Redemptor noster referens primùm diuersas ærumnas; quibus torquendi erunt homines in consummatione sęculorum, & præsentans sæuissimam Antichristi persecutionem, subdit prodigia, quæ in luminaribus, & Stellis apparebunt; Propterea non est omninò admittenda eorum interpretatio, qui putant Solis, & Lunæ obscuritatem euenturam in fine Mundi, repræsentare cæcitatem mentis eorum, quos Dominus iudicaturus in ira sua comprehendet, & Stellarũ casus præmonstrare illos, qui doctrina, & morum sanctimonia eminentes supplicijs Antichristi fracti, & territi, decident in perfidiam. Ita interpretantur Primasius, Beda, & Haymo, & consentit etiam Augustinus epist. 80. ad Esychium, scilicet, quod per solem obscuratum intelligatur potentia, & doctrina Christi, tenebris inuoluta, & per Lunam caliginosam, designetur Ecclesia, seu congregatio fidelium, cladibus, & persecutionibus Antichristi obscurata. Nam quamuis verum sit hæc verba mysticè posse exponi, & Ecclesiam in fine sæculi obscuratam iri, impijs persecutionibus Antichristi in ipsam sæuientibus, tamen prodigia

in

in Sole, Luna, & Stellis, sub finem Mundi futura, sunt corporaliter, & visibiliter intelligenda. Etenim tribulatio, quam passura est Ecclesia, sub illud tempus, & per quam tribulationem ipsa mysticè dicitur obscuranda, est descripta apud Matthæum in enarratione antecedenti, & separata ab enarratione prodigiorum, quæ videbuntur in luminaribus, & Stellis; Propterea ita Dominus loquitur. *Statim autem post tribulationem dierum illorum Sol obscurabitur &c.* Igitur cum diuersæ sint expressiones, prodigia in Cælo non sunt extorquenda, ad significandas ærumnas, quibus Christi fideles ab Antichristo vexabuntur. Quamobrem cum fundamentum explicationis verborum Christi Domini apud Matthæum, nitatur veritate, scilicet, quod verè, & realiter secutura sit obscuratio in Sole, Luna, & Stellis, aliquot expositiones breuiter afferam, & considerabo, vt deinde magis pateat modus, quo luminaria tenebroso implicabuntur velamine, & Stellæ de cælo labentur.

Aliorũ Patrum sententia.

Chrysostomus, Hieronymus, Hilarius existimant Solem, Lunam, & Sidera non emicatura esse, quia per exuberantiam luminis, quod afferet Dominicum corpus, non apparebunt, quoniam lumen maius, minus ità obruere solet, vt non conspiciatur. Hæc interpretatio non mihi probatur, quia Dominus Christus, obscuratione luminarium, & decidentia stellarum vult indicare insolita prodigia, & horrifica, quæ in fine Mundi contingent; At quæso, quodnam prodigiũ est lumem maius offuscare minus? Id enim quotidie videmus in Sole, ad cuius præsentiam sidera non conspiciuntur, & quasi obtenebrata videntur. Addo, quod signa in Luminaribus, & Stellis euenient, ante Christi aduentum, ergo à Domini corpore glorioso, tamquam à nimio splendore, siderum nitores non infringentur. Patet id ex relatis verbis Matthæi ita loquentis, *Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo, & virtutes cælorum commouebuntur, & tunc parebit signum filij hominis in Cælo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt filium hominis venientem in nubibus Cæli cum virtute multa, & maiestate.* Etenim hæc verborum series demonstrat, caliginem, qua operienda sunt Sidera, præcessuram esse Domini aduentum, neq; futuram eo præciso tempore, quo Dominus ad iudicandum venerit.

Obscuratio Stellæ à nimio Christi corporis fulgere non proueniet.

Confirmatur verbis Luc. cap. 21. quibus testatur, quod homines, visis prodigijs in Cælo, & audito maris horrifico strepitu, horrescent præ timore, & expectatione ingentium malorum; *Et erunt signa in Sole, & Luna, & Stellis, & in terris pressura gentium, præ confusione sonitus maris, & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore, & expectatione, quæ superuenient vniuerso Orbi, Nam virtutes cælorum mouebuntur, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum potestate magna, & maiestate.* Hæc verba significant signa in Cælo præcessura esse iudicium, & aduentum Iudicis; Quod etiam indicauit Iohel cap. 2. Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus.

Horrores mortalium in Stellarum obscuratione.

Neq; dicendum est, vt refert ex aliorum opinione, Origenes Homil. in verba Matthæi supra allata, luminaria, & astra obscuranda esse, ex maximo incendio, quo Mundus inferior conflagrandus est, & ex magna fumi copia, quæ ex illo incendio in sublime per aerem euehetur, adeò vt fumosis voluminibus, Solis aspectus, Lunæ, & siderum inuoluatur; Etenim vis conflagrationis mundanæ deuastabit Mundum in ipso Iudicij die, & enecabit homines viuentes, qui statim ad Iudicium resurgent; Igitur si fumus illius ignis obscuraret Solem, & Lunam, non posset talis obscuratio ab hominibus videri, & & tamen inquit sacer textus, quod homines illa prodigia aspicientes, magno timore corripientur, & plangent. Igitur illę tenebrę à fumosis exhalationibus non inducentur.

Non futuram obscuratione ex magno incendio.

Neq; putandum est, illam obscurationem faciendam esse per mutationem intrinsecam Solis, scilicet, quia Sol amittet esse corpus luminosum; nam cum post caliginem illam, Sol splendere debeat in æternum, oporteret Deum rursus restituere lumen Soli, quod fieret per miraculum, & tamen miracula non sunt absq; necessitate multiplicanda. Addo, quod si talis obscuratio fiat, quia Sol priuetur totaliter lumine, vel lumen ipsum suspendatur à Deo, non solum non videbitur obscurus, sed nullo modo videbitur, & tamen ex sacro Codice colligitur, homi-

Nec per mutatione Solis intrinsecam.

nes aspecturos esse signa in cælestibus illis orbibus; Propterea considerandi sunt alij modi, quibus illæ caligines contingere poterunt.

QVÆSITVM QVINTVM.

Demonstratur Solem in fine Mundi obscurandum non esse à Luna, solita Eclypsi solari, qua occasione aliqua scitu digna de ipsa Eclypsi solari edisseruntur.

Reiectis aliquot modis, quibus in consummatione sæculorum luminaria sunt tenebris obducenda, Primo loco examinanda est à nobis obscuratio, quæ continget in Sole, & disputandum est, an eo tempore fieri possit, vt Sol à Luna coniuncta cum eodem Sole obtenebretur. Atq; vt hæc non leui brachio, sed medullitus perscrutemur, opus est aliqua ab Astronomis tradita, de solari Eclypsi prænotare, quæ solum accidit in Nouilunijs, & solum quando Nouilunia contingunt propè alterum Nodorum, Borealem scilicet, & Euehentem, qui Arabicè caput Draconis dicitur, Vel Australem, & Deuehentem, qui cauda Draconis appellatur. Et tunc coniunctio Lunæ cum Sole obscurat maximè ipsum Solem, quando fit in ipsis Nodis, cum verò est intra limites nodorum, minus, & magis obscurat, prout Luna propior est nodis, vel ab ipsis remotior, nullatenus autem obscurat, si Luna existens Borealis, distabit à nodis, plusquam gradibus 15. & ½, & existens Australis, distabit plusquam grad. 7. Cuius causæ diuersitatem vide apud Astronomos, & præsertim apud Blancanum, part. 3. Sphæræ, cap. de Eclypsi Solari. Ratio verò ab Optica ducta, ob quam Luna interiecta inter Solem, & nostrum visum impedit, ne lumen Solis videamus, est quod ambo luminaria in vnam, eamdemque rectam lineam visualem à nostro emanantem oculo, per vtriusq; luminaris centrum ductam, incidunt, siquidem tunc Luna existens in eodem plano Eclypticæ cum Sole, impedit nobis aspectum Solis, quia linea visualis exiens ab oculo nostro, transiens per corpus Lunæ ad Solem, ab ipsa Luna impeditur, quamuis sit minoris quantitatis ipso Sole, vt infrà dicemus; quoniam perspectiui demonstrant magnum corpus à paruo impediri, ne videatur, si corpus paruum sit à corpore magno valdè remotum, & oculo valdè proximum; Atq; ita manus oculo vicina, ipsiq; obiecta aufert visionem magni montis; Et id prorsus contingit in Luna, quæ oculo humano proxima, maiorem facit angulum visionis, quam faciat remota. Ideò nobis vicina, & Soli copulata, tollit ne obiectum visibile Solis perspiciamus.

Eclipsis, quando accidant.

Ratio optica Solaris eclypsis.

Talis obscuratio in fine Mundi non est in Sole admittenda, quoniam cum hæc sit naturalis, & fiat solum in Nouilunijs, non est restringenda prodigiosa illa obscuratio ad Nouilunia; Vnde æstimaretur naturalis, & non prodigium, & signum, vt loquitur sacer textus, *Erunt signa in Sole.* Quandoquidem nomine Signi intelligitur admirabilis, & insolitus euentus, atq; prodigium, præter ordinem naturæ.

Obscuratio in fine Mundi nō naturalis, sed prodigiosa.

Præterea cōsidero Eclypsim solarem, quæ fit à Luna, diu perdurare non posse, quia radij solares moram diuturnam non trahunt in ea vmbra Lunæ, quæ ad nostros peruenit oculos, sed statim post caliginem incipit Sol ex parte Occidentis splendescere, quoniam cum Luna moueatur sub Sole ab Occidente versus Orientem, Solemq; motu proprio superet, statim relinquit Solem detectum, & à nobis conspectum; Et ratio petita ab Optica est, quod insensibilis est differentia, quæ reperitur inter dimetientem visualem Solis, & dimetientem visualem Lunæ, propter quam paruam differentiam, Eclypsis Solaris plerumq; per duas vel tres horas durare solet; Quoniam autem probabile est, obscurationem Solis, quæ in fine Mundi continget, non per duas, vel tres, sed per plures horas perseuerare debere, non solum, vt appareat caligo supernaturalis, sed etiam, vt maiorem incutiat hominibus timorem, idcircò obtenebratio illa solaris à coitu Lunæ non efficietur.

Ob-

Obseruandum est etiam, quod vmbra partis Lunæ nostris oculis obuersæ, & à Sole auersæ, nequit esse tanta, vt acuminata, ad terram descendens, possit totam tellurem obscurare; Etenim cum Luna sit minor terra quadragies, fit vt eiusdem Lunæ vmbra sit gracilior terra, quæ in parte graciliori vmbræ Lunæ vetsatur in Eclypsi Solari. Propterea ipsa vmbra Lunæ terram totam non potest caligine inuoluere. Existimo autem tenebras, quæ ante Iudicij diem contingent, super vniuersam terram inducendas esse, eo ferè modo, quo in passione Saluatoris nostri contigerunt, iuxta Sacræ Scripturæ testimonium; *Et tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*; Quamuis aliqui perperam per vniuersam terram, dumtaxat Palæstinam, & Iudæam sint interpretati. Quare si vniuersa terra, & primo loco totum nostrum Hemisphærium obscurandum est, per defectum luminis Solaris, quemadmodum postea aliud Hemisphæriū apud Antipodas obtenebrabitur, sanè id euenire non potest, per coitum Lunæ impedientis lumen Solis, & obscurantis sua vmbra terram, quia, vt diximus, vmbra Lunæ minoris quantitatis, quàm sit terra, non potest totam ipsam terram tenebris inuoluere. Ex quibus sequitur, quod multò minus Luna poterit totum contegere Solem, qui centies, & quadragies, ex Tychone, vel verius centies sexagies, ex alijs Astronomis, maior est terra, vnde maior est Luna, quinquies millies, & sexcenties, ergo Luna totum obruere tenebris nequit Solem. Quod demonstrat egregiè Christianus in sua Astronomia Danica fol. 168. Duæ, inquit, lineæ rectæ ab extremitatibus diametri Solis ducantur ad superficiem terræ, & Lunare corpus in transitu pertingant, patet partem circumferenriæ lucidæ corporis Solaris, ab obscuratione intactam remanere, quoniam lineæ illæ lunare corpus, & occultationem ab ipso inducendam prætereunt, & excedunt; Quare illi, qui degunt in terræ lateribus, subiectis lineis, ductis ab extremitatibus diametri Solis, ipsum in ea parte lucidum intuentur. Hinc fit vt Luna, quamuis Solem nobis occultet, minorem tamē se prodat; Et animaduertit P. Aquillonius lib. 6. Opticæ, quod anno 1567. facta est Eclypsis, in qua tametsi Luna esset directè interposita inter Solem, & humanum visum, nihilominus totum non tegebat Solem, sed relinquebatur circa Solem circulus quidam lucidus, qui instar coronæ, discum Lunæ ambiebat; Igitur si Luna nequit totum obscurare Solem, planè conficitur, obscurationem Solis futuram in fine Mundi, à Luna efficiendam non esse, nam sacra Prophetarum oracula, à nobis supra relata, nec non verba Christi Domini Matt. 24. indicāt Soli totaliter tenebras offundendas esse. *Sol obscurabitur*, hæc enim sunt verba absolutè, & simpliciter prolata, quæ totum indicant, quod indicare possunt, ergo significant totalem Solis obscurationem, quæ præstari nequit à Luna coniuncta Soli, quamuis precisè in Nodis reperiatur.

Tenebræ futuræ sūt per vniuersam terrā.

Luna non potest tegere totum Solem.

Prætermittendum non est, naturalem defectum Solis, vel ipsius Eclypsim, alicubi terrarum apparere, & alicubi non, & aliquando Solem totum obscuratum ab aliquibus conspici, & aliquando partem ipsius; Ratio ducitur à differentia, quæ reperitur inter Eclypsim Lunarem, & Solarem, quoniam Eclypsis Lunaris est vniuersalis, facta ab vmbra terræ, quæ in omni Climate est eadem, Eclypsis autem solaris non est vniuersalis, & in vno climate apparet, & non in alio, & in hoc loco maior, & in illo minor conspicitur; Quæ diuersitas dependet ab aspectu nostro, qui diuersus est ad Solem, propter diuersos situs terræ, & climata, & dependet etiam à parallaxi Lunæ, quæ in diuersis climatibus diuersificatur. Vnde constat, quod Eclypsis Solaris, neq; eodem modo, neq; eodem tempore, & prorsus inæqualiter ab oculis humanis perspicitur. Quoniam verò probabile est, & maximè veritati consonum, quod Sol in fine Mundi obscuratus, aspiciēdus sit eodem ferè tempore, eodemq; modo ab omnibus gentibus nostrum Hemisphærium habitantibus, ne aliqui extimescant, alij verò nullo terrore turbentur, eo magis, quia excidium Mundi vniuersale requirit etiam signa in luminaribus, & præsertim in Sole, non partialia, respectu alicuius gentis, & climatis, sed totalia respectu totius humani generis, ideò statuendum est, obscurationem Solis euenturam in fine Mundi, nequaquā à coitu Lunæ cum

Eclypsis Solis non vbiq; apparet.

eodem Sole posse contingere, aliumque excogitandum esse modum, quo Sol atra nocte obruetur.

Cæterum antequam id aggrediar explicare, grauissima expendenda est dubitatio, quæ nostram vrget, hucusq; explicatam, assertionem, & petita est ab Eclypsi Solari, quæ in funere Redemptoris nostri vniuersam terram contexit. Etenim illam contigisse, ex miraculosa coniunctione Lunæ cum Sole, refert Dionysius Areopagita epist.7. ad Polycarpum, & ep.2.ad Apollophanem Philosophum, in qua enarrat, se vna cum Apollophane in Heliopoli Aegypti, Eclypsim illam admirandam obseruasse, feria sexta, & hora etiam penè sexta, *quando Sol horribilis subitò est tenebris obsitus, Luna ipsum intercurrente, & cum repurgatio, restitutioq; facta est luminis*, vt ipsius vtar verbis, *Luna ad Solis diametrum conuersa, aufugit, & cum compertum esset eo tempore Solem Eclypsis molestias, laboresq; minimè pati debuisse, nihilominus Luna ab Oriente Solarem splendorem, pullis nigricantibus velis obduxit, cum soleat ex Occidua parte Solem ingredi, & tamen tunc Solis radios, vsque ad occiduos fines peruagata, occultauit, cum Luna id tempus deesset, neque coitus tempus vicinum esse cognosceretur*. Hæc ferè Dionysius; qui narrat de illo admirando Phenomeno se interrogasse Apollophanem, qui diuino quodam afflatu respondit, has diuinas esse rerum vicissitudines; Cuius Eclypsis miraculum à D. Paulo, audiente Dionysio, aliquot inde annis prædicatum, Dionysij animum ad christianam fidem conuertit. Qnamobrem, si ex verbis Dionysij colligitur, Lunam in nece Saluatoris, ex opposito cum Sole ad spectu, progressam esse ad coniunctionem, contra ordinem proprij motus, & ipsum Solem in parte Oriẽtis obscurasse, & non in parte Occidentis, vt naturaliter solet Luna obscurare, imò putãdum est, Lunam humilius solito, atq; infra suum Cælum incessisse, vt toti terræ totum Solem occultaret; nam quantò corpus opacum, vt supra dixi, oculis nostris propius est, tantò maius spatium nobis occultat, vnde Luna à sua orbita deflectens, facta propinquior terræ, Solem totum obscurauit; quidni idem eueniet ante Iudicij diem? Igitur alius non est inquirendus modus, quo Sol tunc tenebris implicabitur, quando miraculosè, vt euenit in passione Domini, ab opacitate Lunæ sit obtenebrandus.

Eclypsis Solis in Christi morte.

Lunam in passione Christi humilius descendisse.

In hac re prorsus ardua, & sua magnitudine imbecillitatem humani ingenij obruente, afferri non possunt rationes demonstratiuæ, docentes modum, quo Sol in fine Mũdi patietur Eclypsim, siquidem verus modus, vt nobis ignotus, ita solum Deo, & Angelis est compertus, sed humanæ mentis tenuitati sat est probabiliter de hoc mysterio disceptare, & quemadmodum non est negãdum obscurari posse Solem miraculosè in fine Mundi, à coitu Lunæ, vt euenit in Occasu Saluatoris nostri, ita non est prætermittenda inquisitio alterius modi, quo eadem pulcherrima Solis facies tenebris fœdabitur. Et quoniam miracula, absq; necessitate, inducenda non sunt, si aliquis modus inuenatur, non ita miraculosus, qualis ille fuit, quo Sol passus est tenebras in funere Domini, & in quo Luna à sua sede, & cursu deturbata est, fortasse non erit reijciẽdus, sed tamquam probabilis recipiẽdus; Ideò ad hunc modum explicandum, præmittẽda est breuis consideratio, de maculis Solaribus, quibus, ministerio Angelorum, congregatis, Solem in fine Mundi caligine obtegendum esse, demonstrare conabimur,



QVÆ-

QVÆSITVM SEXTVM.

Proponitur tractatio de maculis: excluditur illorum error, qui putarunt, maculas Solares esse deceptiones visus, & examinatur accuratè opinio præclarissimi Viri Equitis Scipionis Claramontij, existimantis maculas esse vapores in Atmosphæra, & exploditur sententia putantium esse Stellas.

DE maculis Solis accurata quidem, sed breuis contexenda est disputatio; Et quemadmodum maculæ hoc donatæ sunt nomine, quia speciosum Solis vultum commaculant, ita vmbræ nuncupantur; quia etiam intellectui humano tot ignorantiæ vmbras offundunt, vt quid de ipsis certò statuendum sit, adhuc humanum ingenium in ipsarum subobscura luce caliget.

Solares maculas non esse ex visus vitio. Primò quidem, tamquam tectum, fartumq; experientia constituendum est, tales maculas non esse næuos, & labes vitrorum, & Telioscopij, vel ludibria, & præstigia oculorum, vel refractiones radiorũ sensum visus ludificantes; Etenim præstantissimorum Astronomorum laboriosis, ac diuturnis obseruationibus receptum est, maculas non esse ludificationes visus, quoniam diù, & in pluribus distantibus locis non fuissent eodem tempore spectatæ.

Claramõtij opinio. Præterea exploratissimum est, maculas solares nõ esse vapores in atmosphæra coactos, qui sese, tum aspectui Solis, tum nostris oculis obtrudendo, ipsius Solis lumen aliquando præripiunt; Quæ fuit sentẽtia celeberrimi Philosophi, & Astronomi, numquam satis dilaudati, Scipionis Claramontij in sua defensione Itala contra Galileum p. 4. cap. 19. vbi asserit, Solares maculas non esse cælestes, non propinquas Soli, non fictæ magnitudinis excedentis mare mediterraneum, & Africam, & Asiam, vt putauit Galileus, sed esse vapores in atmosphæra, fumositates, & exhalationes, quæ propter densitatem impediunt radios Solis, saltem quantum impedisit nubes, quamuis propter exiguitatem non videantur, vt nubes. Hinc ait, maculas aliquando non apparere, quia scilicet occurrunt, reuoluentibus annis, tempora, & constitutiones siccæ, vaporibus carentes; Vnde refert Pisis, & Romæ obseruatum fuisse à die 12. Iulij, vsq; ad diem 14. Septembris, nullam maculam inspectam fuisse, præ siccitate, qua tunc temporis tellus vrgebatur.

Cogor ab hac sententia recedere, quandoquidem mihi curæ est demonstrare, Solem in fine Mundi totaliter, & per aliquod tempus à maculis solaribus, tenebris obducendum esse; Quod vaporibus in atmosphæra congregatis neutiquam potest adscribi; Siquidem halitus elementares, vel agitati à ventis, vel disiecti à calore Solis, vel distracti à motu primi mobilis, secum rapientis aerem, & aquam, non possunt firmiter se se obijcere Soli, ipsumq; per aliquod temporis interuallum obscurare; Quod si nubes pluribus diebus, hyberno tempore, in hac nostra regione, ita Solem obumbrant, vt vix suos effundat radios, nihilominus inter nubes satis emicat, ad diem producendum, illa verò postrema Solis obscuratio erit totalis ipsius luminis priuatio. Addo; quod si Luna, vt supra indicaui, eò quia minor est Sole, nequit in Eclypsi Solari, totum Solis discum naturaliter contegere, dubio procul id minus præstare poterunt vapores, qui in tantam quantitatem, & extensionem naturaliter extuberare nequeunt, vt Lunæ periferiam adæquent. *Macularum Solis duratio.*

Insuper vapores non eum seruant tenorem, & regularem motum, qualem peritissimi Astronomi in maculis solaribus deprehendunt, nimirum quod dierum circiter quattuordecim spatio, Solis diametrum ex vno in aliud latus pertranseunt. & quod diebus vel 26. vel 27. circa Solem reuoluuntur; nam vapores propter indicatas causas, neque regulariter mouentur, neq; obtinent consistentiam, vt apparet in nubibus, quæ continuò exci- *Solarium Macularum regularitas.*

citatæ, eodem non permanent loco; At secus de maculis obseruatis est à P. Christophoro Scheinero in sua Rosa Vrsina lib.4. p.1. cap.1. referente, quod si quis à primo Solis ortu dirigat per tubum opticum in ipsum Solem obtutum, & aliquam maculam animaduertat, per totam diem inueniet eamdem maculã eumdem ad Solis adspectum retinere, cum Sole mane quotidie oriri, cum eodem toto die conuerti, nec non vespere cum ipso occumbere; Quare si maculæ seruant in motu certas phases, periodos ordinarias, statas zonas, flexuras, augmenta, & decrementa, & vno verbo, regularissimas vicissitudines, iure merito conclusit Scheiner lib.3. demonstrat.4. ipsas nõ esse vapores.

Maculæ Solis non sunt vapores.

Præcipuum fundamentum, quo nititur sententia Claramontij, ab ipso explicatum 1. parte suæ defension. cap. 7. est obseruatio facta macularum, eadem hora, in diuersis locis, vt in Castro Duranti, nunc Vrbania appellato, & in Ciuitate Ariminensi, qua obseruatione declaratum fuit, maculas Solis magnam habere inter se differentiam, quoad locum, in Discis solaribus in paginis notatum; Vnde argumentatur vir eruditissimus, maculas non esse cælestes, sed sublunares, quia phænomon cæleste in parua distantia, triginta, vel quadraginta milliarium, quæ intercedunt inter Vrbaniam, & Ariminum, subire nequit vel minimam adspectus diuersitatem. Ambigo, cui maior fides sit adhibenda, an Claramontio, an Galileo, & Scheinero, qui lib.4. p.1. cap.1. vnanimiter tradunt, maculas Solares in varijs, & maximè inter se distantibus prouincijs, eodem quasi tempore visas, & consignatas, omni prorsus sensibili aspectus diuersitate caruisse; Vnde concludit Scheiner, quod maculæ in Italia, Germania, Polonia, Belgio, Gallia, Hispania, Nouo Orbe, & alibi obseruatæ, omnem prorsus respuunt parallaxim; Idẽ docuit Galileus, nimirum maculas Solares vicinas esse, & contiguas Soli, argumento ducto à negatione parallaxis, quæ numquam potuit efformari in inspectione ipsarum macularum, quoniam eædem in diuersis regionibus valdè distantibus, eodem tempore, & eodem loco circa Solem extitere, vti in Germania, ad altitudinem poli 48. 20. & Florentiæ ad altitudinem poli 43. 40. Vide Galileum in fine epist. 2. ad Marcum Vuelserum. Itaq; si æqualiter æstimãdæ sunt obseruationes Galilei, & Scheineri, & Claramontij, non rectè hinc ipse Claramõtius deducit, maculas esse vapores. Qui etiam, ad demonstrandum sermonem de parallaxi, quoad maculas, omninò superuacaneum esse, negat identitatem macularum, & asserit maculam non esse eandem, neq; in toto cursu vnius mensis, neq; in cursu quattuordecim, vel quindecim dierum, neq; in vnica die, & ostendit maculas subinde continuò mutari, obseruatione facta à suis amicis, & discipulis, in locis ab ipso commemoratis, quam obseruationem in schemate delineat, & ex qua asserit, compertum sibi fuisse, maculas per tres horas identitatem non habuisse, vt edisserit p. 4. pag. 32. Cæterùm cum supra Scheineri testimonio relatum sit, maculam eumdem ab Solem aspectum, & tenorem, per aliquod tempus seruare, prorsus ambigendum est, quisnam ipsorũ hallucinetur.

Solares maculæ carent parallaxi.

Claramõtij obseru. dubiæ.

Non est quidem dissimulanda authoris clarissimi ratio, qua potissimum probare contendit phænomena non esse propinqua Soli, sed esse sublunares impressiones. Maculæ solares, inquit ipse, proijciunt ad nos vmbram, quæ in discis solaribus expressis in paginis conspicitur; ergo maculæ non sunt contiguæ Soli, sed telluri propinquæ. Antecedens firmatur experientia; Consequens verò ita demonstrat: Si macula Solaris debet ad ad nos suam traijcere vmbram, debet etiã in sua longitudine, decem semidiametros terræ continere; ex quo sequitur, talem maculam contegere posse, per longitudinem totum Discum Solarem, & per latitudinem, saltem tertiam Disci partem; Vnde eueniret, quod Sol semper, aut totalẽ, aut partialem Eclypsim talibus maculis pateretur, & tunc totalem, quando macula esset æqualis longitudinis, & latitudinis. Hinc infert, quod vnica tantum esset macula, tantæ magnitudinis, & non non plures, cum tamen multæ in Disco Solis appareant; Quamobrem cum assiduè non eclypsetur Sol, pluresq; maculæ conspiciantur, deducit author spectatissimus, maculas non esse ingentis quantitatis, sed paruę molis, neq; Soli propinquas, sed nobis vicinas. Id confirmat vmbra

Claramõtij ratio.

pro-

proiecta à Luna ad tellurem in Ecypſi Solari, quæ vmbra magnum occupat ſpatium terreſtris ſuperficiei, quia eadem Luna eſt terræ propinqua.

Fateor hanc ſapientiſſimi Matheſis Coryphæi meditationē plurimi æſtimandam eſſe, ſi æquiuocatione non laboraret; Etenim verum eſt, maculas Solares vmbras appellandas eſſe, propter opacitatem, & obſcuritatem, quam præſeferunt, ſed non eſt concedendum illas maculas proijcere vmbras in Diſcis Solaribus, in quibus notantur, quoniam ad tantam diſtantiam corpora illa opaca, quamuis ingentis magnitudinis, vmbram non proijciunt, ſed illæ, quas ipſe appellat vmbras, ſunt ſpecies emanātes ex illis corporibus, & ſunt qualitates ſpiritales repræſentantes opacitatem eorum corporum, in momento temporis traiectæ per medium, & collectæ, vel per foramen rotundum feneſtræ, vel per tubum opticum in charta alba, vel in panno lineo, vel in pariete dealbato. Quamobrem ſi ſpecies à Philoſophis, nō vmbræ, ſed rerum imagines, & ſimulachra nuncupantur, cur illæ ſpecies apparentes in charta, vmbræ illorum corporum dicuntur? Quocirca magna eſt differentia inter illas ſpecies, & Lunæ vmbram obſcurantem terram in Eclypſi Solari; Siquidem vmbra Lunę non repręſentat Lunam, neq; eſt ſpecies ipſius Lunæ, qualis eſt illa, quæ nocturno ſereno tempore fulget, vel in ſpeculo, vel mari, vel flumine, Luna ipſa illuceſcente.

Refutatio Claramontij.

Diſcrimen inter ſpecies & vmbras.

Confirmat hanc meam explicationem P. Scheiner lib. 4. p. 1. cap. 44. ita loquens: *Quando nubes, arbores, turres à Sole per Telioſcopium proijciuntur in chartam, faciunt quidem vmbras nigras, vmbræ tamen meræ in obiectis illis non ſunt, ſed colorum verorum ſpecies in chartam deferuntur, & hoc planum fit in ſpeciebus, per foramen in obſcuram cameram immiſſis, quæ maioris lucis præſentia fuſcantur.* Quibus ita conſtitutis, infirmatur ratio Claramontij, deducta ab incommodo vmbrarū, quas proijcere non poſſent in chartam maculæ Solares, ſi propinquæ eſſent Soli, propter maximam diſtantiam. Etenim negandum eſt, ſpecies ab illis phęnomenis proiectas, eſſe veras vmbras, & aſſerendum eſt, ipſas eſſe qualitates ſpiritales, quas fundunt omnia corpora ad noſtros oculos, vt videantur. Illud verò, quod addit de magnitudine macularum, quę ſemper eclypſarent Solem, & aliquando totaliter, & quod vnica tantum, & non plures maculę eſſent, hoc loco non eſt diſcutiendum, quoniam infra enarrabo ingentem eſſe macularum quantitatem, perſimilem magnitudini Africæ, Aſiæ, Europæ, & tales maculas potuiſſe aliquando, tum partialiter, tum totaliter obſcurare Solem, repetitis hiſtorijs exploratiſſimum fiet. Hæc erant conſiderāda in ſententia præclariſſimi Claramontij, ſummis laudibus, & obſequijs digniſſimi, qui noſtræ Italiæ Aſtronomicam gloriam acutiſſimis, & elaboratiſſimis lucubrationibus contra Tychonē Keplerum, & alios exteros, vnaq; Ariſtotelicam doctrinam ſtrenuiſſimè tuetur, quiq; hoc tempore octogenarius, Studijs pietatis, & litterarum incumbens, feliciſſimo fruens æuo, ſuæ famæ immortalitatem odoratur.

Succedit alia opinio eorum, qui putarunt, maculas eſſe Stellas errantes, quarum aliquæ vagātur inter Solem, & Mercurium, & inter Mercurium, & Venerem; Quæ fuit primùm opinio Apellis in Ep. ad Marcum Vuelſerum; neq; eidē Apelli inconueniens fuit, maculas ſidera æſtimata, figuras non rotundas habere, quia ipſe arbitratus eſt in Epiſt. commemorata, Stellas non eſſe penitus rotundas, ſed diuerſarum figurarum, & propter lumē, atq; diſtantiam rotundas, videri. Id quod apparet in candela accenſa, cuius flamma eminus conſpecta, Sphærica conſpicitur, cominus autem pyramidalis, ſiue conica. At contrarium Telioſcopio à recentiori obſeruatum eſt, qui vna cum antiquis Aſtronomis, Stellas omnes figuræ rotundæ conſtituerunt; Et ſanè multa inter Stellas, & maculas adnotantur diſcrimina; Nam Stellæ ſemper ſunt ſplendidæ, maculæ ſemper obſcuræ; Illæ vel immotæ, vel motæ, proprijs, & regulatis motibus cientur, hæ vt infra dicam, diuerſis, & irregularibus motibus excitantur; Illæ in diuerſis diſtantijs ſunt à Sole remotæ, hæ contiguæ Soli, Illæ non videntur, niſi quādo valdè ſeparantur, & diſtant à Sole, hæ non apparent, niſi contiguæ, & propinquę Soli; Illæ conſtant materia denſa, & opaca, iſtæ rara materia, quaſi nebulæ, vel nubes, quibus ſæpiſſimè ſimiles facit Galileus.

Opinio Apellis.

Diſcrimē inter Stellas, & maculas.

leus. Itaq; mihi non probatur dicterium asserentium maculas esse Stellas, quæ reuoluuntur circa Solem, instar illorum siderum, quæ à Galileo inuenta, & Medicea appellata, circa Iouem circumrotantur. Hinc etiam improbabile est pronunciatum illorum, qui maculas congeriem minutissimarum Stellarum posuerūt, tum quia illæ Stellę diuersos haberent motus, imo innumeros, sibi inuicem contrarios, tumultuarios omnino; & irregulares, vnde incurrerent in seipsas, & quasi seipsas penetrarent, dum omnes se circa Solem mouere contenderent. In hoc placitum conspirarunt doctissimi authores P. Bartholomæus Mastrius Meldulensis, & Bonauentura Bellutus in Disputationibus in Lib. de Cælo, & Meteoris, qui arbitrantur, maculas esse Stellas quasdam, veluti Solis asseclas, in quibusdam circulis, seu epyciclis reuolutas; Quod magnis non caret incommodis; Nam si cuilibet maculæ epycicli gyrus attribuitur, absq; dubio situm macula mutabit, & pars occidentalis, orientalis euadet, & è contra; At cum maculæ figuram, & situm ad eandem Solis partem semper habeant conuersam, non mouentur per epyciclos, vt latè demonstrat Scheiner lib.4. p. 1. cap. 22. Difficult. 4. Porrò maculæ non sunt spæricè rotundæ, & propterea parum congruentes epyciclis, in quibus debent moueri; Vel si singulis maculis epycicli tribuantur, dabitur mutua corporum, & motuum implexio, aut penetratio, & cursuum impedimentum, cum ipsæ maculæ non sunt valdè distantes à Sole; sed centro Solis omnes propinquæ; & tandem, cum per epyciclos regulentur motus in Planetis, excepto Sole, carente epyciclo, & etiam Luna, cui ab aliquibus Astronomis negatur epycicius, cōstat ex Galileo, Epist. 2. ad Vuelserum pag. 49. aliquas maculas habere motus indeterminatos, & irregulares.

Maculæ Solis non sunt Stellæ.

Hanc opinionem libenter reijcio, quia non suffragatur iis, quæ à me statuenda sūt de solaribus maculis obscuratutis Solem in fine Mundi; quandoquidem si Stellæ sunt lucidæ, ergo nequeunt Solem obumbrare, quod pluries præstiterunt maculæ, vt infra enarrabo: Fortasse hæc sententia fauet illis, quæ à me considerabuntur in expositione sacri textus in illa verba. *Et Stellæ cadent de cælo*; Siquidem ostendam, partes puriores ætheris simul collectas, & condēsatas, ope Angelorum, Stellas esse cōstituendas, quæ deinde eorumdem Angelorum ministerio, rarefactæ, & dissolutæ, nostrum obtutum effugientes, de cælo labi æstimabuntur.

Quomodo Stellæ sint casuræ de Cælo.

QVÆSITVM SEPTIMVM.

Referuntur sententiæ Galilei, Kepleri, Auersæ, Scheineri, & accuratè examinantur, & partim refelluntur.

Opinio Galilei.

SE se obijcit opinio Galilei, collecta, tum ex Epistolis Italis, ab ipso ad Marcum Vulserum conscriptis, tum ex alijs eiusdem ingeniosissimis lucubrationibus; scilicet; Maculæ solares sunt aggregationes multorū corporum, quæ opaca sunt, similia nubibus, figuræ irregularis, & diuersæ, quam subindè mutant, vt etiam variant situm inter se, cum modò congregentur, modò dissoluantur, & in vna macula, decem, vel plures enumerantur, quæ referunt globos, lanæ, vel niuis. Addit ipsas esse Soli proximas, imò contiguas, atq; ob id superficiem ipsius tangendo, ab ipso Sole circumduci, & circa ipsum, tanquam proprium, centrum moueri, non per lineam rectam, sed aliquando per curuam, & circularem, neq; in circulis ab ipsa superficie Solis remotis reuolui, vt Mercurius ac Venus circa Solem circumuoluuntur; Subdit ipsas produci, nasci, denasci, breui tempore aliquando dissolari, & quamuis ab initio, ipsarum motus inconstans sit, & irregularis, tamen intra tempus determinatum, circa Solem reuoluuntur, & vnica circulatione complent spatium, quasi vnius mensis, iuxta motum, quem circa axem mobilem, ab Ortu in Occasum, conuersione, quasi menstrua habet Sol super polos proprios, licet aliquando aliquæ ex ipsis maculis longiorem habeant

Reuolutio macularū circa Solē.

beant durationem, & tandem adijcit maculas sua magnitudine superare Mare mediterraneum, & totam Africam, & Asiam. Hæc est genuina Galilei opinio; quæ tamen non leuibus affluit dubitationibus; Namq; si maculæ non sunt intra Solis superficiem, neq; in ipsa substantia Solis immersæ, sed eidem Soli propinquæ, & contiguæ, non video quomodo rectè inferatur ab ipso, maculas consequi Solis motum, quo in seipsum reuoluitur; Etenim si Planetæ mouentur per illud spatium expansum, quod fluidum est, quodq; æther, vel aura ætherea nuncupatur, si inquam, mouentur, vel tanquam aues in aere, vel pisces in aqua, sequitur, quod sicuti vel aer, vel aqua non concomitatur, aut pisces, aut aues, sed ab ipsarum auium, & piscium motu funditur aqua, & dispergitur aer, haud secus maculæ, tametsi Soli contiguæ, ab ipsius motu per æthera dispergentur, neq; Solis menstruam conuersionem consequẽtur; vnde tollitur ea regularitas, & vniformitas motus, quæ ab eodem Galileo in maculis constituitur; Quæ sanè regularitas, rectè seruatur in illis spatijs, vel plateis, vt Galilei verbis vtar, quas ipse asserit in superficie Solis, atq; in ipsius facie reperiri, & quæ sunt à maculis distinctæ. Vide suam Epist. 3. ad Marcum Vuelserum pag. 132. Hæc viri clarissimi, & de Astronomica scientia optimè meriti sentẽtia probabilior est, & minoribus inuoluitur difficultatibus mihiq; suppetit materiam affirmandi maculas Solares, tamquam aggregationes multorum corporum, quæ opaca sunt, posse in fine Mundi ab Angelis coaceruari, ad tenebras Soli offundẽdas. Deficit autem hæc sententia, quia non explicat materiam, & substantiam macularum, & tantum simpliciter profert, ipsas esse corpora opaca; Ideò nostræ partes sunt earumdem macularum materiã declarare, examinatis prius alijs opinionibus, Kepleri, Scheineri, & Auersæ, vt polliciti sumus.

Opinio Galilei difficilis.

Opinio Galilei probabilis, sed manca.

Kepleri sententia.

Sententia est Kepleri in Epitome Astronomico pag. 56. cui assentitur Gloriosus lib. 5. de Cometis, & à qua parum distant opiniones Auersæ, & Scheineri. Existimatis maculas esse fumosos halitus ex corpore Solis exhalantes, & sicuti ex globo telluris fumosæ exhalationes excernuntur, & à rebus combustis ascendunt fumi, ita euenire idem putat in globo Solis, ex cuius intimis visceribus, tanquam nubes atræ, aut fuligines expirant. Cẽset maculas hoc modo explicatas Solis vultũ, aliquando partim, aliquando totaliter obfuscare, atq; ab istis narrat profectam fuisse obscurationem Solis, quæ euenit anno Iulij Cæsaris penè toto, & anno Christi 1547. cum quattriduo toto, sanguinea Solis facies conspecta fuit, nõ in vno dumtaxat loco, sed per Europam vniuersam, & anno Domini 790. idem contigit per dies decem, quocirca infert, maculas non esse materiam humilem, & in aëre repositam, quoniam tam latè Solares radios impedire non potuisset, nec nisi in vno aliquo loco id præstitisset, quin debuisset tegere Stellas longè à Sole distantes, & tamen refert hic Author, monumentis proditum esse, temporibus supradictis, die Stellas emicuisse, ideò statuit materiam illam Soli adhæsisse.

Variæ Solis offuscationes.

Auersæ sententia.

Similem Keplero sententiã amplexatus est P. Raphael Auersa Philosophica, & Theologica laude spectatissimus tom. 2. Philosophiæ quæst. 34. sect. 10. autumans Solem non esse corpus solidum, sed fluidum, atque in seipso, vt Authoris verbis vtar, instar metalli feruentis agitatum; Et quemadmodum in metallo ebullienti aliæ sunt partes magis obscuræ, aliæ minus, vnde modò illæ, modò istæ se exerunt, ita partes obscuriores, & opacæ in globo Solis contentæ, subinde ad faciem externam Solis elatæ, nunc extra feruntur, nunc intra ducuntur, atq; ita maculæ prodeunt, & occultantur; Quæ assertio renouat placitum Anaxagoræ, Solem lapidem candentem appellantis; Et quoniam hoc fortasse proprio authori videbatur figmentum, addit maculas Solis esse opacitatem quandam in ipso productam, virtute causarum cælestium, non explicans modum, quo producatur, neq; ostendens, Solem intrinsecè corpus lucidissimum, esse huic opacitati accommodatum.

Scheineri opinio.

Cohæret cum huius Authoris sententia Scheineri opinio, putãtis augmentum macularum fieri ex materia erumpente ex globi Solaris visceribus, glomeratione quadam locali, & prauijs, & concomitãtibus multis alterationibus physicis,

ad exteriora propelli, atq; adeò partes illas conglobatas, in massam constipari, & maculas efformare.

Sententiarum connexio. Hæ tres sententiæ ferè in vnam coeuntes, supponunt, Solem esse intrinsecè alterabilem, & transmutabilem; imò fluidum, ac liquidum, nec non ipsius materiam eiusdem esse naturæ cum elementorum materia, ex qua sicuti educuntur formæ, & accidentia, ita arbitrantur isti ex materia Solis has maculosas erui qualitates; Quod penitus aduersatur incorruptibilitati syderum ab Aristotele constitutæ, & ab Angelico Doctore comprobatæ, 1. p. quæst. 67. art. 2. in corp. vbi docet non eandem esse materiam corporis cælestis, & elementorum, nisi secundum analogiam, & secundum quod in ratione potentiæ conueniunt.

Horum Authorum placita opinor fundamentum constituisse in opinione illorum, qui censuerunt lucem primigeniam à Deo primo die creatam fuisse quãdam nubem lucidam, quæ post modum, producto Sole, non in materiam præiacentem rediit, sed remansit, & Soli fuit coniuncta, nam dicere fortasse possunt prædictæ opinionis affeclæ, quod ex materia nubis, quæ in Sole remansit, illæ exhalationes vaporosæ, & fuligines prodeunt, quas ipsi commemorant; Cæterum S. Thom. 1. p. quæst. 67. art. 3. ad tertium reprehendit affirmantes corpus Solis ex nube formatum fuisse, quia esset de natura quattuor elementorum, & haudquaquam incorruptibile, vt ipse cẽset S. Doctor, qui amplectitur opinionem S. Dionysij de Diuin. nomin. cap. 4. tradentis lucem illam primò creatam, fuisse lucem Solis, sed adhuc informem, & habuisse virtutem illuminatiuam in communi, postea verò obtinuisse specialem, ac determinatam virtutem ad effectus particulares producendos.

Opiniones de luce primigenia.

Refutatio prædictæ sententiæ. Verum enim verò hæ sententiæ non solum eo premuntur incommodo, quo admittunt fluiditatem, transmutationem, & corruptibilitatem in Sole, neq; afferũt causam, ob quam ex cæteris planetis, & præsertim ex Luna magis opaca, & quæ terra cælestis appellatur, talis fumositas non expirat, sed conantur concedere, maculas esse in Sole, ipsarumq; locum, esse Solis superficiem, vt multis argumentis nititur demonstrare Scheiner lib. 4. à cap. 55. vsq; ad cap. 66. & 1. p. Rosæ Vrsinæ cap. 7. ostendit, maculas, & faculas, extra patentem Solis orbem, vel Discum nequiquam apparere. Quæ omnia multis implicantur difficultatibus, & repugnantijs; Enimuerò si maculæ sunt in ipso corpore solari, & ex ipso emergunt, quæro causam, ob quam aliquando apparent, & aliquando non videntur, quandoquidem anno 1618. eo tempore, quo Trabs, & Cometa affulsit, nulla macula visa est, neq; in anno 1634. à 19. Iulij vsq; ad medium Septembris nulla pariter conspecta fuit, vt refert Andreas Argolus se obseruasse in suo Pandos. Sphærico cap. 44. Etenim si eadem est Solis facies, & superficies, si ex illius visceribus iugiter vaporosa erumpit materia, cur semper maculæ in eius vultu non conspiciuntur? Præterea si earum macularum qualitas est similis vaporibus, vel exhalationibus, ex telluris gremio emanantibus, quemadmodum illæ nullam habent statam in suis motibus periodum, ita maculæ non haberent certas phases, & regulatas vicissitudines; nihilominus exploratissimum Astronomis est, easdem maculas, vt supra dixi, certis motibus cieri. Vlterius Scheiner lib. 4. p. 1. cap. 16. pronunc. 9. affirmat, macularum itinera, primum rectilinea paulatim abire in curui linea, ita vt continenter incurruentur per tres menses, Decembrem, Ianuarium, Februarium, & per tres alios menses, Martium, Aprilem, & Maium in rectitudinem se recipiant, & post initium Iunij, rursus inflectantur curui linea, donec paulò post initium Septembris, in æquilibrio constituta fuerint, ex quo rursus per tres menses, Septembrem, Octobrem, & Nouembrem, in rectitudinem se referunt; Quare si in ipsa superficie Solis, atq; in ipsius substantia maculæ reperiuntur, quomodo tot figuras mutare possunt, permanente semper immutabili eadem Solis facie, & superficie? Imo qui fieri potest, vt aliæ in orientali parte Disci Solaris velocius moueantur, aliæ in medio Solis tardius agitentur, si ab eodem Solis corpore proficiscuntur? Propterea Scheiner lib. 4. p. 2. cap. 27. refellens sententiam Auersæ, & repetens maculas circa Solis centrũ ordinariè, viginti sex,

Maculas Solis non semper apparere.

Motus macularũ Solis.

aut septem diebus circumduci, ostendit id nequaquam cohærere cum illo pronunciato, quod maculæ ex interno Solis meditullio in superficiem externam deducantur, & postea ab hac iterum versus interiora discedant.

Non concurrit maculas esse in Sole. Nō ignoro Scheinerum adductum fuisse ad opinandum, maculas inesse Soli intrinsecus, ab hac potissimū ratione, quòd maculę ex vi parallaxeos, quę nulla in ipsis cernitur, nō solum supra Lunam, Mercurium, & Venerem extolluntur, sed etiam in Cælum vsq; Solis euehuntur, & in ipso Sole collocantur, vt ostendit lib. 4. p. 1. cap. 55. namq; existimo, ob hanc rationem, minimè asserendum esse maculas in Sole contineri, sed quidem à Sole tantum non distare, vt parallaxim sensibilem efficiant, quæ sentiri nequit, propter diametri terrenæ insensibilitatem, ad maximam Solis distantiam, & negatio parallaxis conuincit quidem, maculas à Sole nō abesse, tantum, quantum absunt ab eodem Luna, Venus, & Mercurius, sed non cogit intellectum ad affirmandum, maculas in ipso Sole reperiri. Vnde Galileus negando in maculis parallaxim, concedit, ipsas non esse in superficie Solis, sed eidem propinquas.

Doleo, me non posse horum Authorum adstipulari sententiæ propter absurda, quibus inuoluitur, nam cæteroquin iuxta hanc de Solaribus maculis explicationem, facilè demonstrarem, Solem in fine Mūdi intrinsecus, & in sua substantia obscuratum iri, propter coaceruationem exhalationum, seu fuliginū ex ipso erumpētium, quia videlicet Angelorum ministerio, tales fumositates in Sole collectæ, & conglobatæ, eius faciem offuscarent; Quin verosimile videtur, obscurationem euenturam in Sole, non futuram esse extrinsecam, & solum respectu impedimenti, quo efficietur, ne radij Solis ad humanos oculos perueniant; Nihilominus, quia illorum non adhæreo sententiæ, qui arbitrantur mutationem substantialem, & intrinsecam faciendam esse in corporibus cælestibus, in fine Mundi, vt disputabo contra Molinam præsertim, in secunda parte huius tractatus, & censeo solum mutationem accidētalem in cælestibus sphæris euenturam, cogor etiam affirmare maculas non esse intrinsecas corpori Solari, sed extrinsecus aduenire, & ex alia materia quàm ex globo Solis cōflari; Qualis autem sit illa materia in sequenti quæsito explicare studebo.

QVÆSITVM OCTAVVM.

Ostenditur testimonijs Sacræ Scripturæ, & Patrum maculas Solares esse tum halitus efflatos ex aquis supra cęlos constitutis, tum partes densiores substantiæ æthereæ, in creatione Mundi ex aquis à Deo productæ, & aliqua scitu digna indicantur.

Authoris opinio de solaribus maculis. EXplosis aliorum opinionibus de macularum Solariū natura, opus est, vt propriā proferamus sententiam quæ cum nouitatem quandam præseferre videatur, vt maiorem sibi fidem conciliet, firmissimis Sacræ Scripturæ, & Patrum dogmatibus astruetur. Ideò opinionem nostram duobus pronunciatis explicabimus, quorum primum esto; Maculæ Solares sunt halitus aquarum, quæ supra cælos collocatæ sunt, quiq; halitus diffunduntur per spatium, quod æther appellatur, & Soli potissimum, & non alijs adhærent Planetis, & Syderibus, quia Sol igneis radijs in aquas penetrans, illos halitus ad seipsum trahit; Et quoniam proprium ignis est denigrare illa, in quæ agit subiecta, vt apparet in ligno nigricante quando ab igne disponitur ad formam ignis recipiendam in charta, & palea, quæ combustæ nigrescunt, & in lychno à flamma nigro colore suffuso, ideò Sol sua substantia igneus, vt infra indicabo, nigrum inurit halitibus illis colorem: sed quoniam hæc nonnullis referta sunt dubitationibus, placet per singula ire, & dubitationum nucleos euoluere.

Aquas supra cælos esse, constat ex verbis 1. cap. Genes. à Deo prolatis, & à Moise descriptis. *Fiat firmamētum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas,*

quæ erant sub firmamento ab his quæ erant super firmamentum. Variæ sunt expositiones de voce Firmamenti allatæ, nam vel intelligitur cælum corporeum, ad differentiam creaturæ spiritualis primo die à Deo factæ, iuxta Augustinum, vel intelligitur, secundum Bedam, Cælum sydereum, ad differentiam Empyrei primo die facti, vel accipitur, secundum Damascenum, cælum sydereum, ad differentiam primi mobilis carentis Stellis prima die facti; vel per Firmamentum intelligitur spatium aeris, in quo nubes condensantur, quod dicitur firmamentum, propter spissitudinē aeris in illa parte, nam quod est spissum, & solidum, dicitur esse corpus firmum; Quam interpretationem approbat S. Thom. 1. p. quæst. 68. art. 1. & sequitur Suarez lib. 2. de opere sex dierum cap. 4. & tandem firmamentum intelligitur pro illo spatio, in quo posita fuerunt sydera, iuxta illud à Moyse traditū: *Dixit autem Deus fiant luminaria in firmamento Cæli*. Hinc firmamentum hebraicè dicitur Rakiah, quæ vox significat extensionem, seu expansionem; Quam interpretationem sequuntur Molina, Pererius, & Martinus Delrius. Itaq; nomine firmamenti accipienda est aggregatio corporum interiectorum inter aquas terrestres, & cælestes, quæ aggregatio includit omnes cælos mobiles, & ipsum æther. Et hæc est expositio Molinæ lib. de opere sex dierum, disput. 2. In qua tamen explicatione decipitur vir doctissimus. Etenim si prima die creata fuit tota substātia corporum cælestium, vt habetur ex initio Genes. *In principio creauit Deus Cælum, & terram*, quomodo pro verbis; *Fiat firmamentum in medio aquarum*, prolatis secunda die, accipienda est complexio, & collectio corporum interiectorum, quæ sunt Cæli.

Expositiones variæ de voce Firmamenti.

Molinæ expositio improbatur.

Rectè quidem hic Author asserit Firmamentum non significare regionem aeris, vt putat Suarez loco commemorato, tum quia ex cōmuni Theologorum consensu, Elementa fuerunt simul creata cum Cælis prima die, & Firmamentum fuit secunda die productum, tum quia luminaria, quæ posita fuerunt in firmamēto, non fuerunt in aere constituta, tum etiam quia aer non potuit secunda die disterminare aquas superiores nubium ab aquis inferioribus, quæ faciem terræ contegebant; nam secunda die, in media regione aeris, nubes coactæ non fuerunt, & præ temporis breuitate, ob quam calor Solis non potuit eleuare vapores, & nubes efformare in sublimi aeris parte, & etiam quia in secunda die nondum erat data actiuitas, & cursus Soli, & vtrumq; impositum fuit quarta die; Idcirco Moyses cap. 2. testatur, quod, condito iam Paradiso, nondum pluerat super terram: Ad hæc: Aquæ in nubibus collectæ nō sunt formaliter aquę sed materialiter tantum; nimirum habent materiam, & substantiam aqueam, sed carent proprijs qualitatibus aquæ, nempe frigiditate, densitate, & grauitate; Idcircò à calore Solis vapores attenuati, in sublime feruntur, cum verò omnes aquæ qualitates acquisierunt, naturali pondere ad ima detruduntur; Itaq; verba Moysis de aquis, eodem prorsus modo sunt accipiēda, ne ambiguitate, vel æquiuocatione laborare dicantur; Et sicuti aquæ, quæ erant sub firmamemnto, verè, & formaliter erāt aquæ, suis natiuis præditæ qualitatibus, ita fas est dicere, tales debuisse esse aquas, quæ supra firmamētū erāt; sed tales nō poterant esse aquæ pluuiales in media regione aeris collectæ, igitur terminus, qui diuisit aquas superiores ab inferioribus, non fuit aer, in quo etiamsi nubes fuissent coactæ, erant tantum materialiter aquæ; iuxta quem sensum explicantur verba Iob. cap. 28. Qui ligat aquas in nubibus, vt non erumpant pariter deorsum; Ex quibus deducitur, quod cum aquæ pluuiales, vel non fuerint secunda die in media aeris regione collocatæ, vel aquæ veræ nō sint, non poterant per Firmamentum separari ab aquis inferioribus, tegentibus superficiem terræ, quæ àquæ erant veræ, & realiter extabant. Neq; admittendum est id, quod ingerit Pererius, scilicet secunda die assignatum fuisse locum, in quo aquæ pluuiales erant adunandæ, quamuis tunc non existerent.

Aquas non esse formaliter in nubibus.

Pererij opinio improbatur.

Nam hæc interpretatio est violenta, & prorsus dissona verbis scripturæ, asserentis quod aquæ erant. *Fecit Deus firmamentum diuisitq; aquas, quæ erant sub firmamēto ab his quæ erant supra firmamentum*; itaq; illa vox: *Erant* non denotant spatium, vbi reponēdæ erant aquæ, vt censet Pererius, sed designat veras aquas existentes, tum

superiores, tum inferiores. Ex quibus ita declaratis, liquet firmaméti nomine accipiendum esse non totum spatium, quod amplectitur cælestia corpora in parte superiori, & in parte inferiori recipit ignem, & aerem, ita vt aquæ superiores intelligantur pluuiales, & inferiores terrestres; Quæ est expositio Perrerij lib. 1. in Genes. cap. 1. vers. 6. §. Non igitur æstimamus; sed Firmamentum significat tantum illud interuallum, vel interstitium, quod patet inter cælum supremum, quod primum mobile dicitur, & infimum cælum, quod est Luna, in quo interuallo fuerunt, referente Moyse, luminaria, & cætera sydera collocata, licet luminaria tantum, veluti astra præcipua, sint à Moyse commemorata, & supra quod firmamentum collocatæ fuerunt aquæ, quæ supra cælos esse dicuntur; nam si sunt supra firmamétum, haud dubiè sunt etiam supra omnes cęlos contentos in firmamento, idest in illo supra explicato interuallo; Itaq; aquæ illæ non solum sunt supra Cælum astriferum, quod communiter Firmamentum nuncupatur, sed etiam supra primum mobile, quoniam credibile non est inter primum mobile, & inferiores cælos aquas interpositas esse, quia circumferrétur, & raperétur à motu primi mobilis, quod nō posset secū rapere inferiores cælos, impeditum ab aquis inter ipsum, & cælos inferiores interiectis, vel saltem ab aquis ita interpositis motus primi mobilis valdè retardaretur. Addo id, quod tradidit Salazar comment. in Prouerb. Salamon. cap. 8. vers. 27. nu. 345. qui putat aliquam substantiam liquidam positam esse inter Empyreum, & primum mobile, ne hæc sphæra suo motu Empyreum globum rapiat, & commoueat. *Enimuerò*, inquit ipse, *cum rotam aliquam gyramus, non solum ea, quæ intra illius sphæram cadunt, secum ferre solet, sed etiam, quæ extra proximè illi adhærent.* Ergo si cælum empyreum, quod hic Author solidissimum existimat, primo mobili contiguum hæreret, sanè velox istius motus, illud secum pariter traheret, ac circumferret; Quapropter necesse est, vt inter vtrumq; magnum aliquod interstitium constituatur, non quidem vacuum, quod intra Mundum esse non potest, sed corpore aliquo liquido repletum, quod vim, impetumque primi mobilis hæbetet, ac eludat, ne ad Empyreum orbem perueniat; ergo liquidum istud corpus scripturà, ait Author, aquas appellat, quæ super cælos sunt, non quia existimet ipse esse veras aquas, sed quia cum liquidum sit corpus, haud immeritò aquarum nomine donatum est; ego autem ab ipso dissentio, statuens, aquas veras, & reales esse supra omnes cælos mobiles collocatas; Neq; ibi violenter consistunt, sed suo gaudent naturali statu; siquidem ille dicitur alicuius rei status naturalis, quem Author naturæ ab initio creationis impertitus est illi rei; Quare cum Deus à Mundi incunabulis, aquas supra cęlos constituit, talis status ipsis cōnaturalis est adscribendus; Et quemadmodum naturalis locus aquarum inferiorum, est ipsarum receptaculum sub elemento aeris, & supra terram, neq; contra naturam, & miraculosè aquę in media aeris regione consistunt, ita aquę illę super cęlestes, supra cęlos, naturali ordine, sibi à prępotenti Deo indito consistunt, & sicuti miraculosa non est constitutio telluris in medio Mundi collocatę, nullo nixę fundamento, sed supra nihilum fundatę, iuxta pronunciatum Iob. cap. 26. *Qui appendit terram super nihilum, & oraculum.* Isaię cap. 40. *Qui appendit tribus digitis molem terræ*, ita non miraculosa, sed naturalis est constitutio aquarum supra cælestes orbes.

Firmamentũ quid sit.

Magnum interstitiũ inter aquas & Calum.

Supra Calos esse veras aquas.

Id confirmat testimoniū Psaltis Psalm. 103. *Extendens cælum, sicut pellem, qui tegis aquis superiora eius*, vbi cælum non sumitur pro aere, cuius pars non tegitur aqua, nec etiam pluuiali, quia nubes non in vltima aeris regione, sed in media continentur, superiora autem aeris teguntur non aquis, sed igne, cui est aer attiguus, licet Suarez interpretetur; quod sat sit aquas non tegere supremam totius expansionis partem, alioquin etiam supra cælum empyreum essent reponendæ, sed tegere tantum aliquam supremam aeris partem, quæ est media regio; at hæc interpretatio vim facit scripturæ accipiendo superiora aeris, non absolutè, & simpliciter, sed secundum quid. Idem insinuatur ex Psal. 148. Laudate cum cæli cælorum, & aquæ omnes, quæ super cælos sunt, laudent nomen Domini; & Danielis 3. in Cantic. trium puerorum habetur,

Testimonia ex Psalmis.

betur, Benedicite aquæ omnes, quæ super cælos sunt Domino, & tandem id colligitur ex hebraica voce, qua cælum appellatur Nassamaim, quod significat; Illic aquæ.

Authoritates pro aquis super cælos.

Præterea corroborant hoc pronunciatum suis calculis, & suffragijs plurimi SS. Patres Chrysostom. homil. 4. in Genes. & super Psalm. 148. Ambros. lib. 2. Hexameron cap. 3. Basil. hom. 3. Hexameron, Damascenus de fide Orthodoxa cap. 9. Augustin. lib. 2. super Genes. cap. 5. cuius hæc sunt verba: *Quomodo, & quales libet aquæ ibi sint, eas esse minimè dubitādum, maior est quippe huius scripturæ authoritas, quam humani ingenij capacitas.* Consentiunt cum his Hilarius in Psalm. 135. Hieronymus epist. 83. ad Oceanum, Cyrillus Hierosolymitanus catechesi 9. Anselm. lib. 1. de Imaginibus cap. 25. Rupertus in Genes. lib. 1. cap. 24. his verbis. *Vnum hoc vt certum teneamus, cameram huius mundi positam esse in medio aquarum, quia videlicet firmamentum, quod quasi tectum eiusdem cameræ est, vndique ambiens, auctoritate Sacræ Scripturæ factum est in medio aquarum.* Subscripsit Beda lib. de rerum natura cap. 8. ita loquens. *Aquas super firmamentum positas cælis quidem spiritalibus humiliores, sed tamen omni natura corporali superiores, quidam ad inundationem diluuij seruatas, alij verò rectius, ad ignem siderum temperandum affirmant.* Cui dicto, quantum spectat ad temperandas flammas sidereas, repugnat Suarez lib. 2. de opere sex dierum cap. 4. quia cum cælum, inquit ipse, sit natura incorruptibile, est etiam incapax alterationis, & elementaris caloris, & propterea non indiget aquis resistentibus, ne consumetur; Supponit autem Suarez, cælum esse natura incorruptibile, & ab intrinseco, quod negari posset cum Molina, & Delrio, affirmantibus esse tantum incorruptibile ab extrinseco, & per Dei voluntatem; sed potius dicendum est, illas aquas ibi locatas fuisse, ob finē humanis ingenijs ignotum.

Aquæ super cælos an diuersæ speciei ab elementaribus.

Porrò illas aquas non esse eiusdem speciei cum elementaribus, suadere conatur S. Bonauentura lib. 2. sentent. distinct. 14. art. 1. quæst. 1. ita suam exprimens sententiam. *Patet, quod super firmamentum veræ sunt aquæ, sicut dicit Scriptura, & authoritates Sanctorum, qui illud intendunt persuadere. Patet etiam, quod non sunt ibi aquæ elementares, siue eiusdem naturæ, cuius sunt aquæ istæ, nec quantum ad corruptibilitatem, nec quantum ad grauitatem, nec quantum ad ignobilitatem, nec quātum ad grossitiem, quantum enim ad naturā grauitatis simpliciter differunt, illæ enim aquæ nullo modo sunt graues, nec appetunt deorsum. Quantum verò ad naturam frigiditatis, partim conueniūt, partim differunt. Conueniunt enim in hoc, quod vtræque sunt frigidæ effectiuè, differunt autem in hoc, quod istæ sunt frigidæ formaliter, illæ verò minimè.* His tamen non obstantibus, sequor Molinæ interpretationem, asserentis aquas esse eiusdem speciei cum elementaribus; nam si considerentur verba à Deo pronunciata: *Fiat firmamentum in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis,* & alia verba sequentia: *Fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas, quæ erant sub firmamento, ab his quæ erant super Firmamentum,* dubiò procul nomen aquæ, vtrobique accipiendum est secundum eundem sensum, & tenorem, ne scriptura ambiguitatibus inuoluatur; Igitur si aquæ terrestres, & inferiores sunt vnius speciei, & habent grauitatem, frigiditatem, & alias natiuas qualitates, igitur etiam illas habebunt aquæ superiores, & consequenter diuisio illa fuit homogenei corporis partitio, & in geminam partem distinctio. Id quod etiam recipit Hurtadus in sua Philosophia Disp. 3. sect. 3. §. 43.

Ratio pro identitate speciei aquæ cælestium, & sublunarium.

Aquas nō esse cælum crystallinum.

Neq; valet subterfugium illorum, qui ad explicandas cælestes aquas, dicunt ad esse ibi cælum crystallinum, quod propter transparentiam, & facultatem, quam habet refrigerandi, persimile aquis videtur; Quod admittit S. Bonauentura lib. 2. sent. dist. 14. quæst. 2. putās ipsum cælū habere in se aliquas aquæ proprietates; nā vt inquit Pererius, nimis insolens est in Scriptura Sacra, per aquas cælos intelligere, & illud cælum aqueum glaciale, & crystallinum est figmentum, quoniam nouem tantum sunt cælestes Sphæræ, & non decem, & antiquis illud cælum fuit ignotum; Quapropter sicuti existimo, illas aquas veras esse, & reales, & eiusdem speciei cum elementaribus, sic non adhæreo opinioni Bedæ lib. de rerum natura cap. 7. censentis aquas illa esse glaciales, & consoli-

solidatas, ne deorsum labantur, vt etiam sensit D. Tho. 1. p. q. 68. art. 2. ad 2. scilicet illas aquas quasi glaciali soliditate, extra cælum esse firmatas; Id quod tradidit Magister sentent. lib. 2. dist. 14. his verbis. *Sed glaciali soliditate aquæ suspenduntur, ne labantur, quales autem, & ad quid condita sint, ipse nouit, qui condidit*; Etenim cum naturaliter non conueniat aquæ glaciatā esse, & consolidatam, sed esse liquidam, & fluidam, putandum est illas aquas non esse in statu ipsarum naturis haudquaquā accōmodato. Causa autem, ob quam non labantur deorsum, est Dei omnipotentia, qua ipse intra suos cancellos, supra primum mobile collocatæ continētur. Quod eleganter expressit S. Ambros. lib. 1. Hexameron cap. 6. *Quo verbo*, ait, *terra suspensa, & immobilis in medio manet, cum vtiq; grauior sit, quam aqua, ita dicendum est non præcipitare aquam orbis illius cælestis conuersione, quæ super cælos est, & asserit, diuinam prouidentiam necessariò conspexisse, vt intra orbem cæli, & supra orbem redūdaret aqua, quæ illa feruentis axis incendia temperaret.* Et si aliquis dubitet, qui fieri possit, vt sidera ignea cum aquis coalescāt, audiat Cyrillum Hierosolymitanum catechesi 9. ita de hac materia disserentē: *Si verò quis ob ignis, & aquæ contrarias naturas dubitet, is ignis meminerit, qui tempore Moysis in Aegypto flammas fundebat in grandine, & sapientissimam omni ex parte Dei fabricationem conspiciat.*

Quomodo aquæ super Cælos consistant.

Quibus ita prænotatis, alienum à veritate non est, affirmare, ex illis aquis vaporosos halitus à siderum æstibus educi, inter quæ primum sibi vendicans locum Sol verè igneus, compertissima hinc oritur causa, ob quam potissimum circa Solem huiusmodi halitus conspiciuntur; Nā calor, & lumen Solis, quod illuminat, & calefacit Planetas, & sidera octauæ sphæræ infixa, & illustrat etiam primum mobile, solidum quidem, sed instar crystalli, transparens, ac nostram nō terminans visionem, peruenit ad illas aquas, inter Empyreum, & primum mobile interpositas, & ex illis extrahit halitus, & ad se rapit; Et quamquam illę aquæ puriores sint terrestribus, terra mixtis, & ex quibus magna vaporū copia, calore Solis euehitur in sublime, attamen illæ quoque aquæ à caliditate Solis attenuatæ in vaporosam communicabilem materiam, quæ maculas Solis efficere potest.

Maculas Solis esse vapores ab aquis Cælestibus attractos.

Hæc mea explicatio, veluti firmissimo clypeo, & ferè Achillæo, testimonio Magistri sentent. lib. 2. dist. 14. communitur; Cuius verba hic libet referre: *Vtrum verò nomine Firmamenti, Cælum, quod excedit aerem, an ipse aer hic intelligatur, idem Augustinus quærit, nec soluit Magis tamen approbare videtur Cælum illud hic accipi, quod spatia aeris excedit. Aquas autem, quæ super illud cælum sunt, dicit vaporaliter trahi, & leuissimis guttis suspendi. Sicut aer iste nubilosus, exhalatione terræ aquas vaporaliter trahit, & per subtiles minutias suspendit, & post corpulentius conglobatas pluuialiter refundit; si ergo potest aqua, sicut videmus, ad tantas minutias peruenire, vt feratur vaporaliter super aerem, aquis naturaliter leuiorē, cur non credamus etiam super illud leuius cælum, minutioribus guttis, & leuioribus emanare vaporibus? Sed quoquo modo ibi sint, ibi esse non dubitamus.* Hactenus Magister sentent. Qui non solum admittit aquas supra aerem, & supra cælos constitutas, sed etiam ex illis leuiores emanare vapores, ex quibus nos Solis maculas conflari affirmamus. Neq; timendum est, ne aquæ illæ decrescant, & tandem Solis æstu absumantur, quandoquidem sicuti mare nō imminuitur, quamquam ex ipso iugiter magna vaporum copia educitur, ita non deficient illæ aquæ, quæ immensæ sunt quantitatis, & quæ totius maris magnitudinem infinito propemodum superant interuallo; Præterquam quod adnotauit Basilius hom. 3. in Hexameron, quod Deus sciens Mundi durationem, tantam ibi aquarum copiam refudit, quanta ad Mundi conseruationem erat necessaria.

Auctoritas Magistri sent.

Cur aquæ super Cælos non ita minuantur.

Sed quoniam supradicti primi pronunciati præsidium, in eo præcipuè positum est, quod Sol igneæ sit substantiæ, hic breuiter aliqua pro hac materia comprobanda subnectere studebo cum alibi fusius hac de re disputauerim: Solem igitur esse igneum, & Ecclesiæ, & Patrum placito receptum est. Nam feria 4. ad Vesperas canit Ecclesia: *Quarto die, qui flammeam Solis totam constituens*; Et Sabbato ad Vesperas. *Iam Sol recedit igneus*. Fauet Psalm. 18. *Nec est, qui se abscondat à calore eius*; Indicat Ecclesiasticus cap. 43. vers. 2. *In meridiano exurit terram, & in conspe-*

ctu

tu ardoris eius quis poterit sustinere? Fornacem custodiens in operibus: tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exsufflans, & refulgens radijs suis obcæcat oculos. Consentiunt Tertullianus, Ambrosius, Cyrillus, Iustinus, Augustinus, Theodoretus, Gregorius Nissænus, Chrysostomus, Damascenus, Athanasius, Basilius, qui homil. 1. in Hexameron deliras, & aniles eorum appellat opiniones, qui Solem calidum, & calida natura præditum inficiantur, atq; ita Peripateticos carpit, qui duplex calidum, formale, & virtuale distinguunt, & asserunt, Solem non formaliter, sed virtualiter calefacere; Quod omninò abhorret à veritate, quia Sol est substantiæ, & naturæ igneæ, ac formaliter calefacit, neque calorem in hoc inferiori Mundo productum, alteri causæ efficienti, quam calori formali ipsius Solis attribuendum esse, alibi latè fuit à nobis contra Aristotelem demonstratum. Hinc Sol duplici voce hebraica nuncupatur, Clamabo, quæ significat calescere, & Cheres, quæ importat ardorem. Quapropter cum in Sacra Scriptura voces impositæ sint, non ad arbitrium, sed ad rerum naturas exprimendas, patet Solem verè, & formaliter esse ignem. Ex quibus iam clarescit veritas primi pronunciati, nimirum quod maculæ Solares sunt halitus aquarum cælestium, educti ab ignea Solis natura, & qui ipsius Discum ambiunt, eiusq; faciem commaculant.

Anilis opinio de Sole virtualiter sensum calido.

Hebraica Solis nomina.

Secundum pronunciatum est, quod æther, siue aura ætherea, per quam expatiantur Planetæ, fuit à Deo educta ex elemento aquarum, quæ vniuersam abyssi faciem occupabant, & supra quas spiritus Dei ferebatur. Ita sensit Steuchus in sua Cosmograia, & clarius declarat Ludouicus Molina, de op. sex dierum disputat. 10. vbi habet, quod in medio aquarum elementarium, quæ implebant interstitium totum, quod est inter terram, & Cælum empyreum, fecit Deus secunda die firmamentum de materia earumdem aquarum; Etenim aquæ, quæ replebant spatium firmamenti, non fuerunt à Deo annihilatæ, quippe qui, ex communi Theologorum placito, nihil annihilat, sed conuersæ fuerunt in firmamentum; Quod pariter factum fuisse ex aquis confirmat Becanus in p. 1. Theolog. Scholasticæ, de operibus sex dierum. Fauet huic hypotesi testimonium Cyrilli Hierosolymitani catechesi 9. ita loquentis. *Quid enim habent quod criminentur in hoc maximo Dei opificio, qui deberent ad conspectum cælorum admiratione perculli, & eum adorare, qui cælum statuit, quasi fornicem, qui de aquarum fluxa natura, firmam, ac stabilem cæli naturam constituit;* Vbi nomine Cæli, intelligitur firmamentum, quamuis aliquorum, & præsertim Molinæ, & Cornelij à Lapide sit opinio, nō solum firmamentum sed omnes etiam cælestes orbes ex aqua productos esse, quod à nobis non admittitur, constituētibus naturam igneā in Sole, & astra ignea asserentibus cum Basilio in homil. 3. in Hexameron, Theodoret. quæst. 9. in Genes. August. lib. 2. in Genes. cap. 3. Ambros. lib. 2. hexameron. Itaq; dicendū est, quod tale interstitium, vocatum firmamentum, non fuit vacuum à principio creationis cæli, & terræ, vsq; ad secundam diem, in qua ipsum firmamentum fuit factum; atq; cum non detur aliud corpus, quod in eo spatio fuerit, præter aquas, quas Scriptura à principio, vna cum Cælo, & terra creatas commemorat, rectè infertur à Molina, in eo spatio fuisse aquas, & ex eis fabricatum fuisse firmamentum. Idcircò cum secunda die impletum fuerit illud spatium substantia tenui, & subtili ex aquis educta, puto falsum assertum Pererij loco supra commemorato, quod secunda die, ex materia nebulosa factus fuerit aer, scilicet ex parte leuiori, ac tenuiori ipsius nebulæ, vt etiam ignis extractus ex parte siccipore; nam, vt supra indicaui, omnia elementa, secundum suam substantiam, vna cum corporibus cælestibus prima die creata fuere, & verba Ecclesiastici cap. 24. allata à Pererio. *Ego feci in Cælis, vt oriretur lumen indeficiens, & sicut nebula texi omnem terram;* intelligenda sunt de illa caligine, quæ in tertia die post congregationem aquarum in terra remansit, & quæ solet super aquis apparere, iuxta dictum Iob cap. 38. loquens de mari, *Cum ponerem nubem vestimentum eius, & caliginem illud, quasi pannis infantia obuoluerem.*

Materia ætheris.

Cyrilli authoritas.

Pererij sententia.

Cohæret cum hac hypotesi pronunciata illorum, qui cælum naturæ fluidæ, & liquidæ constituunt, inter quos primum obtinet locum Tycho Brahe, ex cuius au-

Tychonis ſententia de Cæli ſubſtantia. Authoritate alij plures recentiores, non ſolum Aſtronomi, ſed etiam Philoſophi in eamdem venerunt ſententiam, ab ipſo expreſſam in Epiſt. tomo, cum Rothmanno diſputante, & cæli liquiditatem fortiſſimè tuente, tametſi neget cælum eſſe ſubſtantiæ aereæ, ſed nobilioris cuiuſdã, quaſi liquidæ quintæ eſſentiæ, non autem Ariſtotelicè; idcirco putat cælum eſſe tenuem, & depuratum ætherem, & loquitur de Firmamento ſupra explicato, Solemq; natura igneum, atq; incombuſtibilem facit. Defendunt acriter hanc opinionem *Huius ſententiæ ſectatores.* Io. Keplerus in ſuis Paralipomenis in Hyperaſpiſte, in epitome Aſtronomica, & fuſiſſimè in Marte; Galileus in ſuo Nuncio, in hiſtoria de maculis Solaribus, & alibi; Cornelius Gemma; Michael Mæſtlinus, Chriſtophorus Rothmannus, Origanus, Scheiner, & Blancanus. Horum Anteſignanus eſt D. Bonauent. lib. 2. diſt. 14. art. 1. quæſt. 1. Qui primum, hæc habet; *D. Bonauentura ſententiæ huius anteſignanus.* *Sicut aues ſunt producta ad ornatũ aeris, ita luminaria ad ornatum Cæli, ſed vnum eſt corpus aeris, quod omnibus auibus ornatur, ergo pari ratione vnum corpus cæli, quod omnibus luminaribus ornatur*; quibus verbis indicat, quod luminaria cæli in eodem continuo locentur, quod continuum, cum vacuum eſſe non poſſit, id enim abhorret natura, putandum eſt plenum ſubſtantia liquida, & fluida, per quam poſſint ſidera permeare. Et infrà idem S. Doctor hæc clarius tradidit; *Secundum hanc igitur poſitionem dicendum eſt luminaria cæli poſita eſſe in pluribus orbibus, in corpore tamẽ vno continuo, quod ſcriptura vocat nomine Firmamenti, & ideò dicit omnia luminaria poſita eſſe in Firmamento cæli*; Conſidero ego ea verba, *in corpore vno continuo*, & infero, quod ſi illud ſpatium eſt corpore plenum, ſanè corpore ſubtili, & ſubſtantia liquida à Tychone, & Keplero expreſſa, repletum eſt; Talem verò ſubſtantiam probabiliſſimum eſt à Deo ſecunda die ex aquis productam eſſe. Vrgent hanc hypotheſim quædam dubitationes breuiter diluendæ.

Prima obiectio. Primò obijcies. Illud interuallum ſubſtantia ætherea, liquida, & fluenti repletũ, quod nomine Firmamenti donatum eſt, tale nomẽ neutiquam promereri videtur, quia ſubſtantia illa liquida, & fluxilis omni caret Firmitate. *Reſponſio.* Reſpondetur, Firmamentum eſſe dictum, quia eſt terminus ſemper ſtabilis, fixus, & immobilis, ſeparans aquas ſuperiores ab inferioribus.

Secunda obiectio. Secundò obijcies. Si Firmamentum fuit creatum ex præiacente materia, nimirum ex ſubſtantia aquea, ergo non fuit productum ex nihilo. Nihilominus reſpondeo *Reſponſio.* cum Baſilio homil. 1. in Hexameron Firmamentum fuiſſe productum ex quadam tenui, & ſubtili materia, nam explicans verba Iſaiæ c. 51. *Cælum ſicut fumus firmatum eſt*, ita ipſa interpretatur, *Qui tenuem, & non ſolidam, neq; craſſam naturam ad cæli compagem, & ſubſtantiam produxit*. Neq; obſtat, quod firmamentum, ex tenui ſubſtantia productum, non videatur creatum; nam veriſſimum eſt axioma, communiter à Theologis receptum, & præſertim à Suarez lib. 2. de opere ſex dierum cap. 5. nu. 5. Deum poſt primam corporum creationem, nullum nouum corpus, ex nihilo creaſſe, ſed ex aliquo prius creato illud efformaſſe, quæ formatio dicitur creatio, quia & materia, ex qua fit, ab eodem Auctore creata eſt, & quia tunc fiebat per actionẽ propriam Actoris naturæ, diſtinctam à communi modo generationis, quæ fit per cauſas ſecundas.

Tertia obiectio. Tertio obijcies. Si ex aquis producta fuit ſecunda die ſubſtãtia tenuis implens illud ſpatium, ergo in aquis facta eſt mutatio, non tertia, ſed ſecunda die, & tamen enarrat ſcriptura, tertia die aquas in vnum locum fuiſſe congregatas. *Solutio.* Reſpondetur, quod vtique in aquis, etiam ſecunda die, facta fuit mutatio, non quidem per collectionem ipſarum, quæ tantum tertia die euenit, *ſed per attenuationẽ, ſeu exiccationem factam à Spiritu Domini, qui ſuper aquas ferebatur*; Quem ſpiritum Tertullianus lib. aduerſus Hermogenem aſſerit ventum, & adhæret Theodoretus quæſt. 8. in Geneſ. & id non reprobat Baſilius in Hexamer. Vel ſi accipiatur pro ſpiritu, vis, & efficacia agendi ipſius Dei, vt placet Chryſoſtomo homil. 3. in Geneſ. affirmandum eſt, hãc ſpiritus efficaciam in ſecunda die, aquas in illo ſpatio contentas, attenuaſſe, & ex ipſis liquidam ſubſtantiam productam in illo interuallo collocaſſe.

Ex quibus conſtitutis Secundum Pronunciatum ita conficitur: Maculæ Solares

res *præter halitus aquarum iam explicatos*, ſunt partes impuræ ætheris ex aqua efformati. Enimuerò probabile eſt, quod quemadmodum in aere noſtrate remanſerunt, poſt creationem, partes puræ, & impuræ, magis, & minus claræ; ſimiliter in illo æthere, quamquam puriore, & ſubtiliore aere elementari, remanſerunt partes puræ, & impuræ magis, & minus claræ. Ideo P. Ioſephus à Coſta lib. 1. hiſt. Indiarum cap. 2. refert ſe in parte Auſtrali conſpexiſſe partes quaſdam nigras, & obſcuras in æthere, quales numquam vidit, dum in Europa degeret; Quoniam verò calidi eſt attrahere, Sol ſua caliditate, partes impuriores illius auræ ætheræ trahit ad ſuum Orbem. Hinc illæ partes ſua dēſitate, & natiua obſcuritate offuſcantes, vel leuiter, lucidiſſimam Solis faciem, iure meritò maculæ nuncupantur. Confirmatur id ex eo, quod infra explicabo, in declarandis verbis ſacri textus. *Et Stellæ cadent de cælo*; ſiquidem oſtendam, partes puras ætheris condenſari in Stellas, ſicut impuræ ſpiſſantur in faculas, conglobantur in Cometas, & commutantur in maculas; & quando puræ rareſiunt, & diſſoluuntur, videntur Stellæ deficere, & pati deliquia, atq; id potiſſimum eueniet in fine Mundi, vnde Stellæ cadere videndæ ſunt.

Partes nigræ, & obſcuræ in æthere.

Stellæ quomodo cadēt de Cælo.

Deſiderabit fortaſſe Lector, vt huic meæ explicationi accommodem motus regulares, quos animaduerterunt in maculis recentes Aſtronomi, Galileus, & Scheinerus; ſed quoniam meum non eſt conſilium omnibus numeris abſolutam de maculis ſolaribus conficere tractationem, idcircò ſat eſt indicaſſe, talem eſſe macularum naturam, & qualitatem, vt ipſarum nucleis, & conglomeratione poſſint Angeli, in fine ſæculi, tenebras offundere Soli; nam hæc conſideratio de ipſarum motibus, nihil ad meum argumentum confert explicandum, & dumtaxat cum Galileo aſſirmandum eſt, ipſas eſſe vicinas, & contiguas Soli, ipſiuſque motum, quo in ſeipſum ſuper axem proprium reuoluitur, conſectari.

Ex maculis fieri poſſe Stellas.

His duobus pronunciatis nouiter inuectis, macularum Solarium ſubſtantiam explicare curaui, vt Lector eligat, & approbet ex ipſis illud, quod magis probabile videbitur, neq; meam culpet audaciam, ſed potius commendet induſtriam, qua factum eſt, vt hac duplici hypotheſi, Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Auctorum oraculis firmata, ſubſtantia macularum innoteſcat, quæ Aſtronomis, ingentia volumina de ipſis maculis elaborantibus, adhuc fuit obſcura, & ignota, & in ſequenti Quæſito, mea ſententia lumine Hiſtoriæ, quæ eſt magiſtra vitæ, & lux veritatis, magis dirigetur, & illuſtrabitur.

Auctoris excuſatio.

QVÆSITVM NONVM.

Recenſentur multæ Solis obſcurationes, quæ à maculis fuerunt productæ, vti etiam obſcuratio Solis in funere Domini, tum à Luna, tum à maculis effecta, de quarum magnitudine breuiter agitur; Idem eueniet in obſcurando Sole in fine Mundi, reiectis alijs modis, quibus poſſet obtenebrari, & obiter de Aegyptiorum tenebris aliqua diſſeruntur.

Eclypſes prodigioſæ e maculis prouenientes.

CVrſim recenſebo præcipuas Solis obſcurationes, quæ diuerſis ſæculis euenerunt, non ob Eclypſim, ſiue ob coitum Lunæ cum Sole, cum enarrandæ ſolares caligines neutiquam ſolitis Eclypſibus, ſed maculis vmbrantibus Solem, ſunt attribuendæ, & propterea in ſummam admirationem homines illius æui excitati fuere, quia ignotum tunc temporis erat macularum phænomenon; Et quemadmodum tunc humanum ingenium, præ tanta rerum nouitate, tum caligine ignorantiæ, tum ſententiarum conflictationibus premebatur, ita ſæliciore ſæculo, hæ maculæ imperitiam ab humana eliminant mente, & diem inferunt veritatis. Itaq; aliqua ex ſcriptoribus depromam de tenebris Solis offuſis, quæ fabulam, vel hyperbolem confingere viderentur, ſi macularum veritate conſoli-

E Solis maculis eruditionem prouenire.

solidata non essent.

Atque vt hinc exordiar C. Plinius lib. 2. cap. 30. refert prodigiosos fuisse, & longiores defectus Solis, penè continuo anno, pallore suffusi, occiso Dictatore Cæsare, quod ita cecinit Virgil.

Prodigiosi Solis defectus Cæsare occiso.

Ille etiam extincto miseratus Cæsare Romam,

Cum caput obscura nitidum ferrugine texit,

Impiaque æternam timuerunt secula noctem.

Idem refert Platonicus in vita Cæsaris his verbis iam iubaris Solis occœcatio: Nã toto illo anno orbis eius pallidus, sine fulgore emersit, debilemq; & tenuem demisit calorem; At quis sibi non persuadet diuturnum illud Solis deliquium, atq; impallescẽtem vultum à maculis fuisse productum? simile prodigium in Sole contigit sub Augusto. Et Tertullianus ad Scapulam ita scribit. Nam & Sol ille in conuentu Vticensi, extincto penè lumine, adeò portentum fuit, vt non potuerit ex ordinario deliquio hoc pati, positus in suo ipsomate, & domicilio. Igitur si ex non ordinario deliquio prodigiosa Solis caligo euenerat, ergo ex maculis ipsum offuscantibus.

Eclypsis Solis sub Augusto.

Macula nigra in Sole visa.

. Ex annalibus Francorum, in vita Caroli Magni habetur anno 807. paruam maculam nigrã fuisse visam in Sole, quam aliqui existimarunt Mercurium, & de qua mẽtionem facit Iosephus Scaliger exercitat. 72. quam tamen maculam non fuisse Mercurium, patet ex mora, quam ipse fecit in Sole, ibi namq; scriptum est, octo dies, à Francis esse conspectam, quod nequit affirmari de Mercurio, qui sub Sole tanto tẽpore consistere non potest, quiq; pertransit Discum Solis sex horarum spatio, vt monet Galilæus epist. 1. de maculis solaribus, ergo fuit vna ex maculis, quæ octo dierum cursu Solis vultum cõfœdauit.

Obscuratio Solis dierũ 17.

Georgius Cedrenus in annalibus Constantinopolitanis, anno Christi 786. Solem per decem, & septem dies obscuratum fuisse narrat, nullos radios emisisse, & vulgo æstimatum id euenisse, propter excæcationem Imperatoris Constantini, insidijs matris Irenes, oculis orbati; Quod etiam refert Zonardas in vita Constantini, ac Baronius sub anno Domini 797. cum aliquo discrimine inter tempora ab ipso, & Cedreno notata. Sed quæso cuinam causæ tam longa Solis caligo, quam maculis adscribi potest?

Similiter in annalibus Frãcicis, parte posteriore libri, anno Lotharij Regis tertio, & Dominicę Incarnationis 955. testatum habetur, Solem decimoquinto Cal. Ianuarij, magnam passum esse Eclypsim, & Stellas à prima hora, vsq; ad tertiam, apparuisse, quæ caligo iubar Solis hebetans, vaporibus, vel atmosphæræ transcribi nequit; Nam si tanta fuisset vaporum densitas, vt Solem humano visui eriperet, etiã Stellarum visionem abstulisset, quæ cum per tres quasi horas emicauerint, clarissimo est argumento, cælum sudum, & serenum fuisse, atq; adeò in atmosphæram illius caliginis causam reijciendam non esse, sed quidem in maculas Solis conijciendam.

Apparitio Stellarum in Eclypsi per horas duas.

Baronius anno trecentesimo nonagesimo tertio, Theodosio imperante, refert ex Socrate lib. 5. cap. 24. ex Prospero in Chronic. & Marcellino in Chron. circa sacros dies Pentecostes, quarta hora diei, eclypsato mirificè Sole, tãtas tenebras factas esse, vt omnes iam iam venturum Iudicem formidarent; Quod confirmat S. Hieronymus in Epist. ad Pammachium; At quis non intelligit Solis tenebras à consueta eclypsi nequaquam productas esse; tum quia tanto terrore correpti homines non fuissent, quippe qui cognouissent, id media naturali eclypsi contigisse, tum quia illud verbum, mirificè, indicat tunc non fuisse tempus Eclypsis Solaris, & propterea summa eum omnium admiratione Solares tenebras accidisse. Igitur illa Solis obtenebratio à maculis profecta est.

Eclypsis Solis sub Theodosio.

Idem Baronius anno 746. narrat à die quarta Augusti vsq; ad Octobris Calendas, in Oriente factas fuisse tenebras caliginosas, quas secuti sunt terræmotus prodigiosi in Palestina, ac tota Syria, & ingens pestis. Profecto tenebræ in Oriente aliunde prouenire non poterant, quam à conglobatis in eo loco maculis Solaribus, impedientibus solitam radiorum Solis transmissionem.

Tenebræ diuturnæ in oriente.

Refert pariter Baronius anno Christi millesimo trigesimo tertio accidisse Solis eclypsim tertio Cal. Iulij, ipso die natali

S.S. Apostolorum, Petri, & Pauli, quæ Eclypsis ab hora eiusdem diei sexta, vsque ad octauam perdurauit, quo tempore Sol factus est sapphyri coloris, gerens in superiori parte speciem Lunæ, à sua reilluminatione quartæ; Quid plura? Refert Patrius lib. 19. Pancosmius, tempore Iustiniani Imperatoris, maiori anni parte, sereno aere, & sine nubibus, Solem ita exili lumini luxise, vt eius lumen vix Lunæ lumen superaret. Quæ omnia adscribenda sunt maculis Solaribus.

Hebetatio Solaris luminis,

Idem iudicium ferendum est de Eclypsi, quam narrat P. Clauius in cap. 4. sphæræ, visam fuisse anno Domini 1560. & ab ipso obseruatam Conimbricæ in Lusitania, cum circa meridiem interponebatur Luna directè inter visum, & Solē ita vt totum Solem, non modico temporis interuallo contegeret essentque tenebræ quodammodo maiores, quam nocturnæ, neque enim ipso testante, vbi pedem quis poneret, videre poterat, & clarissimæ Stellæ in cælo apparebant, & aues ex aere in terram præ horrore tam tetræ obscuritatis decidebant, quam Eclypsim narrans Scheiner, addit id sibi Romæ relatum fuisse à P. Emmanuele Vega Lusitano Societ. Iesu, qui asseruit vniuersam Eclypseos durationem, vltra tres horas fuisse extensam, & occultationem Solis, & Stellarum conspectum horæ spatium adæquasse, adeò vt multi aduentasse diē Iudicij lamentarentur, & quamuis ex obseruationibus & tabulis Astronomicis pateat aliquando Lunam posse totum Solem ad aliquod tempus tegere, tamen ingētis obscuritatis Solis supra enarratio, & longitudo tēporis, in quo obscuritas durabit, & densitas ipsarū tenebrarum, mihi persuadent illos euentus non ab Eclypsi Solari prouenire, sed vel à Solis maculis, vel ab eclypsi vnita maculis, cum euentum hoc Lunæ tantum Solem obuelanti, acceptum non sit ferendum, quippe quæ, nec tanta caligine, nec tam diuturna ipsum nequit obtegere, quare causa releganda est in maculas, quæ vna cum Luna Soli iuncta, tanta caligine Solis vultum obcæcarunt.

Eclypsis Solis totalis diuturna,

Totalis eclypsis horaria duratio.

Alia multa prodigia insolita de caligine Solis, non per eclypsim producta recenseri possunt, quæ tacitus prætereo, cū ipsa legantur apud Abbatem Secundum Lancellotum Monacum Oliuetanum, virum omnigena eruditione cultissimum in suo Italo Libro, inscripto. *Hoggidì p. 2. Disinganno 49. & 50.* vbi in diuersis sæculis, absque Eclypsi Solari, magnas tenebras Solem occupasse ex diuersis promit Scriptoribus. Hoc solum pro confirmatione huius hypothesis ingeram, scilicet, quod tanta est macularum magnitudo, vt facilè totum Solis iubar valeant obruere; Propterea P. Scheiner in Obseruationum imagine 23. animaduertit à die 11. Maij, vsque ad diem 19. eiusdem, maculam in extensione sua arcuali, in superficie Solis adæquasse milliaria Romana 1928. ideoque illam maculam minorem quidem fuisse Europa, multò tamē maiorem Germania. Præterea in Obseruationum imagine 21. docet aliam maculam se habuisse ad Solis diametrum, vt 1. ad 7. & fecisse in arcu Solari milliaria Romana 2640. & Europam fermè æquasse, & in imagine 64. refert imaginem macularum, quæ in arcu Solari faciebant milliaria Romana 4419. cuius manipuli longitudo totius Africæ longitudinem superabat; Et alium macularum congestū insinuat in imagine 15. obseruatum ad diem 24. & 25. Martij, qui continebat milliaria Romana 6292. & longitudine exæquabat Asiæ longitudinem, & tandem se vidisse testatur maculam, ex vmbrarum, & facularum comitatu, adeò dilatatam, vt extenderetur per milliaria Romana 9640. Ex quo ipse Author deducit, quod si talis macula in medio Sole, vndequaque ex æquo, secundum talem longitudinem excurrat, terra habitabili non esse minorem, & fortasse maiorem terra ipsa habitabili euadere. Quapropter cum Luna coniuncta Soli, & ipsum eclypsans, non extendat vmbræ suæ diametrum vltra septuaginta in terra milliaria Germanica, seu 350. Italica, & maculæ prædictam excedant magnitudinem, quis inficiabitur obscurationes factas in Sole, extra tempora naturalium Eclypsium, à maculis prodiisse? atque etiā Eclypses Solares insolitas ab iisdem maculis auctas fuisse?

Magnitudo macularum totū Solem potest occupare.

Macularum magnitudinis varia à Scheinero prodita.

Ipsa admirabilis Eclypsis in funere Domini, tum à Luna, modo supra explicato, tum à maculis producta fuit; nam clarissimè indicant Euangelistæ, Marcus cap. 15. Lucas cap. 23. Matthæus cap. 27. illum

Eclypsis in morte Domini.

illum fuisse vniuersalem Solis defectum, per vniuersum terrarum orbem; Neq; solum illæ Cimmeriæ, vt sic dixerim, tenebræ à Luna prouenerunt, admirabili modo supra explicato, ex relatione S. Dionysij, epist. 7. ad Polycarpum, sed etiam ex maculis Solaribus profluxerunt, quoniam id totum interpositioni Lunari inter Solem, & visum nequit attribui, siquidē defectio Solis tota, vltra septuaginta milliaria Germanica, in diametro vmbræ, in superficie terræ terminatæ, non excedit; Vnde manifestum est, illas tenebras aliunde, quam à Luna esse profectas, & à nulla alia causa, quam à maculis Solaribus, quæ multæ, & densæ, instar vnius maculæ, ab Angelis congregatæ, Solem totum ab omnium mortalium eripuere cōspectu; Etenim id vaporibus, vel atmosphæræ adscribi non potest, quia vbiq; serenitas cæli erat, qua factum est, vt Luna ad Solem accedere, & ab eodem recedere notata fuerit à S. Dionysio, & Apollophane Sophista, vt ex commemorata Epist. habetur. Cur autem Deus lunari orbe, non sufficienti obscurare Solem vbique vsus fuerit, inde patet, quod nouum decreuerat inducere miraculum, quo Astronomiæ periti perspicerēt, id factum non esse naturaliter, & à sola Luna obuelante Solē, atq; vt Hebręi agnoscerent, Dei filium esse illum, quem impiè neci tradiderant, videntes Lunam, contra naturæ leges, & extra tempora coniunctionis, subire Solem, totumq; obscurare, non intelligentes, illas tenebras, nō quidem à sola Luna, sed etiam à materia densa æthera, ab Angelis eo tempore congregata, adductas fuisse.

Tenebræ in Christi morte non à sola Luna profectæ.

Cur Deus Lunari orbe in miraculosis Eclypsibus vsus fuerit.

Idem euenturum existimo in fine Mūdi, dum Sol, vt loquitur sacer Codex, obscurabitur, siquidem continget id fieri mediante Luna, coeunte cum Sole; sed assero obscurationem illam vniuersalem per totum terrarum orbem, profecturam etiam esse potissimum à maculis, Angelorum ope conglobatis.

Obscuratio in fine Mundi tū à Luna, tū à maculis.

Atq; id magis demonstratur, reijciendo alios modos, quibus ea Solis obscuratio miraculosè fieri poterit; Etenim fortasse continget per priuationem luminis Solis, adempta luce, qua Sol ipse lucet, vel, vt satius dixerim, suspensa eius illuminatione, qua res omnes illuminat. Quod fiet, si Deus sua causalitate non concurret cum Sole ad illuminandum; Nam cum secunda causa nihil operari queat, absq; concursu primæ, si Deus suū suspendat concursum in Solis illuminatione, Sol absq; dubio lumen amittet, sicut in Babylonico igne, Deus calefactiuæ potestatis actum suspendit, ne tres illos iuuenes hebræos vreret. Fateor hunc modum de radiorum Solarium retractione ab aliquibus, & præsertim à Caietano approbatum, esse valdè miraculosum, & diuinæ potētiæ penitus congruum; Sed quæro, an lux Solis extinguenda sit, vel seruanda in Sole; Si seruanda, ergo nulla sequetur obscuratio; Si asseritur extinguenda, igitur fiet mutatio essentialis in Sole, cuius forma substantialis, ex mente aliquorum, est ipsa lux, ergo nouo miraculo reproducenda erit lux Solis, qui multò clarior, post diē Iudicij, enitescet; Miracula verò non sunt facilè, & absq; necessitate inducenda.

Primus modus quo aliàs contingere posset.

Primus modus refutatur.

Prętereà occurrit alius modus, quo Sol obtenebrabitur, scilicet per maximam crassorum, & nigrorum vaporum copiā, & nubium constipationem, quæ faciem Cæli operiens, humanis oculis aspectum Solis abripiat; Sed neq; hic modus mihi probatur, quippe qui nec est prodigiosus, nec omninò admirandus; Naturaliter siquidem crassi vapores, & densæ nubes Solis aspectum obumbrant, neq; vniuersalis, & ab omnibus conspecta Solis caligo contingeret, quandoquidem vapores, & densæ nubes in omni climate non reperiuntur, nec in tanta esse possunt copia, & magnitudine, vt valeant totum Solis Discum obscurare. Porrò si Stellæ lapsuræ sunt è cælo, & ab hominibus cadere videndæ sunt, eo tempore, quo Sol erit obscuratus, nam coniunctim referuntur hæc ab Euangelistis; Et Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suū, & Stellæ cadent de cælo. Certe vapores, vel nubes sua densitate ita Stellarum visum impedirent, vt officerent visioni Solis; Quare potius asserendum est, sudo cælo, luminaria fore obscuranda; Ideo reijcienda est expositio Riberæ interpretantis illam Solis nigredinem, propter maximā nubium densitatem euenturam.

Alter modus.

Secundus modus reijcitur.

Neque approbanda est expositio Pererij disputat. 33. in Apocalyps. putantis,

Tertius modus refutatus.

non

non ademptam iri omnem lucem Solis, sed tantum lucis remansurum, vt faciat eum visibilem quidem hominibus, sed lumine diminutum repræsentet. Putat enim hic Author, homines Solem obscuratum non esse visuros, si totaliter obtenebretur. Qua in re vir grauissimus decipitur; Nam quemadmodum ex Eclypsibus, vel tenebris Solaribus supra commemoratis, compertissimum fit, totum Solem aliquo temporis interuallo obscuratum fuisse, ac homines illum caligine obductũ spectasse; haud secus idem eueniet ante diem Iudicij, quo tempore credendum est in meridie Solem in tenebris versaturum esse, & Stellas emicaturas, ac de cælo deinde lapsuras, eo modo, quo infrà explicabo. Quocirca non videtur rationi congruum assertum à Pererio, quod Sol partim obscurus, & partim lucidus erit, nam hoc non esset signũ, quo humanum genus ingenti terrore corriperetur, & à sacro textu absolutè, & simpliciter dicente, Sol obscurabitur, totalis obscuratio Solis significatur.

Quartus modus. Remanet refellendus modus, quo aliqui censere fortasse possunt, tenebras Soli in fine Mundi offundendas esse, eo scilicet modo, quo Deus tenebras triduo in Aegyptios induxit; Atq; vt id accuratius præstemus, hæc verba Domini Exod. cap. 10. relata sunt afferenda. Dixit autem Dominus ad Moysen. Extende manum tuam in Cælum, & sint tenebræ super terram Aegypti, tam densæ, vt palpari queant. Extenditq; Moyses manum in cælum, & factæ sunt tenebræ horribiles in vniuersa terra Aegypti, tribus diebus nemo vidit fratrem suum, nec mouit se de loco, in quo erat; vbicumq; autem habitabant filij Israel, lux erat. Ex verbis Sacri textus patet, tenebrarum palpabilium inductionem ortam non esse ex retractione radiorum Solis, & aliorum sydcrum, vt sensit Abulensis in expositione illius loci, putans illam caliginem ex duobus causatam fuisse, scilicet ex priuatiuo, & expositiuo. Priuatiuum, inquit, fuit retractio radiorum Solarium, & omnium astrorum, quæ ad illa loca, in quibus manebant Aegyptij, nullos radios dirigebant, ad partem verò, ad quam manebant Hebræi, solitum lumen diffundebant; Positiuum autem fuit vaporum *Abulensis expositio de tenebris Aegyptijs reijcitur.*

supernaturaliter eleuatorum condensatio, ita magna, vt tactum afficerent, quod numquam in tali densitate visum est. Hæc Tostatus: Quibus vnum ferè imperceptibile profert, receptum tamen à Caietano, videlicet Solem, & astra potuisse retrahere suos radios eodem tempore ab Aegyptijs, ne viderent, & eosdem radios porrigere hebræis, vt clarè conspicerent; Enimuerò si filij Israel erant in terra Gessen, in qua erant etiam Aegyptij, hebræis mixti, imò si vnus hebræus apud vnũ manebat Aegyptium, quomodo percipi potest, radios Solares illuminasse hebręos, & Aegyptios obcæcasse? Vtiq; verum est, quod ipse author asserit .s. Deum rebus omnibus ad nutum suum vti, omniaq; ei in potentia obeditiua subesse, sed hæc ferè sibi repugnant, & aduersantur. Eò magis, quia non est admittenda Iansenij sententia in cap. 17. Sapientiæ, innuentis tenebras illas non fuisse factas in Sole, vel in aere, sed in oculis tantum Aegyptiorum, quos æquè vt Sodomitas Genes. 19. percusserit Deus cæcitate; Quod etiam de militibus Regis Syriæ 4. Reg. cap. 6. tradit Scriptura, adeò vt vel Deus non concurreret cum ipsis, ad visionis actum eliciendum, vel aliquod impedimentum super ipsorum oculis imponeret; siquidem neutrum congruit cum sacro textu, asserente, quod tenebræ ita densæ erant, vt palpari possent, igitur non erant tantum in oculis Aegyptiorum, sed à parte rei. Itaq; admittendum est solum illud positiuum indicatum ab Abulensi, scilicet, quod propter vaporum supernaturaliter eleuatorum magnam condensationem factæ fuerunt illæ tenebræ, quibus potuit Deus lumen Solis Aegyptijs, & nõ hebræis eripere, nempè cõdensando aerem, & vapores, in locis, in quibus manebant Aegyptij, & aerem non constipando, vbi degebant hebræi. Quapropter commẽdãda est expositio Philonis, Burgensis, Abulensis, Pererij in Exodum & Cornelij à Lapide, quod causa illarum tenebrarum fuerint nubes, & nebulæ densissimæ, constipatioque aeris tanta, vt nullo lumine, nec radijs quidem Solis, esset penetrabilis, iuxta testimonium Sapientiæ 17. Nec siderum limpidæ flammæ illuminare poterant noctem illam horrendam.

Iansenius reijcitur.

Vnde prouenit Aegyptiacæ tenebræ.

Ta-

Discrimen inter tenebras in fine Mũdi Aegyptias. Tales tenebræ futuræ non sunt in fine Mundi, quia Scriptura sacra loquitur solum de obscuratione luminarium, & non de tenebris, quæ palpari possint, nam tametsi tenebræ sint priuationes luminis, neq; obiectum tactus, sed visus, tamen à sacra Scriptura palpabiles dictæ fuere, propter maximam aeris,& vaporum condensationem, quæ palpanda sensui tactus subijciebatur; Id quod non legitur futurum in occasu Mundi. Præterea Aegyptij tunc temporis,omni Solis,cæli,ignis, candelæ, lumine orbati erant, vnde ait Philo; Ignis, quo vtimur, vel aere turbato extinguebatur, vel à crassissimis tenebris vincebatur; & Sapiens cap.17.ait: Et ignis quidem nulla vis poterat illis lumen præbere. Quare Caietanus hallucinatur, existimans Aegyptios fuisse tantũ lumine cælesti,non autẽ domestico ignis, *Aegyptij etiam lumine ignis priuati.* aut cãdelæ priuatos,hoc enim reijcit scriptura, asserens, illas tenebras fuisse palpabiles; Quo indicatur nullum lumen ipsis affulsisse, quod certè à crassitie, & densitate tenebrarum, scilicet vaporum extinctum fuisset. Rursum neminem vidisse alium, neminem mouisse se loco, & solos Israelitas positos esse luce significat, omne lumen Aegyptijs ereptum fuisse; Etenim si domestico igne,vel alio lumine vsi fuissent,non tot pœnis, & calãmitatibus afflictati prædicarentur, nam multi, qui ad polum vergunt, lumine Solis naturaliter,ad medium annum orbantur, & natura illis lumen domesticum, ex ligno oleato ardenti,instar candelæ,subministrat, vnde parua,vel nulla pœna torquentur.

Hæc omnia de Aegyptijs tenebris relata, non est putandum in fine Mundi euentura, ita vt motus progressiuus hominibus impediatur, neq; alter alterum aspicere possit, siquidem id non innuit sacra Scriptura,neq;minus indicat tales futuras esse tenebras, vt omni lumine priuandi sint homines, sed tantum commemorat signa, & prodigia in luminaribus, & astris efficienda. Quare Sol obscurabitur, eo quo supra diximus modo, scilicet constipatis; ope Angelorum,maculis Solaribus, Solem ipsum contegentibus; *Tenebras Solis futuras illi extrinsecas.* Quod confirmare videtur S.Io.Apocalyps.cap.6.Sol factus est niger, tamquam saccus cilicinus, quibus verbis significatur, tenebras Solis futuras esse ipsi extrinsecas, neq; efficiendas esse per retractionem radiorum, qui modus intrinsecè afficeret ipsum Solem, sed sicuti cilicium, quod homines ad pœnitentiam agendam induunt, est indumentum extrinsecum, & accidens, quod hominis substantiam non mutat; similiter tenebræ, quæ obuenient Soli, teste Io. tamquam saccus cilicinus erunt extrinsecæ ipsimet Soli; Hic autem modus extrinsecus metaphoricè explicatus à Ioanne, erit per Eclypsim miraculosam,concurrente Luna,& simul cum Luna,maculis,idest substantia ætherea Angelorum ministerio cõgregata, & constipata.

Auctoris protestatio. Noui equidem in hac operosa materia nihil certi proferri posse, quando hominum ingenia ad tantæ molis vastitatem complectendam nimis deficiunt.Ego tamen semitæ à plerisq; protritæ adauctim pedem sistere non renui,vt meum de Solaribus tenebris, disputando, consilium proderem, aliorum sententias non respuens, sed discutiens. Imo quicquid in hac tractatione sentire, & explicare decreui, doctiorum placitis, & Catholicis Ecclesiæ dogmatibus prorsus subijcienda profiteor.

QVÆSITVM DECIMVM.

De obscuratione Lunæ in fine Mundi.

Quomodo obscurãda sit Luna. LVna non habet lumen à se, & lumen, quod amittit, est lumen Solis; Lux verò subobscura,quæ apparet in ipsa ęclypsata, falcata, & quadrata, non prouenit à reflexione luminis terræ ad ipsam Lunam, sed à Sole illuminante partes ætheris, Lunæ propinquas; Quæ non est transparens, sed totaliter opaca. Non obtenebrabitur à fumosis exhalationibus productis à conflagratione Mundi inferioris, & ad Lunam ascendentibus, aut per defectum alimenti, aut per nebulosos vapores, aut per complanationem sui orbis, sed per Eclypsim

non

non naturalem, multis intercedentibus differentijs, inter deliquia naturalia Lunæ, & illa, quæ eo tempore sequentur, multa, & frequentia, neq; ab Astronomis prædicenda, & quorum colores nō erunt considerandi, nec alia Astrologicè de Eclipsibus pronunciata.

Obscuratio Lunæ noctu futura.

Obscurationem Solis in Occasu Mundi futuram subsequitur obscuratio Lunæ, quæ quidem nō intelligitur obtenebranda diurno, eoq; tempore, quo Sol obscuratus apparebit, sed nocturno tempore, & fortasse in nocte succedēte diei, in qua fuerit Sol obscuratus. De qua lunaris luminis priuatione ita loquitur sacer textus. *Et Luna non dabit lumen suum.* Pro quorum verborum explicatione, repetendum est illud, quod à peritioribus Astronomis traditum est, videlicet, Lunā esse corpus opacum, & à se lumen non habere, ideò terra cælestis, ad ipsius naturalem obscuram densitatem indicandā, fuit teste Plutarcho, ab Antiquis appellata, & multæ similitudines inter tellurem, & Lunā à præstantissimo huius æui Astronomo cōsiderantur, quare omne lumen, quod habet, à Sole receptum, & mutuatum est; Lumen autem, vt tradunt Perspectiui, duplex est, primarium, & secundarium. Primarium est illud, quod emanat ex radijs immediatè prouenientibus à corpore luminoso, ad corpus visibile; Secundarium autem lumen, est reuerberatum, & reflexum, medio primario lumine, extra incidentiam primariorum radiorum; itaq; Luna habet lumen primarium sibi à Sole impertitum, & hoc est illud lumen, de quo ita loquitur Euangelista: *Luna non dabit lumen suum.* Idest non reddet terræ illud lumen, quod accipit à Sole, & dicitur suum, quia in ipsa recipitur, vt euenit in Eclypsi Lunari, in qua Luna primario quidem lumine orbatur, non tamen secundario, confecto à primarijs radijs Solis, percutientibus partes circumuicinas corpori Lunari, à quibus, quamuis sint diaphanæ, nihilominus aliqua primariorum Solis radiorum fit repercussio, per quam Luna secundario lumine illustratur, & hoc est illud lumen, quod apparet in extimis partibus circumferentiæ Lunæ eclypsatæ, & pariter illud, quod videtur in parte non illustrata à Sole Lunæ adolescentis, siue falcatæ, & etiam quadratæ; Etenim illud lumen non est in partem illam subobscuram Lunæ repercussum, & reuerberatum à terra, vt putauit Galileus, sed est lumen Solis reflexum à partibus ætheris illuminatis, & Lunę circumuicinis, vt egregiè tuetur Fortunius Licetus lib. inscripto, De Lunę subobscura luce propè coniunctiones, & in Eclypsibus obseruata. Hinc non est probanda opinio P. Christophori Scheiner in suis mathematicis Inquisitionibus, & in Epist. sub nomine Apellis, scilicet Lunam esse corpus semidiaphanum, idest, nec omnino opacum, nec penitus transparens, vnde fit, vt Luna Solis lumine imbibatur, eoq; lumine fiat conspicua pars, quæ a Sole est auersa; & antiquitus semidiaphaneitatē in Luna posuerunt Possidonius Cleomedes, & post illos, Vitellio, & Erasmus Reinoldus, & P. Aguillonius in suis opticis; nam sequeretur Lunam non eclypsare Solem, idest non impedire ipsius lumen, ne ad terram transmittatur; si ipsamet Luna, iuncta Soli, esset aliqua ex parte trāsparens; siquidem lumen Solare permearet, penetrando profunditatem corporis lunaris, & terram illuminaret; Sed quoniam de hac materia dabitur locus opportunus disputandi in secunda parte Tractatus, agentes de statu corporis Lunaris, post Mundi finem, in explicatione dicti Isaiæ cap. 30. Erit lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis septempliciter, sicut lux septem dierum; ideò sat est nunc ad hanc opinionem refellendam, Lectorem remittere ad Galileum in suis Epist. Italis ad Marcum Vuelserum de maculis Solaribus, aduersus transparentiam Lunæ subtiliter disserentem. Obseruandum quidem est, quod quando Luna eclypsatur, quamuis lumine Solis priuetur, omni tamen lumine destituta non apparet, vt dixi; nam si absq; omni lumine esset, dubiō procul nō videretur, cum nulla res visibilis, absq; lumine ipsam illuminante videri possit, vt demonstrāt Perspectiui, & Vitellio prop. 1. lib. 3. atq; ideo Lunæ corpus, cum eclypsatum est, coloratum videtur, à quo colore Ptolomæus, & Astrologi vanissima præsagiunt. Quocirca dicendum est affuturum esse lumen circa Lunam, quando obscurabitur in fine sæculorum, quo lumine mediante, obscurata ab hominibus vide-

Luna Terra cælestis.

Lumē primarium & secūdariū.

Lumen secundarium à vicinis Lunæ partibus in ipsam repercussum.

Scheineri opinio reprobatur.

Luna eclypsata non omni lumine priuatur.

videbitur, & tale lumen, erit Solis illustrantis partes vicinas ætheris Lunæ proximi.

Origenis opinio de luminis Lunaris amissione refutata.

Difficultas vertitur circa modum, quo lumen Lunæ à Sole mutuatum eripietur. Origenes existimat, ex conflagratione rerum inferiorum, ad Lunam obscuras, & fumosas exhalationes euehendas esse, quibus obtenebretur, quod protulit etiã de Sole obscurando, vt supra meminimus. Hæc interpretatio duplici de causa non est admittenda: Prima est, quia huiusmodi Lunæ obscuratio non esset supernaturalis, & prodigiosa, quandoquidem ita natura comparatum est, vt densi, & fumosi vapores lumina inumbrent, & impediant. Secunda causa est, quia Vniuersi conflagratio nõ est futura ante prodigia in luminatibus, & sideribus apparitura, sed postea, quia incendium Mundi inferioris enecabit homines eo tempore viuentes, qui statim resurgent, vt coram Iudice se exhibeant, qui homines non adessent tempore conflagrationis, eripientis fumosi atc, ab ipsorum aspectibus lumen Lunæ, & ob id illa signa, cum non incuterent hominibus timorem, ad quem erunt ordinanda. Neq; placet interpretatio eiusdem Origenis, & Rabani arbitrantium, Lunam obscurandam esse, propter defectum alimenti, scilicet vaporum, quibus alitur, quod etiam asserit de Sole, quandoquidem hoc Stoicum figmentum à nobis fuit in disputatione Stoica explosum.

Aliorum opinio.

Alij verò dixerunt in consummatione sæculi complanandam esse à Diuina potentia sphæram Lunæ, in qua aliæ sunt partes eminentes, aliæ depressæ; Propterea nonnulli arbitrantur, inter quos præcipuus est Galileus, in ipsa esse valles, & montes, idest partes vallibus, & montibus persimiles; Itaq; sicuti partes depressæ, Solis lumen minus recipiunt, ex quo fit, vt maculæ in Luna appareant, ita in fine Mundi, Lunæ orbis complanatus, euadet totus maculosus, & absq; lumine. Equidem non renuo maculas Lunæ esse partes ipsius magis diaphanas, & raras, à quibus lumen non reflexum, sed penetrans, nobis occultatur, vt putauit Io. Baptista Benedictus in suis Epistolis, quemadmodum via lactea nil aliud est, quam pars octaui orbis magis opaca, à qua lumen Solis reflexum, se se nobis ostendit; Positio verò montium, & vallium in Luna supponit magnã in suo corpore crassitiem, & tamen Astronomis compertum est, Ptolomæum, quem secuti sunt Copernicus, & Tycho, & totam cœlorum fabricam, per solas lineas, circulos, & centra, absq; vlla eorum crassitie, atque duritie tradidisse; Vnde existimant aliqui, Lunam non esse integram sphæram, sed tantummodo hemisphærium, quod semper videmus, & in quo sunt maculæ, quas Luna in omnibus suis circulationibus nobis obuertit, & exhibet, quod non eueniret, si esset integra sphæra, quia per conuersionem alterius partis sphæræ, vel maculæ nobis occultarentur, vel saltem eædem, atq; in eodem loco non apparerent. Quod argumentum tanti fecit Blancanus p. 3. suæ sphæræ cap. 2. vt putarit Lunam nullis epycicli vinculis constrictam agitari, sed liberè circumuolui.

Error ... Ptolomæi.

Secunda opinio reijcitur.

Verum, vt eo redeamus, vnde migrauimus, assero, hanc opinionem, de complananda Luna in fine sæculi, esse prorsus reijciendam, nam sicuti nunc superficies sphærica Lunæ, non est perfectè rotunda, neq; tersa, & læuigata, sed aspera, & inæqualis, instar sphæræ terrestris, vt Telioscopio perspicuè ostenditur, ita opinandum est Deum, ope Angelorum, in fine Mundi haudquaquam mutaturum esse eiusdem Lunæ sphæricitatem, quia, vt fusè dicemus, in 2. parte huius Tractatus, non fiet substantialis, sed tantum accidentalis mutatio in cælestibus orbibus, substantialis autem fieret, si figura inæqualis lunaris sphæræ, quata in creatione Deus opifex ipsi Lunæ impertiuit, mutaretur. Esto tamen, quod mutetur, non proinde sequitur, Lunam obscurandam esse, sed solum minus lumen ad terram esse reuerberaturam; Enim verò, si non haberet concauitates, & esset Geometricè rotunda, lumen Solis æqualiter, & vniformiter in ea reciperetur, atq; instar speculi clarius colluceret, nec non imaginem Solis exiguam, ac ferè punctualem reflecteret, quod est proprium speculi conuexi, vt catoptrica docet disciplina. Hinc pallæ vitreæ, vel æneæ exactè tersæ, leuigatæ, & rotundæ, si super fastigio turrium collocatæ, illustrentur à Sole, emicant quidem perspicuè, & præ-

magno lumine ferè nostrum effugiunt obtutum, at non tantum luminis reflectunt, tantaq; vehementia, quantum faciunt partes asperæ,& non læuigatæ Turris illuminatæ. Propterea hæc speculatio, cõcludit quidem Lunam complanatam, & elaboratè læuigatam, magis collucere, sed minus lumen ad terram proijcere. Itaq; cum Luna antecedenter ad Mundi occasum sit penitus tenebris implicanda, hæc opinio cum sacro textu, & veritate non cohæret.

Tertius modus refellitur. Breuiter refellam illum modum, de quo etiam in obscuratione Solis aliqua prælibaui, scilicet Lunam obscurandam esse per subtractionem generationis radiorum, quos ad terram emittit, nam quemadmodum id de Sole afferendum non est, qui habet lumen proprium, eo quia auferretur species Solis è Mundo, si ipsius lux intrinsecè adimeretur, cum de substantia Solis, sit esse luminosum, proinde nouo miraculo, nouaq; reproductione esset ipsi à Deo lux restituenda, quando Sol, peracto die Iudicij, lucidior sit emicaturus, Ita hoc de Luna disputari non potest, quæ proprium non habet lumen, vnde nequit ipsius lux intrinsecè reprimi, suspendi, vel extingui.

Quartus modus Tostati. Neq; mihi arridet alius modus à Tostato indicatus in cap. 24. Matthæi, nimirum à nebulosis vaporibus Lunam iri offuscatam, nam hic modus non est prodigiosus, sed consuetus, ac naturalis, neq; eodem modo omnibus hominibus Luna obscurata repræsentabitur, quoniam probabile est vapores in diuersis partibus, cum densiores, tum tenuiores existere. Remanet igitur explicandum, an per Eclypsim, vel alium modum Luna sit denigranda.

Luna Eclypsim miraculosam futuram. Sit igitur Pronunciatum, Luna propè Occasum Vniuersi, non per naturalẽ, sed per miraculosam Eclypsim in tenebris detinebitur, Ad quod Pronunciatũ aperiendum, perstringenda sunt ea, quæ de Lunari deliquio ab Astronomis traduntur, & per semitas Astronomicæ doctrinæ ad veritatẽ Pronunciati assequendam procedamus: Lunaris Eclypsis est defectus luminis Solaris in Luna, qui ei accidit, quando Luna vmbram terræ conicam incurrit, quæ vmbra conica dicitur, quia quando Sphæra illuminans est maior orbe illuminato, vt euenit respectu Solis illuminantis terram, centies quadragies ex Tychone, vel centies sexagies sex, ex Magino, telluris magnitudinem superantis; tunc vmbra fit corpus oblongum rotundum, & acuminatum; In quam vmbram terræ incidit Luna, quando est ex ea terræ parte, quæ Soli est auersa, & quando plane Luna diametraliter opponitur Soli, penetrans sub Eclyptica punctum Soli oppositum, quod Arabice dicitur Nadir, Enimuerò terra est in centro Eclypticæ quod est centrum totius Vniuersi, & ab eadem Eclyptica centrum Solis non deflectit. Proinde vt Luna ab obiectu, & intercapedine terræ est obscuranda, oportet, vt Sol, Luna, & Terra, in eadem diametro collocentur; Itaut terra opposita Soli, & interiecta inter Solem, & Lunam, impediat deflexum radiorum Solarium ad ipsam Lunam, quæ incurrens vmbram terræ, ab ipsa obruitur, & Solari lumine orbatur; Id autem contingit non in omni plenilunio, sed duntaxat, quando Luna in capite, vel cauda Draconis, vel propè existit. Nam si positio Lunæ ad Solem fit non præcise, & directè in Capite, vel Cauda, sed propè, ita tamen, vt aliqua pars vmbræ terræ ad Lunam pertingat, tunc partim Luna obscurabitur, & non tota, quod eueniet, quando præcisè est in Nodis, & partialiter opponitur Soli; quia vmbra pyramidalis telluris lõge crassior, & amplior est in transitu Lunæ, quam sit diameter ipsius Lunæ; Vnde fit vt cum obscuratio in alterutrum Nodorum incidit, non solum totale Lunæ deliquium sequatur, sed aliqua etiam mora intercedat, donec scilicet Luna possit suo prępeti motu ab vmbra, in qua inuoluitur, se expedire.

Quomodo naturales Eclypses contingãt.

Lunam obtenebrãdam extra pleniluniũ. His præmissis, dico primùm; Lunam in fine seculi non esse obtenebrandam, cum erit in Plenilunio, & diametraliter opposita Soli; Moueor ad id afferendum, quia talis obscuratio haberetur naturalis, non prodigiosa, & hominum corda timore vehementi non percuteret; Adijcio, quod de ea Lunæ caligine similia pronunciata sunt ijs, quæ in Eclypsi solari in nece humanati Dei contigerunt, quando erat dies quinta decima mensis primi hebræorum, & Luna pariter quinta-

tadecima, & quando naturaliter impossibile erat Lunam Eclypsare Solem; similiter congruum veritati est affirmare, Lunam propè excidium mundanum nõ obscurandam esse in ia plenilunio, neq; in vna, vel altera dictarum intersectionum, & in eo interuallo, vel quindecim graduum ab alterutra parte vtriusq; nodi, vt autumant aliqui, vel minorum graduum, vt alij sentiunt; Sed tunc Luna offuscabitur, quando erit in alijs aspectibus, præter aspectum oppositionis cum Sole, puta in quadrato, vel trino, & quando erit extra omnes terminos Eclypsis, vt tanta spectaculi nouitate conspecta, confundantur illius æui, & obruantur sapientum, ac Astronomorum ingenia; Quapropter existimo, tunc Angelum, vel Intelligentiam, vt loquuntur Philosophi, præsidentem Lunæ moturam esse Lunarem orbem, eumq; collocaturum in loco opposito Soli, cum præcisa, & partili oppositione, in signo, & gradu opposito signo, & gradui Solis, vt ibi per vmbram terræ celebretur obscuratio totalis Lunæ, quæ erit quidem facta à positu Terræ inter Solem, & Lunam, sed modo supernaturali, & miraculoso, nempè adiumento Angeli mouentis Lunã, & configurantis eam cum Sole, eo tempore, quo tales luminarium Syzigię naturaliter non contingebant; Plura igitur erunt discrimina inter illam Eclypsim, & alias, quæ Astronomia duce, obseruatæ, ac obseruandæ erunt.

Eclypsim Lunæ futuram extra terminos Eclypticos.

Modus Eclypsis Lunaris futura.

Primum discrimen esto; Deliquium Lunæ extendi posse vsque ad vigesimos tres digitos notauit Origanus, licet enim diameter Lunæ in duodecim tantummodo digitos, vt etiam diameter Solis ab Astronomis diuidatur, attamen propter crassitiem ingentem vmbræ terræ afficiẽtem Lunam in transitu, fit vt vmbra multum superet Lunam, eaq; interdiu in vmbra moretur; Censeo autem, quod sicut eo tempore multæ, erunt anomaliæ, in motu Lunæ, præter suum ordinem, & cursum ab Angelis motæ, ita Luna tardius detinebitur in vmbra terræ inuoluta, vt longior sit obtenebratio.

Primum discrimen inter Eclypsim finalẽ & alias.

Secundum Lunares Eclypses vniuersales sunt, & eiusdem quantitatis, & durationis eueniunt vniuersis, supra quorum Orizontem Luna existit; Verum quidem est, quod Eclypses lunares Orientalioribus tardius apparent, quam Occidentalioribus, quoniam hi pauciores horas à suo Meridiano ad Eclypsim enumerant. Puto autem Eclypsim illam supernaturalem, non tantum futuram vniuersalem, & ab omnibus visam, sed etiam ab omnibus æqualiter, ac eodem tempore conspiciendam esse, quoniam fiet non initio, vel fine noctis, sed in media nocte, in medie cælo, & cursu Lunæ; Ita vt æqualiter ab Orientalibus, Occidentalibus, Meridianis, & ab his, qui vtrumq; habitant polum, cernenda est.

Secundum discrimen.

Notanda hoc, inter cætera absurdum.

Tertium: Eclypsis partialis Lunæ est maior, vel minor, tum in obscuratione, tum in duratione, iuxta maiorem, & minorem Lunæ à Nodis prædictis distantiam, & tunc aliqua pars Lunaris corporis, extra vmbram remanet, atq; illustrata apparet, dum alia pars obscuratur; Sed in consummatione sæculi, vt dixi, totalis erit, & non partialis eiusmodi Lunæ obfuscatio, quia ita constituetur ab Angelo, vt nullam nanciscatur à Nodis distantiam.

Tertium discrimen.

Quartum: Eclypsis non potest in eodem prorsus contigere loco, nisi quando circulus deferens nodos suum compleuit spatium, quod præstat annis 18. Aegyptijs, cum diebus 223. & horis 6. & m. 12. Arbitror eandem pluries ante occasum Mundi repetendam esse in eodem loco Eclypsim, modo explicato, absq; eo quod expectetur complementum motus circuli deferentis nodos.

Quartum discrimen.

Quintum: quando Luna est in apogęo vel primi Epycicli, iuxta Copernicum, vel eccentrici, secundum Maginum, minus Eclypsatur, magis verò obscuratur in longitudine media, & plurimum in perygæo. Etenim, quando Luna est in apogæo, vmbra terræ, quæ ad ipsam peruenit, longius à Terra recedit, & consequenter diameter eius, est minor, ac breuior, cum verò Luna est in perygæo, vmbra contrarium operatur. Quare, vt omnia in illa finali Lunæ obtenebratione supernaturaliter eueniat, assero ipsam secuturam esse, Luna in apogæo naturaliter existente, & tunc Angelus motor ipsam adducet ad perygęum, vt in maiori obscuratione, longiori tempore commoretur; Atq; id significant verba Saluatoris

Quintum discrimen.

toris nostri cap. 24. Matthei: *Virtutes cælorum commouebuntur*, quod idem significant ac illa S. Petri epist. 2. cap. 3. *cæli magno impetu transient*, nam vtriusq; pronunciati sensus est, quod illæ Angelicæ hierarchiæ, quæ Virtutis nomine donantur, & quæ astris, ex communi Theologorum consensu, præsident, cœlos magno impetu mouebunt, à cursu naturali ad non naturalem, constituendo ipsam Lunam in oppositione cum Sole, & in proprio perygæo, quando naturaliter talis non erit ipsius configuratio, & ad Solem habitudo; sed ea verba; Virtutes cælorum commouebuntur, inferius accurato examine perpendentur.

Et quoniam attulimus differentias ex Astronomia petitas, intercedentes inter Eclypses naturales Lunæ, & illas super naturales, quæ fient ante Iudicis supremum aduentum, libet, antequam huic Quæsito finem imponamus, aliqua indigitare discrimina ex Astrologia deprōpta, quibus clarissimè indicabitur, Eclypsim illam Solarem, & Lunarem à causis naturalibus profecturam non esse.

Figura cælestis in Eclypsibus erigenda.

In primis Astrologi sequentes Ptolomæum lib. 2. Quadripart. cap. 5. tradunt de Eclypsi Solari, & Lunari erigendam esse figuram, seù thema cœli, in quo inscribantur loca Planetarum inuenta, & Stellæ fixæ nonnullæ, præsertim quæ oriuntur, aut culminant, & quæ apud Eclypsim, & dominum eius reperiuntur. Monent, diligenter considerandum esse locum deliquij, & quæ in sequenti cardine Stella dominium habeat, sequentem verò cardinem dicunt eum, qui locum Eclypticum motu sequitur quotidiano. Addunt, vtrumq; angulum Horoscopi, & cordis cæli esse animaduertendum, vt ex hac, & aliarum rerum serie, & combinatione, efformetur de Eclypsi iudicium. Quis verò dubitare potest, hæc omnia vanissima non fore spectanda in Eclypsibus præcedētibus Mundanum excidium? quoniam in ipsis nullam vim obtinebunt Planetæ, nullam inerrantia sydera, & dominus Eclypsis non erit aliquis ex Planetis, sed ipse verus, ac supremus Dominus Deus, qui illis Eclypsibus non naturalibus vniuersalem Mundi interitum præmonstrabit, qui certè à nullo Planetarum potest neq; indicari, neq; produci.

Asterismi in Eclypsibus spectandi.

Præterea docent spectandos esse asterismos, siue in Eclyptica, siue extra, propè quos, siue in quibus celebrātur Eclypses, & præsertim Zodiaci signa esse considerandа, & in primis, quæ in angulis ascendentis, ac medij cæli reperiuntur. Adducunt pro ratione, quod effectus Eclypsis efficacius patientur vrbes, & regiones, quibus ea signa dominantur. Et pariter illos effectus subibunt ij, qui cum illis signis, illaq; cæli constitutione habebunt in propria Genesi colligationem, & consensum; Ideò commenta figmentis cumulando, arbitrantur, quod si Eclypsis fiat in signis Equinoctialibus, de sacris, & Religione faciendum est iudicium, Si in Tropicis, & Solstitialibus, de Repub. Legum statu, & mutatione præsagiendum esse, Ita Cardanus 2. Aphor. 163. vbi habet; signa bicorporea, in quibus celebrantur Eclypses, de hominibus, & ipsis Regibus prognostica suppeditare. Quæ omnia suaptè natura leuissima sunt, nulloq; rationis, & veritatis suffulta præsidio, eoque magis deridenda, cum loquimur de vltimis Eclypsibus; quæ mundano occasui propinquæ contingent. Siquidem cum ruitura sit, in melius deinde reparanda, Mundana moles, quodnam obsecro est signum Zodiaci, quod vel ipsis Astrologis fatentibus, præsideat Vniuerso, demoliendo? & in ipso excidio habeat dominium? Quamnam colligationem, & similitudinem habere possunt omnes Mundi partes, omnes homines tunc viuentes ad illum cæli positum, & thema, in quo Eclypsis conficietur, ita vt illa constitutio siderum omnium hominum interitum, & rerum naturalium demolitionem valeat præsagire? & præsertim rerum politicarum, Legum, & Christianæ religionis maximam turbationem præmonstrare, quæ non à naturalibus causis non ab influxu siderum, sed ab Antichristo, omni Dæmonum conatu vndiq; communito efficietur: Quapropter existimo Eclypses naturaliter contingentes, nullum habere influxum in hanc inferiorem Mundi plagam, si per se, & simpliciter considerentur, quatenus sunt priuationes luminis Solaris, vel lunaris, & nihil aliud operari, quam infrigidationem, per accidens tamen, scilicet per vtriusq; luminis impedimen-

Eclypses naturales carere influxibus.

dimentum, vt nox infrigidat aerem, terram, & aquam, propter absentiam Solis. Neque approbo rationem adductam ab Origano p. 3. de effectibus cap. de Eclypsi, scilicet, Deum molitum esse, vt certis temporũ interuallis Eclypses recurrerent, quo Mundum refrigeraret, quippè qui satis à Saturno, inter erraticas Stellas frigido creato, non potest refrigerari, nam hic non est finis proprius Eclypsium, sed accidentalis, & sufficiunt distantiæ Solis ad Mundum refrigerandum; nihilominus pro certo habeo, postremas illas Solis, & Lunæ obscurationes, nullum alium effectum in Mundo naturaliter producturas, quam aliquam infrigidationem, quoniam experientia comprobatum est, ex multiplicatione Eclypsium plerumq; sterilitatem secutam esse, terra videlicet refrigerata, & exiccata.

Eclypses an sint ordinatæ, sed mundum refrigerandum.

Colores Eclypsium

Non erunt considerandi in illis obtenebrationibus colores, quibus induuntur in Eclypsibus, luminaria, de quibus coloribus verba facit Ptolomæus lib. 2. Quadripart. cap. 9. & qui ab Astrologis seruantur, non solum in luminaribus deficientibus, sed etiam in ijs, quæ circa luminaria consistere possunt, vt sunt virgulæ, areæ, & similia meteora, ex quibus coloribus dominia Planetarum in Eclypsibus Astrologi demonstrare conantur; Proinde color niger, & subliuidus Saturninos effectus significat, candidus Iouiales, rutilus Martios, flauus Venereos, varius Mercuriales, & talis color per tota luminarium corpora diffusus, aut per totam in cælo vicinam regionem, pluribus prouincijs effectus Eclypsis decernit, & præsertim ei parti, in qua color cõstiterit. Sed reuera tales colores non sunt in luminaribus, sed in atmosphæra, & oriuntur à qualitatibus vaporum, qui sunt magis, & minus perspicui, & ex illis nullum aliud indicium confici potest, quam de ventis, de imbribus, de serenitatibus. Verum colores, qui in extremis Eclypsibus apparebunt, non erunt naturales, sed ab Angelis efformati, vt ad terrorem humani aspectus excitentur, propterea Iohelis 2. habetur: Sol conuertetur in tenebras, & Luna in sanguinem; Quod certè non est intelligendum de Martis dominio, quo in Eclypsi Lunari præsideate, ait Cardanus, Lunam sanguineo colore perfusam apparere, sed ille color sanguineus dictus à Propheta, vel erit rubedo quædam naturalis, refracta a vaporibus in aere existentibus, vel ab æthere proximo Lunæ, & à Sole illuminato, vel, quod satius duco, ille color sanguineus ab Angelis inducetur in Luna, ad indicandam iram Iudicis aduenantis, & vltionem ab ipso de humano genere sumendam; similiter color niger, qui conspicietur in Sole, qui tamquam saccus cilicinus, teste Io. nostro obijcietur obtutui, non proueniet à Saturno, coloris plumbei, & subfusci, iuxta fabulas Astrologorum, sed à maculis Solis, ab Angelis cõdensatis, & opacitate donatis.

Colores Eclypsiũ in atmosphæra.

Color sanguineus Lunæ.

Insuper Cardanus tradit septimo Aphorism. 75. & est vniuersale Astrologiæ proloquium, quod horæ, quibus Sol patitur deliquium, significant annos, sicuti horæ, quibus deficit Luna, indicant menses, quæ gratis dicta sunt, & figmenti loco à viris sapientibus habentur, nam satis percipi non potest, quomodo si duret Eclypsis Lunæ tres horas, effectus ipsius ad tres menses extendatur, & duratio Eclypsis Solaris vnius horę, afferat quoq; durationem effectus per integrum annum; nam quæro, vbi effectus Eclypsis tamdiu latent, vt post tantum tempus sese exerant? quandoquidem rationi consentaneum est, Eclypsim statim operari, dum est, neq; effectus suos ad alia tempora, in quibus non est, propagare: Vt vt res est; hæc certè non conueniũt Eclypsibus in fine Mundi euenturis, quoniam si tales obscurationes pluribus, vt infrà dicam, durabunt horis, nequaquam poterunt illæ horæ, vel menses, vel annos futuros significare, quia ex sacro codice habetur, ita propinquas Mundi excidio caligines in luminaribus fore, vt non superlint vel anni, vel menses, in quibus adimpleantur effectus, ab illis Eclypsibus prænotati.

Durationē Eclypsium non indicare effectuum durationem.

Neq; prætermittam in illis Eclypsibus non euenturum illud, quod Haly, Iulius Firmicus, & alij affirmant de naturalibus luminarium deliquijs, nimirum Eclypsim aliquando beneficia conferre, non ratione sui, sed dominantis in Eclypsi Planetæ, qui subit vices luminaris obscurati, quiq; Planeta, si erit beneficus, commoda,

Eclypsis fausta, & infausta.

da, si maleficus, detrimenta ingeret; nam obtenebratis luminibus, vel Solis vel Lunæ, nullus Planeta beneficia præstabit facultate, sed omnes in perniciem Mundi, iubente supremo Numine, conspirabunt.

Eclypses quibus officiant.

Subdunt, Eclypsim nihil officere illis, in quibus non cernitur, regionibus, quãquam vnum afferant, quod repugnãtiam inuoluit, nimirum ipsam Eclypsim Solarem in quarta domo, iuxta cæli imum, in quo loco à nobis non videtur, validiorem esse, quam in octaua, vel duodecima domo; Cæterum Eclypsis lunaris, & Solaris postrema, vt explicabo in sequẽti Quæsito, ab omnibus cernetur hominibus, quibus illud afferet damni, quod Iudicem iam iam proximum indicabit, & humana pectora ingẽti cõplebit terrore.

Eclypses in fine mundi non possint ab Astronomis prævideri.

Quapropter cum illa Solis, & Lunæ deliquia prorsus supernaturalia futura sint, neq; ab Astronomis prædici, neq; ab Astrologis considerari poterunt; Et Anaxagoras Clazomenius, qui primus Lunares defectus prædixit, quiq; ab Rege Syracusano talento donatus fuit, tales obscurationes præmonstrare non posset, sicut Thales Milesius, qui primus, referente Plinio, Solarem Eclypsim pronunciauit, in illa postrema Solari prænotanda, penitus deficeret, & cæcutiret; Sed quemadmodum Columbus, eiusq; Socij, in Americæ mediterraneis degentes, inter homines barbaros, & Ethnica superstitione immersos, seipsos mortis periculo liberarunt, & Dij habiti sunt, narrante Mapheo in historijs Indicis, ita ego opinor, quod si postremis Mundi diebus, Eclypses à viris sanctimonia excultis, & diuino afflatu peritis prædicentur, summi illis honores sint deferendi; Existimo autem propè Mundi occasum magnas, & frequentes, tùm Solis, tùm Lunæ non naturales futuras Eclypses, vt tunc temporis Idolatræ, Solem, Lunamque colentes, agnoscant proprios languere Deos, interire, & extingui, vt olim existimarunt Gentes, teste Plutarcho, in vita P. Aemilij, quæ propterea vario tinnitu, tympanis, & cytharis ad sidera elatis, ac pulsatis opem ferre sideribus laborantibus contendebant; Quod etiam à C. Tacito memoriæ traditum est luculenter. Neq; vt fabulati sunt Poetæ, Luna tunc temporis, carminibus, aut incantationibus, & veneficijs è cælo ducetur, sed solum diuina potentia, & Angelorum opera, horridæ illæ obtenebrationes humanos incurrent obtutus.

Columbus Deus habitus ex Eclypsium præuisione.

QVÆSITVM VNDECIMVM.

De duratione obscurationis Solis, & Lunæ, & de loco cœli, in quo luminaria obscurabuntur in fine Mundi. Refellitur sententia Tóstati; examinatur Eclypsis Solaris in morte Christi. Conciliantur dicta Euangelistarum, & iuxta locum, & durationem Eclypsis Solaris in funere Domini, decernũtur obscurationes luminarium in fine Mundi, & aliqua scitu digna, & iucunditate, traduntur.

Tempus, & duratio Eclypsium finalium incerta.

Neque ex sacra Scriptura, neq; ex aliquo spectatæ fidei testimonio designari potest tempus, & duratio Eclypsium luminarium, ante Iudicis aduentum, & sæculi consummationem, quoniam id non proueniet ex principijs naturalibus, sed ex sola Dei voluntate, cuius nulla ratio humanitus potest assignari; Sed quemadmodum supra à nobis ostensum est, vtramque Eclypsim, extra tempora naturalis Eclypsis euenturam, quò prorsus supernaturalis, & miraculosa iudicetur; sic vtriusque duratio, & magnitudo videtur ex cessura limites naturales durationis Eclypsis, vt id etiam concurrat ad celebrandum miraculum, & diuinam potestatẽ in Eclypsibus prædicandam. Neq; concedendum est illud, quod etiam refellit Abulensis in cap. 24. Matth. quæst. 161. nimirum sufficere, quod per mediam horam, quælibet illarum obscuratio perseueret, eò quia, cum vtraq; futura sit signum accessus Iudicis, & consummationis sæculi, sat erit, vt breui

Duratio Eclypsium futura prodigiosa.

ui tempore, ad id significandum, conspiciatur; Nam ea signa manifestanda sunt omnibus hominibus, in omni Mundi climate existentibus, quia erunt signa Iudicis aduenientis, & Mundi finis, atq; omnes homines à Iudice supremo iudicandi sunt, & mundani occasus debent esse spectatores, illisq; datis signis, vt loquitur Scriptura, plangēt omnes Tribus terræ; Propterea signa fient in Cælis, quia alia signa, quæ in Terra, Mari, & Aere cōspicientur, vti terræmotus, sonantes, & proc[illegible]los[illegible] fluctus, maris, & d[illegible] ræ pestes, [illegible]timabuntur signa particularia, & effe[illegible]us peculiares prou[illegible]ciarum, at cæli prod[illegible]gia erunt o[illegible] commu[illegible]a, vti cælum est vn[illegible]uersale omnium spe[illegible]aculum; Non s[illegible]ficit autem mediæ horæ spatium, ad tale[illegible] visionem, & notitiam omnibus hom[illegible]ibus eo tempore existentibus, commu[illegible]icandam Namq; sicuti propter terræ rotunditatem, non eodem tempore, in vno climate illucescit dies, quam in altero, imò climata distinguuntur, propter diuersitatem ortus dierum, sic necesse est, Solem, & Lunam obscuratos remanere, non media hora, sed tribus, vel quat[illegible]uo[illegible] horis, vt hab[illegible]ta ratione ad rotunditatem [illegible]erræ, & [illegible] ipsorum luminarium motu, po[illegible]int obscurati in omnibus regionibus appar[illegible]e.

Eclypsis dimidium Lunam excessiuus.

Animaduertendum est, a veritate alienum esse illud, quod probatur Tostato, loco co[illegible]memorato, nimirum, quod si i[illegible]a ob[illegible] per di[illegible]diam horam du[illegible] in v[illegible]ersa t[illegible]ra videri, eò quod [illegible]ra no[illegible] [illegible]a in circuitu, neq; in [illegible], neq; in latitudine, quia ip[illegible]e censet, Indos esse extremas gentes versus Orientem, & Hispanos versus Occidentem, Ideo omnes homines capi poterunt, inquit ipse, vbicumq; habitent, sub vno horizonte, & consequenter Sol in puncto medij cæli obscuratus, poterit in media hora, ab omnibus hominibus videri, Id inquam, falsum est, quia nauigationum experientia exploratissimum est, tellurem in latitudine habitatam esse, ferè ad extremas partes poli Arctici, quamuis in Antartico adhuc multa sit t[illegible]a [illegible]nota, & per t[illegible]tam l[illegible]ngitudinem hab[illegible] esse, quoniam extant Antipode[illegible] [illegible]es vestigia, qui opposito [illegible]

Tostati error.

correspondent; Quare tum propter rotunditatem terræ, fermè vbicumq; habitatæ, tum propter montium prominentias, fieri nequaquam potest, vt Sol in aliquo medio puncto cæli, per dimidium horæ obscuratus, ab omnibus habitantibus medium terræ orbem, diuisum suo finitore ab altera medietate orbis, videatur. Enimuerò superuacaneum pro[illegible]us existimo, commemorare, Solem obscuratum in vno He[illegible]isphærio, vel supra altera orbis terræ m[illegible]dietate, videri posse ab il[illegible]s, qui alteram medietate[illegible] orbis habitant; Nam terræ opacitas id prorsus impedit, vt patet in nocte, in qua Sol il[illegible]ans alterum Ant[illegible]podū hemisphærium, in nostro non conspic[illegible]ur. Propterea necesse erit, vt Sol, & Luna in vtroq; hemisphærio obscurentur, si ab omnibus hominibus videndi erunt, vel oportebit vt per viginti quatuor horas obscurati, totum circuitum cæli peragant, vt ab vtraque orbis medietate obtenebrata luminaria cernantur, vel saltem duodecim horis in vtroq; hemisphærio, Sol caligine inuoluatur, idest statim ac supra horizontem emerserit, obscuretur, vsque ad occasum; Attamen melius consultus, puto ipsum Solem, & Lunam in medio cæli, nimirum Solem in meridie, & Lunam in media nocte obscurandos esse, ferè in puncto medio cæli, æquidistante ab extremis partibus Orientis, & Occidentis, in quo loco videbuntur ab habitatoribus Orientis, Occidentis, Meri[illegible] & incolis vtriusq; poli; Et quamuis reuera ad id præstandum [illegible]fficere[illegible] breue temporis s[illegible]atium, nihilominus, quia debet illa obscu[illegible]atio esse signum rei magnæ, admirabilis, & insolitæ, sed paruæ, & consuetæ videretur arg[illegible]mentum, si parum duraret, idcirco puto, cum eodem Tostato, quod tempus erit trium, vel quatuor horarum, vt omnibus terris tenebræ manifestentur. Id quidem hæc m[illegible] potissima suadet ratio, quod esto lu[illegible]a futura sint in situ cæli, in quo po[illegible] ab omnibus obtenebrata videri, [illegible]en i[illegible] fortasse impedient mont[illegible]um ce[illegible] iuga, vnde obscuranda erunt in loco parum à medio cæli di[illegible]te, vt ante medium cæli posita, ab orienta[illegible]us videantur, Procedent autem obscurata tribus horis versus occasum, vt ab incolis vtriusq; poli,

Solem eodem tempore ab omnibus vide ri non posse.

Solem in meridie, Lunam in media nocte obscurandum.

& ab Occidentalibus cernantur. Motus enim luminarium paulisper antecedens medium cęli, & deinde progrediens versus occasum superabit impedimenta, quæ à prominentijs montium prouenire queunt; ne videantur.

Sole æquinoctiorum tẽpore obscurandũ.

Hic non est prætereundum, quod cum assero, Solem ferè in meridie obscurandum esse, & fermè in puncto æquidistante ab extremis partibus Orientis, & Occidentis, & Polorum, suppono obscurationem faciendam esse tempore æquinoctiorum, nam sicuti grauissimorum Anthorum est opinio, Mundum in altero æquinoctio, vel vernali, vel autumnali à Deo creatum esse, & compertissimum est Eclypsim Solarem, in nece Domini, tempore æquinoctij vernalis contigisse, siquidem Pascha tunc erat, dies 15. mensis Martij, quo tempore vel circiter illo climate in æquinoctium celebratur; Ita probabilissimum est, Mundum finiri in vno æquinoctiorum, in quibus cum dies artificiales sint noctibus æquales, & duodecim horis constentur, fit vt Sol in meridie collocatus, æqualiter ab oris Orientalibus, & Occidentalibus, sex horarum cursu distet, & possit ab illis caligine tectus videri.

Eclypsim non duraturam dies integros.

Et quantum spectat ad durationem trium, vel quatuor horarum, quas constituo mensuras vtriusq; obscurationis in luminaribus, considero illa per dies integros obtenebranda non esse, quia diuturna ipsorum deliquia multum damni omnibus viuentibus afferrent, & fortasse multi homines, & animalia perirẽt, ab [illegible] solito luminarium influxu, & splendore; At cum non sit finis illarum ten[illegible]rum mortem afferre viuentibus [illegible] Iudicis accessum, & Mundi exitium [illegible] nunciare, consentaneum rationi v[illegible] afferere, non ad dies, sed sol[illegible] horas, illas tenebras extendendas [illegible] Id circò non assentior Baradæ tom. [illegible] .9. cap. 10. de signis Iudicij opin[illegible]i, tenebras duraturas esse per aliquot dies, & saltem quantum durauerunt tenebræ, quibus oppressa fuit Ae[illegible]ptus: Ratio enim ab ipso adducta, scilicet, quod omni[illegible] portenta in fine Mundi mortem allat[illegible] omini, & pa[illegible] ac[illegible] lu[illegible] ui e[illegible] enti, q[illegible] non a[illegible] b[illegible] neq; ab a[illegible], [illegible] extinguendi sunt homines, & tota mundana moles destruenda. Et quamuis naturaliter Eclypsis Lunæ longior, sit ea, quæ durat horis 4. min. 4. circiter, Solis verò, quæ durat spatio 3. horarum, cum dimidia circiter, vt tradidit Cardanus, & colligitur ex multis Eclypsibus ab Origano, & Magino descriptis, tamen arbitror illas Eclypses, quantumuis supernaturales, tempus trium horarum non excessuras. Adducor ad id opinandum ab Eclypsi Solari, quæ miraculosè in morte Domini facta est, quæq; constitit tribus circiter horis. Euangelistis testantibus, ab hora sexta vsq; ad horam nonam, tenebras super vniuersam terram factas esse, Ideò illa Eclypsis Solaris, ad demonstrandam Christi Saluatoris mortem, tribus fuit horis contenta, quid in etiam ad designandum eiusdem Christi Domini finale Iudicium, & sæculi consummationem, trium horarum spatium postremis illis Eclypsibus sufficiet? Pro qua re lucidius explicanda, placeat tantisper immorari in explicandis tenebris, quæ Christi mortem declararunt.

Eclypses non excessuras spatium trium horarum.

Dierũ [illegible]umque diuisiones in quatuor partes.

Sciendum est, ab antiquis [illegible]am fuisse noctem, referentibus V[illegible], & Modesto, in quattuo[illegible], seu custodias, & diem in qua[illegible] pariter stationes partitum fui[illegible] vsus, non à Romanis dumtaxat, s[illegible]m ab Hebræis fuit vsurpatus, v[illegible]ur ex S. Hieronym. in Psa[illegible] 8 [illegible] *Nox*, inquit, *in quattuor Vigilias diuid[illegible]ur quæ singulæ trium horarum spatio [illegible]putantur*, & Plin. lib. [illegible]o. loquens [illegible] Gallis, ita de illorum vigilijs mentionem facit: *Cum Sole eunt cubitum quartaq; castrensi vigilia ad curas laboremq́; reuocant*, itaque iuxta hunc militarem v[illegible]n horæ, diuisi fuerunt dies in quattuor stationes, scilicet in primam, [illegible]tiam, sextam, & nonam. C[illegible]bat prima spatium trium hora[illegible]m, vsq; ad tertiam, hæc, tres alias horas, vsq; ad sextam, hęc [illegible]lias, vsq; ad nonam, & hæc tot[illegible]um diem comprehẽde[illegible] Q[illegible]xt[illegible] hunc sensum, vl[illegible]na pars ho[illegible] est principium [illegible] sextæ, q[illegible] hora meridi[illegible] A[illegible] ratione, appar[illegible]s con[illegible] [illegible]ter Euangelistas conci[illegible] [illegible]m Marcus ait: *Erat autem [illegible] tertia, [illegible] crucifixerunt eum*; quod non consona[illegible] cum alijs dictis Euangelistarum

Euangelistæ conciliantur.

rum

rum asserentium à sexta hora, vsq; ad nonam factas fuisse tenebras super terram, indicunt enim in hora sexta ipsum Christum fuisse crucifixum, atq; eo tempore, vel parum post crucifixionem, tenebras terram occupasse; Quæ repugnantia dissoluitur, considerando vltimam partem horæ tertiæ fuisse initium horæ sextæ, vnde rectè loquitur Marcus dicens: *Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum*, idest vltima pars horæ tertię, & initium horæ sextæ: Et rectè pariter loquitur Lucas; *Erat autem ferè hora sexta*; Siquidem hoc verbum, *ferè*, connotat, illud tempus fuisse intermedium inter postremū spatium horæ tertiæ, & initium horæ sextæ. Prætermitto hic expositionem moralem allatam à Nicolao Lyrano, & desumptam à S. Augustino lib. 3. de consensu Euangelistarum cap. 13, nimirum, hebræos hora tertia cæpisse acriter vrgere Pilatum, pro crucifixione, & linguis primum, & probris Christum cruci affixisse, quam ferro.

Repugnantia Euangelistarum conciliata.

Augustini expositio.

S. Augustin. loco citato exponens verba Io. *Erat autem Parasceue Paschæ hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Ecce Rex vester.* sic interpretatur; *Non enim*, inquit Augustinus, *iam plena sexta erat, sed quasi sexta, idest peracta quinta, & aliquid etiam de sexta esse cæperat*, nunquam enim isti *dicerent, quinta, & quadrans, aut quinta, & triens, aut quinta, & semis, aut aliquid eiusmodi, habet enim istum morem Scriptura, vt à parte totum ponat, vt peracta quinta, & inchoata sexta gererentur hæc, quæ narrata sunt in crucifixione Domini nostri, donec completa sexta, illo pendente, fierent tenebræ.*

Sed quoniam meum non est consilium hunc difficultatis nodum accuratè explicare, sed tantum indicare, quatenus meo deseruit argumento, dico, quod eclypsis Solaris in funere Domini, iuxta præmissam horarum diuisionem, per tres horas durauit, scilicet ab hora sexta, vsque ad horam nonam; Hinc patet, intra limites horæ sextæ, Christum crucifixum fuisse, nimirum circa meridiem, & ea hora, qua Adamus peccauit, vt notarunt Origenes, & Theophylactus, vel illa hora, qua ipsemet Adam è Paradiso eiectus fuit, vt Christi mors occlusam Paradisi ianuā reseraret, sicuti Beda, & Teophylactus interpretati sunt; Et obseruandum est, Euangelistas sextam horam, idest meridianam exprimere, in qua cæperunt tenebræ, vt inde maius miraculum appareat, quod Sol medio cæli cursum agens, caligine obductus fuerit, sicuti Amos prædixerat cap. 8. *Occidet Sol in meridie*; Etenim magis mirabile est, vtpotè contrarium naturali illuminationi Solis, quòd ipse in meridie occidat, & obtenebretur; Quod etiam voluit Diuina Omnipotentia præstare, ne, si tenebræ, aut matutino, aut vespertino tempore accidissent, naturales habitæ essent, quoniam surgente, & occidente Sole, plerumq; in finitore grandiores apparent vapores, quorum obiectu solet inumbrarri.

Cur in meridie fuerit Solis obscuratio.

Talis igitur obscuratio luminarium apparebit in fine Mundi, qualis visa est in funere Saluatoris, ex mente Augustini, epist. 80. ad Hesychium ita scribentis: *Quare sic apparebunt etiam talia, & apparebunt, quando finis, sic appropinquabit, vt debeant apparere*; Talia verò sunt illa, quæ supra de Eclypsi in nece Domini protulerat. Igitur si illa miraculosa Solaris Eclypsis trium horarum spatio permansit, redarguendus non erit is, qui affirmet, postremam Solis obscurationem, ante Iudicij diem, tres pariter horas duraturam; Quoniam verò hoc tempus sufficere non videtur ad manifestationem obscurationis vtriusq; luminaris faciendæ super vniuersam terram, operæ pretium esse duco, breuiter disserere, an obtenebratio Solis in nece Domini, in terra vniuersa contigerit, quandoquidem ex hac dilucidatione compertum fiet, an per vniuersum Orbem postrema caligo luminarium diffundenda sit.

Obscuratio Solis in fine Mundi trium horarum.

Prorsus in re difficili, & Sanctorum Patrum, aliorumq; Authorum testimonijs, hinc inde certantibus, obsita versamur. Chrysostomus, Theophylactus, Eutymius opinati sunt, tenebras toto terrarum orbe, pereunte Redemptore, extensas fuisse; Id primum patet ex Euangelistis consentientibus, tenebras super vniuersam terrā factas fuisse; Idq; cōfirmatur authoritate Dionysij scribētis, se in Ægypto, vna cum Apollophane Sophista illas vidisse; Ægyptus autem longè distat à Hierusalē, in qua Christus crucifixus fuit, & ad quod scelus execrādum Soli radij adempti fuere. Origenes autumat solam Iudęam tenebras inuasisse, quia propter solos Iudæos,

Tenebras in Christi morte fuisse vniuersales.

eorumq; impietatẽ detestandam à Domino Deo factæ fuerunt. Id quod ita expressit D. Hieronymus in Matthæum: Videtur mihi Sol retraxisse radios suos, ne aut pẽdẽtem Dominum videret, aut impij blasphemantes, sua luce fruerẽtur; & Cyprianus de bono patientiæ ait: Cum Sol, & radios, & oculos suos subtrahat, ne Iudæorum facinus aspicere cogatur; Idcircò Origenes, expendens verba sacri Codicis; *Per vniuersam terram*, inquit, vniuersalem illam particulam intelligendam esse accommodatè ad locum, de quo agebatur, quoniam verò res in Iudæa gerebatur, super vniuersam terram, idest super vniuersam Iudæam tenebræ fuerunt dilatatæ. Equidem fateor, fieri non potuisse, vt per vniuersam terram, idest per totum terrarum Orbem amplectentem Antipodas, hora sexta, tenebræ factæ sint, per Solis obscurationem, quia in altera media terrarum orbis parte nox tũc erat, sed mirari satis non possum, Origenem suam sententiam in re tam graui, & Euangelistarum oraculis prædicata, ad solam Iudeæ prouinciam coarctasse; Cui opinioni incautè subscribens Maldonatus in cap. 27. Matth. nititur ipsam aliquot rationibus conuallare; Prima est, quod hora sexta, idest meridiana, in diuersis locis, diuerso tempore esse non potuerit, quia, vt Astronomis, & Geographis exploratũ est, diuersi sunt locorum Horizontes, ac Meridiani, & Euangelistis curæ fuit, non solum narrare miraculum de tenebris factis, sed etiam ipsas in meridie, & hora sexta contigisse; Vnde infert in illis locis, vbi talis nõ erat meridies, miraculum nequaquam cognitum fuisse; Quæ ratio facilè diluitur; Nam Euangelistæ loquentes de tenebris factis ab hora sexta vsq; ad horam nonam, nolunt indicare horam sextam in omnibus regionibus, neq; præcisè meridiem, sed quidem tempus illud, in quo tenebræ euenerunt. Quoniam non adæquatè in hora sexta, sed ipsa labente, non autem completa, contigerunt; Propterea ait Marcus: *Et facta hora sexta tenebræ factæ sunt per totam terram, vsq; in horam nonam*. Atq; in illo sextæ horæ spatio, in quo Christus pendebat in cruce, & nondum factæ erant tenebrę, potuerunt milites vestimenta diuidere, & sortes mittere, potuerunt prætereũtes Christo illudere, & potuit Dominus Matrem, Discipulũ, & Latronem alloqui, quæ omnia in tenebris non fuerunt facta. Igitur præcisè primum punctum horæ sextæ nõ est accipiendum, in quo tenebræ euenerint; Et obiter notandum est, quòd quando milites acetum Christo obtulerunt, antequam traderet spiritum hora nona, illud dederunt non in tenebris, quia id præstare non potuissent, sed iam redeunte Solis splendore, qui rediit hora nona, idest in fine Eclypsis, minoribus iam tenebris existentibus, & iam incipiente lumine Solis clarescere. Cæterum esto, quod voluerint Euangelistæ indicare meridiem, vel Iudeæ, vel Ciuitatis Hierusalem, non ob id tamen conficitur Ciuitates, quę sub eodem meridiano non erant, tenebras illas non agnouisse; Etenim Ægyptus, quæ longè dissita ab Hierosolyma, eumdem non habebat meridianum, inspexit Eclypsim, teste Dionysio, tunc temporis Heliopolim Ægypti vrbem incolente; Quo circa decipitur Maldonatus, putans tenebras magnas fuisse in Iudæa, minores verò in Ægypto, ab vrbe Hierusalem longè remotã; siquidem Dionysius refert, se tenebras ingentes vidisse, à quibus simul cũ Apollophane in magnã ductus est admirationem. Neq; approbo opinionem Baradij tom. 4. lib. 7. cap. 30. existimantis, tenebras illas trium horarum, nõ adeò fuisse crassas, vt Iudæos, qui in Monte Caluariæ erant, impedirent facere, quæ fecerũt; Nam tenebrę nomen totalem luminis priuationem significat, ad differentiam eclypsis, quæ tantam luminis orbitatem non importat; Ideò tenebræ Ægyptiæ hoc nomine appellatæ fuerunt, ad explicandam ipsarum densitatem, & omnium luminum priuationem, vt supra fuit à nobis demõstratum. Præterquam quod Dionysius testatur, tenebras illas fuisse ingentes, scilicet densas, & crassas, & totalem luminis priuationem attulisse.

Origenis expositio.

Maldonatus Origenis sectatur.

Prima Maldonati ratio diluitur.

Operationes factæ ante, & post tenebras.

Barradij opinio refellitur.

Secunda ratio Maldonati vertitur circa silentium vniuersale Scriptorũ de tam prodigiosa Eclypsi, quoniam verisimile non est, inquit ipse, neminem ex multis Græcorum, & Latinorum historicis rem tam mirabilem, tam vniuersalem memoriæ non prodidisse, si toto terrarum Orbe facta, & cognita fuisset. Cui respondeo, negando euentum illum adeò insignem

Secunda Maldonati opinio refutatur.

neuti-

neutiquam litteris cōsignatum fuisse, hæc enim scribit Georgius Cedrenus in annalibus Constantinopolitanis, ad annum Tiberij Imperatoris 19. *Dominus noster*, inquit ipse, *Iesus Christus supplicium adyt, sicut de eo Vates prædixerant, quo tempore in Græcis commentarijs annotata, ipsis verbis referemus.*

Quæ sic reddita sunt ab Interprete. *Solis extitit defectus, omnibus prioribus maior, noxq́; dici hora sexta oborta est, ita ut & stellæ in Cælo conspectæ sint, Terræmotus quoq; ingens in Bithynia fuit, qui magnam Niceæ partem prostrauit. Ita Phlegon: Africanus quoque narrat, quo die Christus est supplicio affectus, tenebras admodum terribiles per totum Mundum obortas, terræmotus, ac saxa dirupta, multumq́; terræ prostratum.* Hæc Cedrenus. Similia retulit Eusebius in Chronic. anno 33. hæc habens: *Phlegon, qui Olympiadum egregius supputator est, lib. 14. ita dicit. Quarto autem anno ducentesimæ secundæ Olympiadis magna, & excellens inter omnes, quæ ante eam acciderāt, defectio Solis facta est; Dies hora sexta ita in tenebrosam noctem versus, ut stellæ Cæli visæ sint, terræq́; motus in Bithynia Niceną multas ædes subuertit*; Quare si Cedreno fides nō esset adhibenda, hęc sanè nō est abroganda antiquissimo, & eruditissimo Eusebio; Quin Orosius lib. 7. cap. 4. testatur, aliquos Græcorum libros huius miraculosæ defectionis meminisse; & Origenes in Math. cōfirmat, Phlegontē Ethnicum Tiberij Imperatoris libertū de hac Eclypsi scripsisse. Cur autem à pluribus Scriptoribus huc de re mentio facta non fuerit, rationem ingerit D. Thom. 3. p. quæst. 44. art. 2. his verbis. *Potuit hoc contingere, quia Astrologi ubiq́; terrarum tunc temporis existentes, non sollicitabantur de obseruanda Eclypsi, quia tunc tempus non erat, sed illam obscuritatem ex aliqua passione aeris accidere putauerunt. In Aegypto autem, ubi rarò nubes apparent, propter aeris serenitatem, permotus est Dionysius, & Socij eius, ut prædicta circa illam obscuritatem obseruarent.*

Conueniens erat, inquit Barradas loco citato, *generalem Eclypsim in morte Domini factam fuisse, quia generalis totius Orbis erat redemptio, & generalis totius Orbis Dominus mortem subibat.* Igitur mirabilis illa obscuratio totalis fuit, per vniuersum Orbem dilatata, aduersus sententiam Maldonati; neq; fuit ab Authoribus omnibus, præterquam à sacris, silentio inuoluta, sed à Græcis Scriptoribus exarata; Qua de re legendus est Baronius tom. 1. Iacobus Gretserus tom. de Cruce lib. 1. cap. 31. Iansenius in concordia Euangelist. cap. 143 Barradas in Euangel. tom. 4. lib. 7. cap. 20. Itaque affirmandum est, Sole vndequaque tenebris obsito, eam caliginem diffusam fuisse, non per Iudæam Solum, aut Palestinam, sed per medium terrarum Orbem, atque ipsius Solis radios ereptos fuisse Asiæ, Africæ, & Europæ, non autem Americæ, & Antipodis, vt infra dicam; Quo circa verba sacri textus, *Et tenebræ factæ sunt super vniuersam terram*, exponenda sunt pro medio Orbe terrarum, super quo tunc temporis Sol erat; Id quod egregiè expressit Tertullianus in Apolog. cap. 21. his verbis, loquens de Christi passione: *Suffixus multa mortis illius propria ostendit insignia, nam spiritum cum verbo sponte dimisit, præuento carnificis officio; eodem momento dies, medium Orbem signante Sole, subducta est; Deliquium vtiq, putauerunt, qui id quoque super Christo prædicatum non scierunt, & tamen eum Mundi casum relatum in archiuys vestris habetis.* Ex quibus verbis duo animaduersione dignissima spectanda sunt; Alterum est, Romanos Pontifices in suis Fastis illum admirabilem euentum tunc temporis consignasse, quem Mundi occasum appellat Tertullianus, quò vniuersalis indicetur, tali enim nomine donandus non erat, si vniuersalis non extitisset; hincq; magis apparet falsitas Assertionis Maldonati, nempè miraculosam illam Eclypsim à nemine fuisse traditam monumentis; Alterum considerandum est, quod, inquit Tertullianus, *Solem medium orbem signasse*; Nomine autem medij Orbis nō intelligit medium Orbis Solis, adeò vt medietas Orbis, vel Disci Solaris tenebris obducta fuerit, siquidem id repugnat verbis Dionysij epist. 7. ad Polycarpum ita scribentis: *Offusi enim tenebris ipsi eramus, orbem Solis vndequaq; & ex æquo occupante caligine.* Propterea verba Tertulliani, *Medium Orbem signante Sole*, exponenda sunt de media terræ sphæra, quæ tunc caligine impleta fuit. Ad quod clarius explicandum, repetendum est miraculosam Eclypsim factam fuisse in

in meridie Hierosolymæ, cuius circulus meridianus vergit ad Orientem, quoniam Hierosolyma in oris orientalibus posita est, neq; enim collocata est in medio Orbis, vt putauit D. Hieronymus, sed quidem in medio Iudææ, vel Palestinæ, quæ fortasse dici poterat medium terræ, Dauidis tempore, idest, terræ notæ, & habitabilis, quia est in finibus Africæ, Asiæ, & Europæ; Quam interpretationem recepit Valentia, & secutus est Bellarminus in expositione Psalmi 73. *Deus autem rex noster ante secula, operatus est salutem in medio terra*. Vel hæc verba accipienda sunt de Inferno, qui est in medio terræ, in quo operatus est Dominus salutem, quando Sanctos Patres ab Inferis eduxit, vel significant publicam, & notoriam omnibus redemptionem à Christo Domino factam, ac si in medio totius Mundi fuisset perpetrata, vt interpretati sunt Cassiodorus, Caietanus, Agellius; Idcirco Eclypsis facta supra Ciuitatem regionis Orientalis, ab Aequatore distantem ferme grad. 32. fuit visa à partibus extremis Orientis, & ab illis, qui erant in confinio illius horizontis, diuidentis alteram orbis partem; Quoniam verò Sol non cohibuit, vel retardauit motum (de hac enim re ne verbum quidem in sacra Scriptura) sed obtenebratus, & Lunæ coniunctus suum prosecutus est iter ad occasum, factum est, vt tribus horis, quibus obscuratus remansit, non Solum pertransierit innumeros circulos meridianos, multarum vrbium, sed etiam appropinquauerit occidenti, cum ab hora nona, in qua tenebræ cessarunt, superfuerint tres horæ ad diei complementum; Igitur in illo transitu, à circulo meridiano Hierusalem, per alios cæterarum vrbium meridianos, vsq; ad partes proximas Occidentis, visus fuit Sol obscuratus, à media sphæricitate ipsius terræ; Quapropter verificantur oracula Euangelistarum dicentium, tenebras super vniuersam terram factas esse.

Opinio de loco, super quo Sol, & Luna obscurabuntur in fine Mundi, & de motu ipsius Solis obscurati.

Idem prorsus dicendum est de Sole, & Luna obscurandis in fine Mundi, nimirum, quod tenebris obducentur, primum super medio orbe, in quo Christus habitauit, Ecclesiam suam fundauit, & vbi tot Sancti martyrio, doctrina, sanctimonia insignes, hanc Mundi partem illustrarunt; Existimo autem, quod Sol obscurabitur in circulo meridiano, à quadistanti à partibus extremis Orientis, & Occidentis, nec non ab vtroq; polo, vt ab omnibus videatur, & tribus illis horis obscuratus mouebitur ad plagas Occidentales, ad quas antequam perueniat, vt magis clarescat miraculum, à caligine liberabitur; Quoniam vero in altera Mūdi parte, seu altero medio orbe, nunc partim prædicatum est Euangelium, tunc verò temporis totaliter erit annūciatum, vt latè in disputatione scripturali explicabimus, ideò ad præmonendas illas gentes de Iudicis aduentu, & vniuersali excidio, in illo quoque orbe luminaria per idem tempus vmbroso tegumento implicabuntur.

Rationes ad probanda suprà asserta.

Dixi per tres horas luminaria in fine Mundi obscuranda fore, quia idem mihi videtur ferendum esse iudicium de Eclypsi finali, ante Mundi Occasum, ac de Solari Eclypsi in morte Christi; Si enim suffecit spatium trium horarum deliquij Solaris, vt præter sacræ Scripturæ oracula, testantur Chrysostomus homil. 89. in Matth. & D. Antoninus p. 1. hist. tit. 5. cap. 6. §. 6. ad annunciandam Saluatoris nostri mortem, cur idem tempus conueniens non erit, ad prædicandum eius aduentum, quo totum terrarum orbem iudicabit?

Dixi, in meridie, Solem tenebris fore circumfusum, & propter congruentiam, quam hoc miraculum habere debet cum miraculo Eclypsis Solaris, in funere Domini, & quia cum in meridie Solare iubar magis splendescat, & efficacius vapores diluat, & nubes, maiorem eiusdem obscuratio excitabit terrorem, & admirationem, videbuntq; omnes gentes, non ab aliqua nube fuisse caligine circūseptum, vt de Sole obtenebrato, patiente Domino, perperam ita cecinit Sedulius.

Sol nube coruscos
Abscondens radios, tetro velatus amictu,
Delituit, tristemq; infecit luctibus orbem;

Sed supernaturaliter id euenisse, perspicuum erit.

Censeo etiam, quod sicut in Eclypsi Solari, moriente Domino, non incæpit Luna, iuxta morem suum naturalem, ab Occidentali parte Solis, ipsum obtegere, per-

perueniens vſq; ad Orientalem, propter motum proprium Lunæ tendentis ab Occidente ad Orientem, & ſe ſubijcientis ex parte occidentali Solis; ſed miraculosè retrò rediens, ab oppoſita regione Solis, in quâ erat, cæpit obſcurare Solem, ex parte Solis orientali, tendens in occidentem, vt ex S. Dionyſio egregiè notauit S. Thom. 3. p. quæſt. 44. art. 2. qui eſt omnino videndus; ſimiliter Luna in eclypſi finali Solari incipiet Solem in ſua parte Orientali contegere; Et quoniam Luna generalem Eclypſim Solis efficere nequit, vt ſupra demonſtrauimus, Luna obſcurabit eam Solis partem, quam poterit, & reliquum caliginis conficient maculæ, ideſt ſubſtantia ætherea ab Angelis condenſata, vt explicauimus.

Tandem dixi in altera quoque orbis terrarum parte ſcilicet in America, & nouo orbe, & prorſus apud Antipodas luminaria obſcuranda eſſe, propter rationē allatam, quamuis id factum non fuerit in morte Domini, quia de ipſius doctrina, miraculis, & nece nulla tunc extabat notitia apud illas gentes, magna autem erat cognitio, & fama in noſtro orbe; Vnde ſuperflua fuiſſet nouo illi orbi talis obtenebratio, quæ rudes illas gentes de tanto myſterio ipſis penitus ignoto non potuiſſet erudire.

Videbor fortaſſe Lectoribus à congruo ſuſceptæ Tractationis argumētò deuium curſum egiſſe, de cæleſtibus tenebris, quę Chriſtum in patibulo ſuſpēſum circumierunt, prolixiori vſus ſermone; At cum ſupremæ Mundi Eclypſis ratio cum Solari defectu, qui Domini mortem pullato prodidit amictu, adamuſſim eſſet comparanda, hæc appoſitè, nec ſine Lectorum vtilitate, cenſui ſubnectenda; vnde huiuſmodi tenebrarum prodigio, prodigioſæ ante Iudicij diem, caligines lucidius illuſtrarentur. Hac igitur expleta Tractatione, me confero ad diſcutienda reliqua ſacræ paginæ, de Siderum caſu vaticinia, ita à D. Matthæo prolata: *Et Stellæ cadent de Cælo.*

Iuxta diuerſam horum verborum interpretationē diſtincta à nobis conficientur Quæſita, in quibus ſingulæ expoſitiones adamuſſim expendemus. Et omiſſis interpretationibus myſticis, & allegoricis, quæ noſtro nihil fauent argumēto, aggredimur primam interpretationem illorum, qui putarunt, Stellas infixas cælo, atq; adeo ipſius cæli partes cōtinuas verè, & realiter cadere poſſe de cælo in terram; quæ primum fuit interpretatio Origenis Tract. 30. In Matth. vbi Platonizans ait, Stellas lumen ſuum amiſſuras, & quod in eis terreſtre erat, caſurum in terram, quod ex Platonis doctrina in Timæum deſumpta eſt, ex quatuor elementis cælos, & aſtra conſtante. Hanc opinionem ſecutus eſt Antonius Zara Epiſcopus Petinen. ſect. 4. lib. 12. putans per motum localē ſidera, cęloſq; ad ima membratim caſuros eſſe, igne conflagrationis in ipſos diuinitus agēte, eoſq; annihilante, & putat omnes cælos, Empyreo excepto, totumq; hunc ſublunarem orbem, reſeruato Inferno eſſe igni tradendum & annihilandū, & alterum per nouum Cælum alterum per nouam Terram intelligit; Nō recedit ab hac ſentētia Maldonatus comment. in cap. 24. Matth. & adducit pro ſua ſententia Chryſoſt. & Eutymium his verbis, Itaq; Chryſoſtomo, & Eutymio libenter aſſentior, qui verè Stellas caſuras putant, magis enim Chriſto id affirmanti, quam Ariſtoteli neganti fieri poſſe credendum eſſe arbitror.

Afferuntur & examinantur interpretationes aliquorum de Siderum caſu in terram.


Secunda interpretatio eſt eorum, qui putant verè Stellas non eſſe caſuras, ſed obſcurandas eſſe, vel à Chriſti aduenientis ſplendore, vt putarunt Hieronymus, & Beda, vel eſſe obſcurādas à vaporibus, & denſiſſimis nubibus qualis eſt ſententia Riberæ ſuper cap. 6. Apocalypſis, & antea fuit expoſitio Rabani in Manum explicantis illa verba: Stellæ erunt decidentes, ideſt ſuo lumine carentes. Probant id per coniunctionem, quam habent hæc verba cum antecedentibus. Sol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuū, & Stellæ cadent de cælo; Ita vt ſenſus ſit, & Stellæ obſcurabuntur, quia metaphoricè caſus Stellarū eſt ipſarū obſcuratio.

Tertia expoſitio eſt, Stellas eſſe caſuras à Cælo, quia poſt Iudicium nulla erit nox (in qua luceant) & hunc ſenſum attribuit Barradas Chryſoſtomo to. 3. lib. 9. cap. 10. quia Stellarum poſt Iudicium nullus erit vſus, quia nulla erit nox, in qua luceant. Adducit hic Author pro confirmatione huius ſententiæ verba Iſ. 34. iuxta verſionem ſeptuaginta: Tabeſcent

omnes

omnes virtutes cælorum, & complicabitur Cælum, sicut liber, & omnes Stellæ cadent, sicut folia ex vite, & sicut cadent folia de ficu, quibus cōsonat sermo Apocalyps. 6. Stellæ de cælo ceciderunt super terrā, sicut ficus emittit grossos suos, cū à vento magno mouetur, & adducit testimonium Chrysost. tom. 5. homil. ad Neophytos: Quid, inquit, sibi vult, sicut cadunt folia de vite, cadent Stellæ de cælo? Sicut enim vites, cū vuarum fructibus prægrauantur, foliorum exposcunt auxilium, necessarium, vt protegantur, cum autem deposuerint fructum necesse est, vt folijs nudentur; Sic se habet hoc seculū, quamdiu habuerit in se humanum genus, tenebit & cælum Stellas, sicut & vitis folia; nam, nocte pereunte, sine dubio Stellarū vtilitas simul cum nocte deficiet; Ideo ex his concludit Barradas, quod non cadent astra, sed cadet astrorum lux quia non fulgebit.

Quarta interpretatio est, quod nomine Stellarum intelligātur exhalationes Stellarum formam referentes, quas tunc temporis è cælo in terram Angeli eiaculabūtur, vt Stellæ ipsæ mere videantur, & quia sæpius in scriptura sacra cæli nomine intelligitur aer, idcirco de cælo cadere dicuntur, quam interpretationem secutus est Barradas loco citato, & Perer. disp. 33. in cap. 6. Apocalyps. cuius verba placet referre: Dictum igitur Domini, inquit, verè licet intelligere, commodoq; interpretari de Stellis in suprema aeris regione generatis, & quantum ad lumen, & quantum ad figuram non paruam cælestium, verarumq; similitudinem habentibus, istiusmodi verò Stellæ sub finem Mundi multò plures erunt, multòq; maiores, quam antea vnquam fuerant, & insolita, & prodigiosa multitudine, & specie, ac motu, & magnitudine, casuq; in terram, ingenti admiratione, simulque pauore, ac terrore mortalium oculos, & animos implebunt. Istæ porrò Stellæ dicuntur casuræ tunc de cælo, tum quia veris tunc Stellis in cælo non lucentibus, videbuntur hominibus de cælo propriè dicto extinctis carū luminibus cecidisse, tum quia cadent de suprema regione aeris, cui nomen cæli in sacris litteris sæpè tribuitur. Hæc Pererius. Cui sententiæ adhæret Tostatus quæst. 63. in cap. 24. Matt. his verbis. *Quæ sint Stellæ casuræ de cælo in fine Mundi.* Est ergo dicendum, quod Stellæ cadent, idest Stellæ comatæ, vocamus enim cometas comatas Stellas, & vulgus eas absolutæ Stellas vocat; Christus autem sequitur modum loquendi vulgarium in pluribus, ideò Stellas vocauit eas, quæ non sunt Stellæ, sed cometæ, & de illis verum est, quod cadent de cælo, idest de aere, quem vulgus, & Scriptura sacra cælum vocat. Et infrà idem Tostatus hæc habet: Verissimilius est quod circa diem Iudicij cadent multæ de his exhalationibus ignitis, quales, & in quanto numero numquam ante ceciderant, vt non putetur naturaliter hoc euenire, sed ex voluntate Dei ad aliquid magnum significandum.





DISPVTATIO ASTROLOGICA.

CAPVT PRIMVM.

Affertur sententia Origenis, quod Astra sint Signa, & non Causæ; Stellæ non sunt Signa rerum per accidens, neque actionum liberi arbitrij, neq; Diuinæ operationis, si naturaliter considerentur; sed sunt tantum Signa rerum naturalium; Ideò non possunt esse Signa Occasus Mundi.



Vamuis Origenes Adamantius Platonicę doctrinæ alumnus multis imbutus fuerit erroribus, vt ostendunt Basilius lib. de Spiritu Sancto ca.30.& Epiphanius lib.de hæresibus; Tamen omnem actiuitatem syderibus occultam negasse, & Stellas non causas effectrices rerum mirabilium, sed potius fuisse signa existimasse. attestatur Eusebius lib.6. de Pręparat. Euang.cap.9. Inter cętera autem verba, quibus sententia astruitur Origenis, sunt hęc relata ab eodem Eusebio.

Origenis sententia. Nam quemadmodum potestas humana minimè tollitur, quamuis Deus quæcumq; facturi sumus præuideat, sic etiam signa, quæ ad significandum diuinitus ordinata sunt, libertati nostræ nequaquam officiunt, sed est vniuersum Cælum quasi liber apertus, omnia futura in se conscripta continens; Et paulò infra. Verùm cum multæ præuidendi vię ab hominibus excogitatæ sint, vt augurium, auspicium, somniorū interpretatio, nescio cur alias omnes vias significare tantum: Genethlealogiam verò efficere putarunt. Hæc Origenes, ex quibus colligitur, ipsū existimasse Stellas esse signa, non causas, maximè cum Origenes redarguat veterum errorem putantiū Stellas in nostras actiones necessitatem inducere. Eidem sententiæ adhæserunt Porphyrius, teste Eusebio, eodem lib. cap. 4. Plotinus lib. Vtrum Stellæ aliquid agant cap. 2. & 7. & Ficinus in Comment. eiusdem lib. vbi causam referens, cur cælestia corpora valeant futura significare, ait: Quoniam cælestes animæ in se descriptam habent rerum futurarum seriem, quam nobis quandoque Stellarum, veluti oculorum nutibus aperiunt.

Redarguitur ex parte hæc sententia à D. Thoma in 2. 2. quæst. 95. Art. 5. vbi docet sydera non esse signa, nisi rerum, quæ naturaliter, & ex causis naturalibus procedunt, vt sunt Eclypses, Siccitates, Imbres, & alia id genus, quæ Astrologi ex corporum cęlestium inspectione pręcognoscunt. Verum contingentium duplicis generis neutiquam Astra possunt esse signa; Nimirum rerum, quæ per accidens fiunt, & actionum à libera homi- *D. Thomæ sententia.*

num

num voluntate emanantium. Non Entiū per accidens, quia non habent causam propriam, & determinatam in natura, ex Arist. 6. Metaph. Textu 4. Siquidem quod fodiēte homine terram, inueniatur Thesaurus, nulla determinata causa potest assignari. Ideo huiusmodi euentum nulla hauriri potest, ex Syderum inspectione noritia; Neque minus Astra prænotare queunt liberi arbitrij operationes; Nam vel huiusmodi signa semper vera, & nūquam fallacia esse debent, vel non; Si hoc admittatur, nōn erunt verè, & propriè signa, sed deceptiones inanes, non spectandæ, sed detestandæ. Si autem semper vera debent esse, ergo necessariò homo operabitur illud, quod indicabitur à Stellis; Quod prorsus est impium asserere.

Altera ratio.

Præterea cum signum sit alicuius causæ operantis signum, si astra essent signa futurarum operationum prodeuntium à libero hominum arbitrio, vtique præsignificarent etiam causam immediatè, & directè agentem in humanam voluntatē, qualis est solus Deus; Quare ne falsa ea signa apparerent, vel Deus impotens, aut fallax, aut ignarus humanarum operationum æstimetur, planè sequitur, necessariò euentura ea, quæ ab humanis arbitrijs dependent, & à Stellis prænotantur. Accedit, quod si Stellæ indicarent causalitatem diuinam, vel alterius superioris causæ in actiones humanas liberas, Deus flagitiorum Author, vel Angelus criminum perpetrator, statuatur, necesse est; Nam si ex Astrologica vanitate Mars, & Venus in signo fœminino coniuncti concubitus adulterinos, in masculino verò nefandos coitus significant; Si Mars in nona domo indicat viros irreligiosos, & si alij planetarum positus, furta, homicidia, aliaque scelera præmonstrant, tamquam signa superiorum Causarū, dubio procul huiusmodi crimina in causas superiores erunt referenda, quod quam iniquum sit, neminem latet.

Cardani opinio.

Hinc Cardanus animaduertens fortasse hæc absurda comment. in cap. 4. lib. 3. Apotelesmatum aiebat, Astra significare, vt Causæ, & non vt Signa. Quamobrem nulla ratione eadem astra constitui possunt naturaliter signa Mundi interitus. Dixi esse non posse signa naturalia, ad excludenda ea signa, quæ diuina virtute, & Angelorum ministerio apparebunt in Sole, Luna, & Stellis, iuxta illa, quæ à Seruatore nostro Iesu Christo prænunciata fuere Lucæ cap. 21. Erunt signa in Sole, Luna, & Stellis; Siquidem illa erunt signa supernaturalia à diuina potestate producta, vt timor incutiatur hominibus Iudicem expectantibus; quemadmodum suo loco fusè disputabimus. Et sanè cum signa naturalia non possint præsignificare, nisi ea, quæ à Naturæ prodeunt viribus, & Mundi finis, & destructio inferioris naturæ, à natura ipsa reluctante produci nequeat, neque etiam sydera poterunt esse naturaliter signa causæ naturalis Mundum euertētis. Euersio quippe à solo Deo, causa supernaturali potentissima, dependet.

Astra in fine mundi signa super naturalia.

Obiecti solutio.

Non suffragantur sententiæ, quam retulimus, dicta Moysis cap. 1. Genes. ita verba Dei Creatoris referentis; Fiant luminaria in Firmamento, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos. Etenim appellantur signa; non prognostica Astrologiæ iudiciariæ de Rebus humanis, sed sint in signa, scilicet prognostica pluuiæ, serenitatis, gelu, ventorum, & similium, quemadmodum eleganter edisserit D. Basilius homil. 6. Hexameron. Luna, inquit, si tertio die à Nouilunio tenuis sit, puroque nitore fulgeat, serenitatem constantem pronunciat; sin crassa cornibus, subrubicundaque cernatur, vel impetuosam, & immodicā è nubibus aquam, aut horrendam Austri cōcitationem minatur. Hæc Basilius. Et ratio est, quia ex vaporibus, & Halitibus regionem aeris minus, vel magis copiosè occupantibus, Lunæ lumen purius, vel impurius apparet, ex qua luminis diuersitate nunc serenitas, nunc imber prædicitur: Atque dicuntur signa ex Theodoreto Quæst. 15. in Genes. quibus cognoscuntur tempora serendi, putandi, ligna cædendi. Id confirmat D. Chrysostomus homil. 7. in cap. 1. Genes. vbi hæc habet: Quid est in signa, & tempora, & in dies, & in Annos? Docere nos vult Diuina scriptura, quod horum cursus scientiam nobis concedit temporum, & vicissitudinis versionum, numerum dierum, Anni curriculum; Et ex his possumus dignoscere omnia. Etenim Gubernator ad horum cursum spe-

ctans,

ctans, & in Cælum videns, diligenterque discens omnia, nauigare incipit, maria transit, & in densissima nocte visa Stella, nauim dirigere, & sua arte salutem nauigantibus dare solet; Sic & Agricola ex illis discit, & videt, quando falcem acuat, vt fœnum desecet, & in summa nō paucas vitæ huius commoditates, temporum scientia, dierum numerus, & anni circulus afferunt. Hactenus Chrysostomus.

Alter modus, quo astra sunt in signa. Addit sacer textus Moysis; In signa, & tempora, & dies, & annos, nempè in signa annorum, & dierum, Annus quippè describitur vno Solis per obliquum circulum cursu, duodecim verò lunationibus, Luna enim dum Zodiacum duodecies percurrit, annum complet. Atque etiam per tempora intelliguntur Ver, Aestas, Hyems, & Autumnus, vel tempora sicca, calida, humida, procellosa, salubria, & insalubria, quæ ab accessu, & recessu Luminarium, à diuersitate luminis, & motus ipsorum dependent. Itaque verba opificis Dei indicant solum, Luminaria esse signa demōstrantia effectus naturales, à causis naturalibus producendis, neque indicantur esse signa, vel humanarum operationum à voluntate prodeuntium, vel actionum Causæ supremæ Diuinæ; Multò minus poterunt esse signa naturæ dissoluendæ à Causa superiori, quæ omnes naturales vires infinito antecellit interuallo.

Authoris expositio. Placeat tamen peculiari consideratione verba Creatoris expendere, itaut ipsorum sensus sit. Fiant Luminaria in firmamento Cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, idest sint signa dierum, & noctium. Sol sit signum diei artificialis, eo tempore, quo supra Hemisphæricum fulgebit; Noctis signum sit Luna, quando & ipsa super finitorem coruscabit; Cum enim signi duplex sit munus, significare, & distinguere, ex D. Bonauentura lib. 2. sent. distinct. 14. In Solut. dubit. 4. vtraque significatione signi, acceptio à Creatore Deo vsurpatur; Et Tempora, & Dies, & Annos, supple, diuidant, cum à Luminarium cursu, & tempora, & dies, & Anni statuantur, annum scilicet suum peragit, & conficit Luna diebus 355. maximè ab Hæbreis obseruatum. Quo circa ex verbis opificis Dei apparet, luminaria non esse signa, nisi effectuum naturalium, & nullam aliam causalitatem, præter motum, Lunam habere, ad excludendas arcanas virtutes, & occultos influxus ab humana mente incassum excogitatos. Cum igitur ex dictis pateat, sydera rerum humanarum ab hominibus dependentium, neq; minus diuinarum, signa esse non posse, inquirendum est, an, & quomodo possint esse Causæ.

CAPVT SECVNDVM.

Testimonio Platonis, Chalcidij, Plotini, Aristotelis, Auerrois, Mercurij Trismegisti, Procli ostenditur Cælos nō esse causas alicuius mali, neque naturalis, neque moralis; Refelluntur Astrologi, & Auicenna pestem, & bella Cælo attribuentes; Præsertim authoritate D. August. à syderibus bella non oriri demonstratur; Et statuitur ab ipsis Stellis Mundi excidium pendere non posse.

Cælestia corpora nō esse causas mal. Occasus Mundi naturaliter spectatus est malus, ac perniciosus; Ideò cū à nobis primò demonstrandum sit, cælestia corpora non esse causas alicuius mali, siue damni naturalis, constabit postea, neq; posse esse causas excidij mundani. Occurrit primo loco testimonium Platonis in Epinomide, vbi Astrorum cōstituit naturam visu pulcherrimā, progressu, choreaq; insignem, animalibus cunctis commoda præbētem, cuius verba sunt hæc.

Astra Platonis diuina animalia. Alterum animaliū genus statuendum, quod etiam & gignitur, & cerni potest, & Ignis quidem plurimum, Terræ quoque, & Aeris, cæterorumque omnium paruas particulas habens, variaq; omninò hinc animalia, & visibilia generari dicendum. Hæc cælestia existimamus animalia esse Diuinum Astrorum genus, corpore qui-

dem pulcherrimo, Anima autem tum beatissima, tum optima constitutum. His vtiq; animalibus è duabus sortibus, alteram tribuendam putamus; Nam aut absq; pernicie immortalia, atque Diuina necessariò singula sunt, aut vitam longæuam agunt, singulis adeò sufficientem, vt longiore non egeant. Hæc Plato; In quibus verbis expendo illa verba (absque pernicie immortalia) quæ indicant non solum ipsamet corpora cælestia omni pernicie in se ipsis carere, sed nec etiā inferioribus aliquā impertiri perniciem. Si enim talia sunt in se ipsis, omnis expertia damni, & corruptionis, quomodo detrimenta inferioribus communicabūt? Subsequitur idem Plato, hanc esse astrorum naturam, vt cūctis animalibus commoda præbeant, nempè generandi vim, alimentorum opem, quæ omnia benefico, & vitali calore Astra elargiuntur.

Astra benefica non perniciosa.

Præterea idem Plato in eodem dialogo, Solis, & Lunæ, & cæterorum Planetarum, & Stellarum potestatem, atque naturam considerans, Stellas omnes sorores appellat, & nefas ducit dicere, syderum alia legitima esse, alia illegitima, hoc est mala. Quare si omnia sydera, ex Platone, sunt legitima, & bona, quomodo immittent in hæc inferiora mala, & damna vi sua planè benefica, & salutari?

Stellæ omnes sorores.

Chalcidius in Timæum interpretans ea, quæ in Epinomide tradita fuerunt, scilicet à Stellis nullum deriuari malum, nullas maleficas ipsis in esse qualitates, ità luculenter testatum reliquit, Aut omnes Stellę diuinæ sunt, & bonæ; nec quicquam faciunt mali, aut quædam maleficæ, sed maleficas esse in illo sancto, & pleno bonitatis loco, quatenus cōuenit? cumque omnia Sidera plena sint cælestis sapientiæ, malitiām porrò sciamus ex dementia nasci, quatenus conuenit, maleficas esse stellas, dicere? Nisi fortè id, quod fas non est, interdum easdem bonas, interdum malignas esse existimādum, propterea; promiscuè beneficia, & maleficia præbere; sed hoc absurdum est putare, cælestem substantiam vna, eademque natura præditam non in omnibus stellis eamdem esse, sed plerasque tamquam à propria degenerare natura. Hactenus Chalcidius, qui testatur, omnes stellas ex æquo diuinas esse, & bonitate præstare, neq; maleficas vllas esse in pleno illo bonitatis loco, nimirum Cælo. Quonam igitur pacto maleficij intimulare eas aliquis audebit?

Chalcidij argumentum.

Plotinus summus Platonicæ doctrinæ interpres eo libro, quo inquirit, Num Astra aliquid agant, firmissimis demonstrat rationibus ab Astris mala in hæc inferiora delabi non posse, vt videre est in 1. 2. 3. 5. 6. sed præsertim 1 1. & 1 3. cap. illius libri, quæ Marsilius Ficinus, & Platonis, & Plotini accuratissimus interpres, non minus doctè, quam copiosè explicauit.

Plotini auctoritas.

Aristoteles verò lib. 9. Metaph. cap. 10. docuit in his, quæ sempiterna, atq; æthérea sunt, neq; malum, neq; errorem, aut corruptionem inueniri; Quæ verba exponens Auerrões comment. 9. in illum text. Sic edisserit, Manifestum est, quod in rebus, quæ non sunt post potentiam, & sunt illa, quæ sunt æterna, sed eorum essentia est principium in his, neq; malum est omninò, neq; error, neque corruptio; Corruptio enim est ex rebus malis. Et ex hoc cognoscitur impossibile id esse scire, quod Astronomi docent, stellas quasdam fortunatas esse, alias infortunatas. Idem alibi confirmat, asserens aliena credere ab omni Philosophia, qui crediderit Martem, aut Sydus aliud, quoquomodo dispositum, corporibus nocere.

Aristot. ab Auerroe expositus.

Idem Auerroes lib. 3. de Cælo, text. & Comment. 25. docuit, malum in eorum albo non esse, quę ordinata sunt; Omne autem diuinum, antiquum, & ordinatum appellat, qualia sunt corpora cælestia. Non igitur, infert ipse, in diuinis malum erit, sed in natura mortalium, neq; ab illis diuinis corporibus aliquid manare mali consentaneum est. Idem Auerroes 1. de Cælo Comment. 24. testatur, corpora cęlestia conseruare Elementa, & continere ipsa, & vniuersaliter esse eis, quasi formā. Quare cū id, quod conseruat, & continet, & est veluti forma, destruere nequeant, planum fit, corpora cælestia nullum in hac inferiori materia malum producere posse.

Alia Auerrois ratio ex Arist.

In quod pronunciatum conspirarunt præclarissimi sapientes; In primis Mercurius Trismegistus in Asclepio. Quicquid de alto descendit generans est, inquit ipse; Quare si generat, quod è Cælo ad nos labitur, quomodo corrumpere poterit,

&de-

Praedictiones. & demoliri? Adstipulatur Proclus lib. de Anima, & Dæmone, inquiens. Superi harmonica ratione mundana omnia continent, atque perficiunt, & inuicem accommodant, & ad Mundum. Itaq; si harmonico concentu, atque motu cælesti, superna corpora, mundana hæc inferiora continent, accommodant, perficiunt; Qua ratione destruere, incommodare, perdere prauis poterunt qualitatibus?

Conclusio contra Astrologos. Quamobrem impium est maximèque Cælo iniuriosum, indignissima quæque accepta Stellis referre, clades, pestes, bella, alluuiones, vno verbo Mundi excidiũ, contra Ptolomæum, Alcabitium, & cæteros Astronomos, immò contra Auicennam Fen. 1. Tract. 4. cap. 1. magnis Planetarum Coniunctionibus, & Complexionibus pestilentis febris causas attribuentem; Quemadmodum enim pestem, & contagionem concedendum est cum Galeno lib. 1. de differẽtijs febriũ cap. 4. à tetris spirationibus aeri circumfusis, & ab impuris terræ locis manantibus produci; Sic certè à Cælo huiusmodi mala defluere, nullo pacto est admittendum; Neque vllam esse syderum positionem, & congressum, qui pestem immittere in inferiora possit. Ita enim maligna, & malefica essent corpora cælestia à sua natura prorsus degenerantia, vtpotè quæ ad summi boni exemplar sunt diuino artificio constructa, atq; à tali bonitate, vti à propria pulchritudine, aspectu, lumine, & motu, totque dotibus insignibus discedere nequeunt. Mala igitur, quæ in hunc locum, quem nos mortales colimus, delabuntur, vt bella, pestes, & id genus alia, summi Dei arcana voluntate, atq; imperscrutabili consilio eueniunt, & à diuina immittuntur iustitia ad puniẽda hominum scelera, & à corruptela morum homines reuocandos ad Deum. Quare cum à Syderibus neque contagium, neq; bellum, neque aliquod inferatur malum, dubio procul neque ab ipsis Mundi vniuersale incendium, & excidium omnium malorum perniciosissimum proficiscetur.

Augustini sententia. In hanc sententiam aurea protulit D. August. lib. 5. de Ciuit. Dei cap. 1. hæc verba. Illi verò, qui positionem Stellarum, quodãmodo decernentium, qualis quisq; sit, & quid ei proueniat boni, quidue mali accidat ex Dei voluntate suspendunt, si easdem Stellas putant habere hãc potestatem traditam sibi à summa illius potestate, vt volentis ista decernant, magnam Cælo faciunt iniuriam, in cuius veluti clarissimo senatu, ac splendidissima curia opinantur scelera facienda decerni, qualia si aliqua terrena Ciuitas decreuisset genere humano decernente, fuerat euertenda. Et quod attinet ad bella, audiendus est August. 5. de Ciuit. Dei cap. 22. vbi refert varia bella, quæ modo citiùs, modo tardiùs absoluta fuerunt, & ait loquẽs de Deo. Sic etiam tempora ipsa bellorum, sicut in eius arbitrio est, iustoque iudicio, & misericordia, vel atterere, vel consolari genus humanum, vt alia citiùs, alia tardiùs finiantur. Deinde subiungit. Hæc ideò commemoro, quoniam multi præteritarum rerum ignari, quidam etiam dissimulatores suæ scientiæ, si temporibus christianis aliquod bellum paulò diutius trahi vident, illicò in nostram Religionem proteruissimè insiliunt exclamantes, quod si illa non esset, & veteri ritu Numina colerentur, iam Romana illa virtute, quæ adiuuante Marte, & Bellona, tanta celeriter bella confecit, id quoque celerrimè finiretur. Recolant igitur, qui legerunt quam diuturna bella, quam varijs euentibus, quam luctuosis cladibus à veteribus sint gesta Romanis, sicut solet orbis terrarum veluti procellosissimum pelagus varia talium malorum tempestate iactari. Hucusque D. August.

Propterea ridiculum est asserere, quod Marte excitante bilem, insurgant inter Principes bella; Nam esto Martis Stellam bilem commouere; Certè per pharmacum Rheobarbari poterit tota illa Regio, in qua bellũ æstuat, purgari, & Principes digladiantes per talem, vel similẽ purgationem pacis fœdere componerentur; Quare bella ex alijs proficiscuntur causis, quã à cælestibus corporibus. Quis .n. sapiens vnquam affirmabit diuturna bella tot annos inter Hispaniarũ Regem, & Batauos sequentia à Marte primordia duxisse, & ab eodem progressus, & incrementa suscipere? Legantur eruditissima monumenta Eminentissimi Cardinalis Bẽtiuoli Italico eloquio mirificè exarata, & intelligentur non fictæ, & Astrologicæ, sed veræ, & Politicæ Belgici Martis causæ, & progressus. *Bella non à Marte procedere.*

Astra non inclinare ad mala moralia.

Verùm si cœlestes orbes suis qualitatibus ad mala physica, vti sunt alluuiones, incendia, bella, pestes non inclinaut, multò minus inclinabunt homines ad mala moralia, quæ ab ipsorum proficiscuntur voluntate, qualia sunt deprauatæ passiones, & vitia. Pro qua veritate confirmãda, hæc validissima, ni fallor, astruitur Ratio à Io. Francisco Pico lib. 5. de rerum prænotione cap. 9. Theologorum sententia est primum hominem nullam ad malũ inclinationem ante peccatum habuisse; Creatus enim fuit iustitia originali, & perfectissima ornatus innocentia; Quare post peccatum secuta est rebellio sensus ad rationem, quia scilicet ratio ipsi Dèo rebellauit; Et quo ortus est ille fomes, seu inclinatio ad malum, qua omnis ætas ab adolescentia ad malũ dicitur prona. Hoc posito; Percunctemur ab Astrologis, An Cælũ in suo primo ortu, seu creatione inclinaret hominem ad malum. Si affirmẽt, fateantur etiam necesse est, quod si homo in innocentia perstitisset, vana prorsus, & inanis Cæli fuisset inclinatio. Quoniam defluxus ille maleficus ad malum tendẽs, morale frustratus fuisset suo fine in homine iustitia originali exculto, nullamq; ad malum propensionem habente. Itaque supposita perseuerãtia hominis in gratia, malefici defluxus Stellarũ inanes fuissent; Neq; dicendum est, Deum indidisse potestatem Cęlo, quam numquam exercere potuisset. Si verò asserant, syderibus post Adæ culpam, maleficas fuisse tributas à Deo qualitates, quibus ad passiones, & vitia homines inclinentur, non inficias ibunt, mutationem aliquam post Cæli creationem in ipsomet Cælo factam fuisse propter additamentum noxarum qualitatum, quas antea Cælum in sua creatione tamquam superuacaneas nõ habebat. Cęterum inconueniens, & absurdissimum est, nouam mutationem, nouasque qualitates præsertim malas in cælestibus corporibus concedere, cum Dei opus sit potius perficere, quam maleficio res infecere creatas. Igitur cum Sydera neque ad mala physica, neque ad moralia concurrant; Ad finem autem Mundi vtrumque malum conspirare debeat, scilicet malum morale, quia fine Mundi appropinquante, homines in deteriora vitia labẽtur, & flagitiosissima crimina perpetrabunt; Nec non physicum malum propter pestes, bella, terræmotus, occisiones, quæ antecedere debent diem Iudicij, vt Sanctorum Patrum, & ipsius sacræ Scripturæ testantur eloquia; Et tãdem sequi debeat incendium, & excidium Mundi, planè sequitur, sydera excidij mundani nullatenus causas esse posse.

Astra ad mũdi exercidum non conspirare.

CAPVT TERTIVM.

Examinantur sententia Ptolomæi, & Cardani de qualitatibus Planetarum; Quos non specie, sed numero tantum inter se differre ostenditur, ipsosque simul cum Stellis fixis nonnihil propria luce lucere, principaliter autem lumine Solis, Lunamque solum mutuato lumine emicare, solutis difficultatibus circa alios Planetas. Lucem solam esse qualitatem calefacientem, demonstratur, Lunamque non per se, sed per accidens refrigerare. Maleficæ qualitates à Planetis reijciuntur; Et tandem concluditur, qualitates Planetarum Mundi excidium parare non posse.

Ptolomæi de Planetarum effectibus sententia.

PTolomæus Astrologorum Antesignanus lib. 1. de Iudicijs cap. 3. Elementorum qualitates Planetis attribuit, duplici spectata ratione, nimirum prout Soli appropinquantur, & prout è Terra hauriunt vapores; Propterea statuit Saturnum valdè frigefacere, quia à Solis calore longissimè distat, parum autem exsiccare, quia plurimum ab humido Terræ abest. Iuppiter calefacit mediocriter, quia medius est inter Saturnum, & Martem, & ob conuenientem à Sole distantiam, validos Solis radios mediocriter recipit; Humectat verò nõ-

nihil,

nihil, quia longè à Terra abest, & suo plurimo lumine moderatè attrahit vapores; Martis est exsiccare, arefacere, & calefaciendo vrere, quia Soli vicinior est, & densiore, seu crassiore constat substantia, vt eius indicat rubedo. Solis natura est potenter calefacere, & moderati exsiccare, vtpotè qui vehementi præditus est calore. Veneris est temperatè calefacere, & minus quidem quam Iupiter; Quoniam ita Soli propinqua est, vt ex eodem Ptolomæo, per sexaginta tantum gradus distet ab eo, licet verius asserant recentiores Astronomi distare per quadraginta octo gradus. Ideò vti vicina Soli calefacit, vti verò propinqua Terræ magnam humidarum exhalationum copiam attrahendo humectat. Mercurij tandem partes sunt, indifferenter se habere, nempè modò exsiccare, modò humectare. Etenim Soli vicinus, à quo non distat, nisi per viginti octo gradus, exsiccat. Lunæ verò assistens humectat, & subitarum mutationum dicitur causa, quoniam situm, & motum variè, & velociter mutat. Hæc de qualitatibus Planetarum, iuxta Ptolomæi doctrinam.

Cardanus Ptolomæo repugnans. Cardanus autem lib. de septem Erraticis Stellis, putans omnia Astra esse calida, & humida, negat ipse aduersus Ptolomæum, Saturnum esse frigidum, & siccum, sed calidum, & humidum constituit; Ideò arbitratur, ipsum naturæ plantarum conuenire, & benè dispositum iuuare ad sationem, atque incisionem arborum; Quod si esset frigidus, & siccus, illis potius obesset, cum omnis vita in calido, & humido consistat. Confirmatur sententia Cardani ex eo, quòd Saturnus totos quindecim Annos consummit, versus Cancrum progrediēdo, totidemque reuertendo ad Capricornum; Quare si esset frigidus, oporteret, vt quindecim Anni essent frigidiores, illi scilicet, quibus Saturnus ad nos accedit, & quindecim Anni calidiores, illi nimirum, quibus à nobis recedit. At quis vnquam in Annis tam longam notauit diuersitatem?

Solis oriētis ex occidentis effectus varij. Præterea obseruat Cardanus, Solem, quem putat esse calidum, & humidum, cum Oriens est, humectare radijs rectis, quorum proprium est humectare, & gignere, quando verò Occidens est exsiccare, quoniam irradiat lumine reflexo. Hinc infert Cardanus, cæteros omnes Planetas humectare, quando sunt Orientales, exsiccare verò, dum sunt Occidentales. Quare doctrina Cardani valde differt à tradita doctrina Ptolomæi, cum ex Cardano omnes Planetæ sint calidi, & humidi, quamuis maiorem calefaciendi vehementiam adscribat Marti, de quo ait, quod si ipse steterit, aut retrocedat in Cancro, & latitudinem habeat Borealem, calorem indicat vehementem, qualem etiam præsefert, si in Leone fuerit sub radijs Solis; Imò asserit Albumasar, quod cum Mars fuerit in Cancro retrogradus, significat non solum vehementiam caloris, sed corruptionem aeris, & flatus ventorum venenosorum; Et cum Ptolomæus qualitates Planetarū, vt prænotauimus, ex parte deducat à Sole, itaut Sol propter maiorem, vel minorem distantiam à Planetis, ipsos magis, vel minus afficere, & corroborare videatur; Cardanus è contra putat, quod cum Planetæ Soli iunguntur, vim propriam amittant. Quare si Mars iungatur Soli, tātum abest, vt augeatur ab ipso furor Martis, quod potius imminuitur, & hebetatur. Ratio est, quia sua maxima potestate vires cæterorum Planetarum exhaurit. Et tandem idem Cardanus de Luna affert illud, quod non solū Ptolomæo, sed cæteris Astronomis aduersatur, videlicet ipsam esse calidam, & humidam, cum frigida, & humida communiter æstimetur. Quamobrem ex dictis patet, quam sit varia, & inconstans constitutio qualitatum Planetarum.

Planetæ benefici, & malefici. Ex qualitatibus à Ptolomæo Planetis attributis, alij amici, & benefici, alij exitiales, & malefici appellantur. Iuppiter, & Venus, quia ex ipsius sententia, temperatè calefaciunt, & humectant, benefici dicuntur; Et quoniam in Ioue calor humido dominatur, dicitur Fortuna maior, & Venus ob similem caloris, & humidi copiam Fortuna minor appellatur. Luna pariter, quamuis ob humidi copiam parum benefica censeatur, tamen, si lumine plena spectetur, benefica æstimatur. Cardanus tamen asserit, Solem maximam omnium Fortunarum esse, neque vllum Planetam magis esse beneficum. Hinc dicebat Haly de Iudicijs Astrorum 1. parte cap. 4. Sol fortunat aspectu, & coniunctione

Sol malus cum bonis, & malis planetis.

ctione corporali detrimentum affert, & infortuniũ. Ideò asserunt Astrologi, quod si Sol Planetis fortunatis iungatur, eosdẽ comburit, & lumine suo impedit, ne beneficia diffundant, eorum scilicet radios occultando, & quasi lucem extinguendo, & obruendo; Si verò maleficis copuletur, noxias ipsorum vires fouet, & intẽdit; Quæ omnia supponunt illud, quod à nobis negatur, scilicet præter lumen in Planetis mutuatum à Sole, adesse alias qualitates, vel bonas, vel malas, quæ tum augeri, tum retundi possunt à Sole.

Hinc alij sunt Planetę, vt dixi, exitiales, & malefici, Saturnus nimirum, & Mars. Ille Infortuna maior, iste minor dicitur, quoniam Saturnus nimium refrigerat, & Mars nimium exsiccat, atque ita principia offendunt vitalia. Quo fit, vt putẽt Astrologi, Saturnum horoscopantem, vitalem non facere Natum, quia tantum caloris ipsi nequit impertiri, quantus ad diuturnas vitæ functiones obeundas requiritur; De Mercurio autem affirmant, ipsum ancipitis esse naturæ, & pro vario positu, nũc malignos, nunc benignos inducere radios; Illius enim ea est natura, vt cuicumque Planetæ suas adiunxerit vires, eum in actionibus suis roboret, adeout cum bonis bonus, & cum malis malus habeatur.

Saturni horoscopãtis effectus.

Quamobrem cum meæ sint partes demonstrare ex qualitatibus Planetarum, nullum Astrologos deducere posse Iudicium de Mundi excidio, ostendenda est primum à nobis falsitas positionis Ptolomæi constituentis in Planetis qualitates potissimum refrigerantes, & humectãtes; Et vt ingenuè fatear, satis deridere nequeo rationem ab ipso allatam; nimirum vapores è Terra exsurgentes inducere qualitatem refrigerandi, vel humectandi in Planetis; Nam id non solum admittit corpora cælestia passibilibus affici qualitatibus, & consequenter esse alterabilia, & passibilia, contra antiquissima Philosophorum decreta, & præsertim Aristotelis, Cælorum substantiam inalterabilem, impassibilem, immortalem vbiq; clamantis, sed etiam Ptolomæi assertio admittit, vapores ad tantam sublimitatem ascendere, vt ad Iouem ipsum parum humectandum possint peruenire; Quod sanè omninò est improbabile; Neque id potest admitti, ex eorum sententia, qui putant in Orbe magno adesse expansionem aeris, siue ætheris, per quod feruntur Planetæ; Nam cum ibi aer, siue illud æther sit purius, & subtilius aere nostrate, in se ipso colluuionem vaporum, & exhalationum recipere nefas est; Quare tametsi his solum consideratis redarguatur euidenter error Ptolomæi de talibus qualitatibus Planetis attributis, & à vaporibus terræ, quoad humectationem Planetarum inductis; Nihilominus placeat ipsum Rationibus ab altiori principio repetitis refellere.

Ptolemæi rationes reijciũtur.

Scio, iucundã esse quæstionem, Vtrum Cælestia corpora specifica, an numerali differentia distinguantur; In qua re explicanda, facienda est comparatio Stellarum fixarum cum suo Orbe, idest Aplane, vel Firmamento, Stellarum errantium cum suis orbibus deferentibus, & comparandi sunt Cæli, vel Orbes deferentes inter se: Non me latet, aliquos putasse, Stellas inerrantes specie inter se differre, quamuis multæ Classes ipsarum sint eiusdem speciei, & solo numero differentes; Ita sentit Molina 1. parte tract. de opinione sex dierum disp. 15. Differre autem easdem Stellas specificè à suo Cælo, in quo sunt fixæ. Cui opinioni non assentior, quia ratio, qua ducuntur isti, deducta est à diuersitate effectuum, quos Stellæ fixæ in Mundo inferiori producunt, quam diuersitatem non admitto, cum in illis nullam aliam approbem qualitatem effectricem, quam lucem, habentem solam facultatem calefaciendi; Neque maior dẽsitas, quæ in Stellis reperitur, quam sit in Cælo, in quo sunt collocatæ, facit distinctionem specificam inter Stellas, & Cælum; Cum maior, vel minor densitas proueniat à multiplicatione maiori, vel minori materiæ, à qua non desumitur specifica differentia, quæ potissimum petenda est à forma. Neque Planetæ comparati cum suis orbibus specificè ab ipsis distinguuntur, quia Astra influunt, & non orbes; Nam præter influxum communem luminis, quod sua natura in omnibus Planetis magis, & minus calefacit, iuxta minorem, vel maiorem ipsorum densitatem, nego dari alias influentias. Ideo si dantur orbes deferentes Planetas, sunt eiusdem substantiæ cum ipsis, & solum differũt propter maiorem, vel mi-

Vtrũ Cælestia corpora sint eiusdẽ speciei.

norem Perspicui densitatem. Idem affirmandum est de Planetis inter se comparatis, scilicet ipsos eiusdem esse speciei; Nam diuersitas magnitudinis in ipsis non valet constituere differentiam specificam, eiusdem enim speciei est gutta aquæ cum ingenti fluuio; Neque id præstat diuersitas motuum, quia eodem modo mouentur motu naturali circulari ab Occidente in Orientem, quamuis ob maiorem, vel minorem magnitudinem, alij citiùs, alij tardiùs circumuoluantur.

Obiectio ex systemate Tychonico resoluitur.

Nec obstat, quod in Systemate Tychonico, quod prorsus admitto, Firmamentum, Sol, & Luna habeant pro Centro Tellurem, Saturnus autem, Iuppiter, Mars, Venus, & Mercurius habeant pro Centro Solem, quia diuersitas Centri nō constituit diuersitatem specificam mobilium, quemadmodum neq; Identitas Cētri identitatem speciei, vt patet in aqua, & terra specificè differentibus, idemq; Centrum habentibus; Quare cum differentia specifica à multis constituta in Planetis, ex eo deducatur, quod diuersas producant operationes, & effectus in hoc inferiori Mundo; Ego, qui tantum vniuersalem causalitatem primum Soli, deinde cæteris Planetis concedo, omnem aliam causalitatem, per occultas qualitates, & influentias reijciens, cogor asserere, tum Astra fixa, tum Planetas eiusdem esse substantiæ, & speciei cum suis orbibus.

Opiniones huic sententiæ aduersantes.

Quæ assertio aduersatur quidem D. Thomæ Quæst. Vnica de spiritualibus creaturis Art. 8. in Corp. & 2. Cæli lect. 10. Achill. lib. 1. de orbibus, & partim Conimb. 2. Cæli cap. 7. Quæst. 1. explicantibus singula Astra eiusdem esse speciei cum suo Epiciclo, & Orbe deferēte, non autem cum alijs Orbibus eiusdem Cæli, contra illud, quod tuetur Auersa Quæst. 33. de Cælest. Corp. Sect. 8. vbi ostendere conatur, Cælos secundum se totos differre specie ab Astris in ipsis Cælis infixis, Cælos autem inter se specie nōn distingui; Et tandem mea assertio aduersatur Hurtado Disput. 1. de Cælo sect. 3. & Ruuio 2. Cæli cap. 5. Quæst. 4. Tamen est conformis Auerroi 2. Cæli Comment. 49. vbi de Stellis inter se determinatè loquens asserit, omnes esse eiusdem speciei. Quod Auerroem docuit Aristoteles, qui 2. Cæli Text. 19. probat, omnes alias Stellas esse sphęricas, quod vna quædam Stella, scilicet Luna sit sphærica; Quæ illatio supponit identitatem specificām in Stellis, alioquin illatio nullius esset momenti. Atque idēm Aristoteles 2. Cęli Text. 41. asserit Rationabilissimum esse vnumquodq; Astrum facere ex hoc corpore, in quo existit, & mox subdit; Rationabile sit vnumquodque constare ijs, in quibus vnumquodque est. Quod sanè indicat, Astra esse eiusdem speciei cum suis orbibus, qui tamquam partes ad Astra veluti ad sua tota referuntur, iuxta dictum Arist. 12. Metaph. Text. 48. Cæli, seu lationes sunt propter Astra, & quamuis Cardanus lib. de 7. erraticis Stellis cap. dē Saturno, asserat, ipsum esse coloris plūbei, & obtusioris luminis quouis alio Planeta, id tamen nō arguit diuersitatem substātiæ, sed potius raritatem ipsius corporis, propter quam lumen Solis adeo tenaciter in ipso nō imprimitur, vt euenit in Marte, qui rubro, & igneo colore suffusus apparet. Atq; Stellæ fixæ sunt eiusdem speciei inter se, & cum Planetis, ex sententia etiam Astrologorum, qui asserunt Stellas fixas redolere naturam Planetarum. Hinc Regulus, seu Basiliscus, qui est cor Leonis, dicitur de natura Iouis, & Martis; Spica Virginis de natura Veneris, & Mercurij, quod sanè confirmat ex Astrologorum placito inerrantia sydera specie non differre ab Erraticis.

Auerrois, & Aristotelis auctoritas.

In omnibus planetis esse lucem eiusdē speciei.

Supposita igitur numerica tantum differentia inter Planetas, assero cum D. Thoma in 2. Distinct. 44. Quæst. 2. Art. 4. in Planetis omnibus eiusdem speciei lucem reperiri; Hęc autem cū sit calida, vt patet in Sole, de cuius calore satis supra disputauimus, planum videtur eamdem lucem in cęteris quoque Planetis calefacere. Ideò falsum erit, quod Saturnus refrigeret; Iupiter, Venus, & Luna humectent.

Respondent aliqui vtique verum esse, lucem, quam recipiunt Planetæ à Sole, calefacere, sed quoniam Planetæ præter lumen à Sole mutuatum, aliam lucem sibi peculiariter inhęrentem habent distinctam à luce Solis, ideo hac propria luce poterunt humectare, vel refrigerare, atque illos producere effectus, qui luci Solis attribui non possunt.

Pro

An astra proprio lumine luceant.

Pro huius dubitationis solutione excutiẽda esset illa Quæstio, Num Astra de suo luceant lumine, vel potius omne lumen à Sole mutuentur; Quam Quæstionem exagitant Conimb. lib. 2. de Cælo Quæst. 4. Art. 1. statuentes tùm Stellas fixas, tùm Planetas lumen à Sole mutuari, itatamen vt aliquid ex se lucis propriæ possideant; Quæ primum fuit sentẽtia Auerrois 2. Cæli Comment. 42. & lib. de Subst. Orbis cap. 2. Alberti lib. 4. de Coæuis Quæst 4. Art. 2. D. Thomæ 2. Cæli Text. 42. Scaligeri exerc. 62. Et sanè neganda non est aliqua portio lucis peculiaris syderibus tum fixis, tum erraticis; Quia cum sint Corpora conspicua, condensata ex sua natura lucent, vt videre est in multis gemmis, & in Catulorum oculis noctu micantibus, & de Tiberio Imperatore memoriæ proditũ est, ipsius oculos per tenebras lumen effudisse, & in tenebris vidisse. Existimo tamen inter cælestes globos Lunam magis densã, & opacam esse, non quidem asperum, rudem, ac inæqualem globum, qualem ipsam representat longo sermone Galileus, sed tersam, atque politam, plusquã sunt metalla, ac gemmæ, omni tamen lumine proprio destitutam, totumque lumen mutuantem à Sole; Quod cum manifestè appareat in omnibus Lunæ ad Solem positis, & configurationibus, euidẽtiùs tamen cernitur in ipsius Lunæ cum Sole coitu, & in lunari Eclypsi. Etenim quando ipsa in coniunctione per sui orbis medietatem respicit Solem, lumenque ab ipso recipit, per aliam medietatem nobis obuersam, obscura est, nihilque luminis ad nos transmittit. Quando verò post coitũ fit corniculata, per Exagonum aspectum cum Sole, videmus in ea parte, quæ non illuminatur à Sole, lucem quamdam albicantem, & subobscuram; Quæ non est lux naturalis, & propria Lunæ, vt aliqui existimarunt, neque est lumen communicatum à terra per reflexionem luminis Solis terram illustrantis, vt Keplerus, & Galileus arbitrati sũt, quia ad tantam sublimitatem, & per tot milliariorum millia lumẽ illud reflexum ascendere non potest, sed illuminatur ea pars Lunę per reflexum lumen à partibus conuicinis, & circumfusis Cæli, seu Ætheris à Sole illuminati; vt inter recentiores subtilis. aduersus Galileum disputauit vir eruditissimus Fortunius Lycetus lib. De Lunis subobscura luce. Quod etiam euenit in Eclypsi lunari, in qua Luna fusco quodam, & rubro lumine, præsertim in extremis sui globi, & superficiei partibus rubescit; Non enim tale lumen à terra ad ipsam diffundi potest, quia ea pars Terræ obuersa Lunæ, & in cuius terræ conicam vmbram Luna incurrens eclipsatur, nullatenus illustratur à Sole; Vnde nec minus potest terra suum lumẽ reflexum Lunæ conferre, sed ipsam illustrant, vt dixi, partes ætheris viciniores à Sole illuminatæ. Ex quibus constat, Lunam corpus magis densum, & opacum, quam cæteros Planetas magisque terræ simile, nullum ex se habere lumen, sed totum à Sole recipere; Atque hinc apparet erratũ Baptistæ Benedicti lib. Epist. Epist. de luce, & lumine, & Tychonis in lib. suarum Epist. scilicet Lunam falcatam debile illud lumen recipere à Venere in altera sui orbis parte; Nam cum Venus sit semper Soli propinqua, respicit Lunæ faciem eo modo, quo ipsam respicit Sol, à quo cum Luna falcata in maiore sui globi parte sit auersa, erit pariter auersa à Venere, nec ab ipsa fusco illo lumine illustrabitur.

Lunam totum lumen à Sole mutuari.

Lux subobscura Lunæ vnde procedat.

Luna magis opaca, quam Planetæ cæteri.

Obiter animaduertendum est, quod cum Luna non æquali prædita sit densitate, sed quasdam habeat partes densiores, alias minus densas, vel alias magis opacas, alias magis peruias lumini, & perspicuas, ex hac diuersitate suscipiendi lumen Solis, ac reflectendi, apparet in Luna vallium, aggerum, antrorum, syluarum, montium, & fluuiorum aspectus, vt fusè elaborat dipingere Galileus; Etenim partes Lunæ, quæ magis illuminantur, lumenque refundunt, quasi montes eminent, & quasi flumina nitescunt; Quæ autem partes minus illuminantur, quasi syluæ, antra, & valles subsidunt. Et hæ sunt maculæ in orbe Lunæ, de quibus alias disseremus, cum scilicet erit disputatio, An post finem Mundi Luna futura sit maculosa.

Non esse montes in Luna.

Nunc verò ad propositum argumentum reuertendo, dico, quod quemadmodum Luna lumen recipit à Sole, ita idem lumen cæteri Planetæ suscipiunt; Nec obstat, quod superiores præsertim Planetæ,

Tres superiores Planetæ semper lumine pleni.

netæ, Saturnus, Iuppiter, & Mars semper pleni lumine refulgeant, non subeant mutationes incrementi, & decrementi, vt Luna, non eclypsent Solem, neque ipsi eclypsentur ab vmbra Terræ, quia Planetæ Sole superiores semper illuminantur à Sole, etiam in ea parte, quæ est ad nos conuersa, vnde semper pleni sunt lumine, & cum sub Sole non transeant, non possunt Solem occultare, siue eclypsare; Neque minus ipsi possunt eclypsari ab vmbra terræ, quæ ad illos excelsiores orbes non pertingit, quamuis Stellæ mediceæ, quæ voluuntur circa Iouem, ab ipsius Iouis vmbra aliquando occultentur, vt etiam Satellites, vel Latrones Saturni. Secus dicendum est de Venere, quæ instar Lunæ, modo falcata, semiplena, plenaque conspicitur, quemadmodum etiam Mercurius Corniculatus, dimidiatus, & plenus appareret, nisi propter suum exiguum orbem ad oculos nostros effugeret; Ex quo conficitur, Venerem, & Mercurium circa Solem tamquam circa Centrum, supra, & infra agitari, indeque haurire lumen. Non possunt tamen hi Planetæ, quamuis sub Sole transeant, ipsum occultare, tum propter ipsorum exiquitatem, tum propter paruam ab ipso distantiam, cum ex sententia Tychonis Venus, & Mercurius in eodem orbe, & Cælo siti sunt, quo est infixus Sol, & sunt affixi orbiculis immersis in crassitiæ deferentis Solis. Addo ex Perspectiua Circulum visualem Solis habere centuplam proportionem ad Circulum visualem Veneris, vt propterea eclypsis Solis à Venere facta vix deprehendatur; Quod magis affirmãdum est de Mercurio, cuius Circulus visualis longè minor est Circulo visuali Veneris; Quamuis Scaliger Exerc. 72. referat, Mercurium visum fuisse in Disco, seu corpore Solari, tamquam maculam Solarem, ideoque aliqui putauerunt, maculas circa Solem visas, esse Mercurium. Quod refellunt Galileus, & Pater Christophorus Scheiner in Rosa Vrsina. Maneat igitur statutum, & firmum Planetas, & Sydera fixa aliquid luminis habere ab intrinseco principio, & à se; Quod præsertim de Astris inerrantibus affirmant recentiores, Galileus epist. 3. de maculis Solis, atque in suo Nuncio Sydereo, & alibi; Et Io. Camillus Gloriosus lib. de Cometis cap. 1. maiorem tamen luminis copiam accipere, tum errantes, tum inerrantes Stellas à Sole, adeo vt lux, seu lumen ab omnibus Stellis participate, sit eiusdem naturæ, ac speciei, itaut non producat frigiditatem, vt est instrumentum vnius Syderis, vel pariat caliditatem, vt est alterius Syderis instrumentum, sed semper caliditatem efficiat. Quod potissimum comprobatur à Io. Pico lib. 3. aduersus Astrol. cap. 4. hac ratione.

Iouis, & Saturni satellites eclypsibus obnoxij.

Veneris, & Mercurij ad Solē comparatio.

Argumentum Io. Pici.

Illud, quod genericè conuenit alicui, non debet pugnare cum illo, quod de ipso specificè prædicatur, exempli gratia si homini, qua animal est, competit esse participem sensus, dubio procul non conuenit homini, qua homo est, sensus expertem esse; Differentia enim generica repugnare non debet specificę, neque specifica debet destruere genericam; Quo circa eum Lux sit qualitas vniuersaliter ab omnibus Astris participata, & virtutem habeat calefaciendi, non est Planetis, vti Saturno, Ioui, Veneri, & Lunæ assignanda alia lux propria, quæ facultatem habeat humectandi, seu refrigerandi; Quoniam hæc facultas vniuersali lucis qualitati aduersatur; Hinc temporum varietates, & mutationes dominijs Planetarum non sunt adscribendæ. v. g. Quod Aestas non torreat, quia dominatur Saturnus, quod hyems non rigeat, propter dominium Martis, sed hæc potius referenda sunt in materiam proximam, & sublunarem, quæ hyberno tempore non fuit in tanta copia, vt valde refrigeraret; Aestate verò non tanta fuit calida, & sicca materia, vt vehementer calefaceret. Quæ omnia adscribenda sunt potissimum actioni Solis, & qualitati, seu quantitati materiæ in quam agit.

Opinio de eminentia calestis virtutis.

Aliqui, vt huiusmodi qualitates contrarias in Planetis tuerentur, arbitrati sunt lumen Planetarum, & Sydcrum eminentissima ratione omnes in se qualitates continere; Itaut quemadmodum Cælum eminenter perfectiones corporum inferiorum amplectitur; Ita etiam lumen cæleste omnes in se perfectiones Elementorum comprehendat, adeo vt cum causis frigidis refrigeret, & cum humectantibus humectet; Sed quid absurdius in Philosophię schola dici, vel fingi potest?

Etenim cum Natura comparatum sit, vt vnaquæque causa vnum per se determinatum, & non contrarios produceat effectus, qui à causis contrarijs proficiscuntur, quia Vnum, dicebat Auerroes, non producit nisi vnum, non est huiusmodi multiplex, & contraria causalitas in lumine cælesti admittenda.

Alius modus explicandi occultas qualitates.

Confugiunt alij pro conseruandis cõtrarijs in Cælo qualitatibus ad diuersitatem caloris cœlestis à nostrate; Existimant enim calorem cœlestem, vtpotè vitalem, Mundoque inferiori vitam impertientem, variaque mixta generantem, quæ frigida, calida, humida, & sicca sunt, diuersæ rationis esse, & substantiæ à calore Elementari; Quam opinionem accuratè examinaui in Appendice de calore innato, & quam refellit grauissimus Philosophus Iacobus Zabarella lib. de calore cælesti cap. 11. vbi docet, non duos esse calores, sydereum, & elementarem, sed vnum, & eumdem se, & substantia, & quatenus est Principium actiuum cælestis corporis, producit animam, quatenus verò est Principium Ignis, formam Elementarem producit. Sed quoniam de hac materia satis superque egimus in Disputationibus supradictis; Sit Conclusio. Lumen per omnes Planetas diffusum, virtutem solum calefacientem habere.

Verum quoniam contrarium apparet in Luna, quæ communiter dicitur refrigerare, libet tãtisper digrediendo ostendere, Lunam per se calefacere, & per accidens tantum refrigerare. Humectat inquam Luna, quia calor ipsius debilis, & imbecillus respectu caloris Solis euocat humiditatem à partibus internis, ad externas, & cum præ caloris exiguitate consumere nequeat humiditatem, fit, vt humiditate in partibus externis remanẽte, videatur Luna humectare; Secus euenit in calore Solis, quia cum robustior sit, euocatas è corporibus humiditates absumit, sed dicitur etiam ipse per accidens refrigerare, quando per recessum à nobis, tempore hyemis, sua debilitate caloris, non potens consumere humiditates, nos frigore, & humiditate affectos derelinquit. Hinc decrescens, seu senescens Luna, quando nimirum properat ad coitum cum Sole, refrigerare dicitur, & in ipso coitu viget humiditas, non quia re vera Luna eo tẽpore habeat virtutem aliquam refrigerandi, sed quia cum debilis sit, & exiguus eo tempore ipsius calor à Sole mutuatus, & sub nostro finitore per maximam partem noctis ipsa delitescat, frigori nocturno minus suo calore resistit, ideoque humiditas materiæ inferioris exultat; Adolescens verò Luna, & in Plenilunio calefacere dicitur; Idcircò Aristoteles lib. 4. de Part. Anim. cap. 5. asseruit, in Plenilunio noctes esse tepidiores, quia tunc Luna maiori copia Solis lumine repleta, vberiorem etiam calorem in Aerem diffundit. Propterea eo tempore Animalia exanguia, & frigidæ naturæ, vt Conchilia, Echinni, & id genus viuentia pleniora sunt succo, quia læta vberiore lumine Lunæ, & calore, melius aluntur, vitalius inualescunt, & roborantur. Ob id crescente Luna melior, & salubrior est missio, & euocatio sanguinis, quam Luna senescente, quia suo viuifico calore iuuat euocationem à Partibus internis ad externas, à Centro ad Circumferentiam. Hinc etiam experientia compertum est longiores, & sæuiores esse morbos, qui inuadunt initio mensis, quam illos, qui in Plenilunio aggrediuntur ægrotos.

Quomodo Luna refrigeret, & humectet.

Lunæ crescentis, & decrescentis effectus varij.

Cur autem decrescente, vel silente Luna, arbores cædantur, causa est, quia tunc minoribus prædita viribus, & calore, minorem euocat ab arboribus humiditatem, ideoque eo tempore decisas arbores minus sentire cariem affirmant.

Verum quidem est, quod in Plenilunio Lunatici magis vexantur, imò arreptitij, & à Dæmone obsessi, quia à calore Lunæ commouetur humiditas cerebri, in quo animales functiones perficiuntur, & cerebrum humoribus refertum, aptius à Dæmone vexatur; Vide Delrium lib. 3. Disquis. Magic. par. 2. Quæst. 4. sect. 5. Conimb. lib. 2. de Cælo cap. 3. Quæst. 8, Art. 2. Hurtad. Tomo 3. Disput. 2. sect. 6.

Propter hanc eamdem causam, scilicet propter calorem exiguũ Lunæ, dormientes sub radijs Lunæ torpescunt, & frigescunt. Etenim cum debilis calor Lunæ aperiat corporis poros, & meatus, nocturna penetrat frigiditas, & torporem in corpore inducit. Ex quibus omnibus infertur, Lunam non humectare per se, sed per accidens, calefacere autem semper,

Conclusio huius discursus.

per,

per, & per ſe calore à Sole recepto. Imò omnia, quæ Lunæ attribuuntur, vt Maris *Effectus qui Lunæ tribuuntur vnde procedant.* æſtus, & reciprocationes, atq; dies Crytici, & Decretorij, ipſius Lunæ minori, vel maiori calore à Sole recepto ſunt referenda, vt diſputabimus in ſecundâ Parte huius Tractatus, quærentes, An poſt finem Mũdi Mare fluxu, & refluxu aquarum ſit agitandum; Propterea dixit Ptolomæus, quod quemadmodum Sol per totum Anni curſum Ver, Aeſtatem, Autumnum, & Hyemem facit; ita Luna id efficit per menſem, non ſuo acceſſu, & receſſu, vt Sol, ſed ſui luminis à Sole mutuati incremento, vel decremento. Dicitur tamen Luna vulgariter habere vires humidas, & in humida mixta dominium, quia cum exiguus ſit eius calor, non conſumit, ſed tantum mouet, & excitat natiuam corporum humiditatem.

Idem dicendum eſt de Saturno, in quo non eſt qualitas frigida poſitiuè, ſed quia ad menſuram luminis Solaris in ipſo non copioſi, parua etiam eſt portio caloris. Idcircò dicitur minorẽ habere, quam Animali conuenit, caliditatem, iuxta Ptolomæum lib. 1. Quadrip. cap. 4. & Cardanũ Comment. in eumdem locum.

Mundus à qualitatib. Planetarũ nõ destruendus. His ita conſtitutis planũ videtur, Mundum à qualitatibus Planetarum per excidium vſtionis deſtrui non poſſe. Etenim cum omnia Aſtra tum inerrantia, tum erratica, & à ſe ipſis, & à lumine recepto à Sole habent facultatem calefaciendi, ſequitur, quod ſi Sol comburere nõ poteſt Mundum, vt ſupra latiſſimè demonſtratum eſt, multò minus id poſſint efficere ſydera lumen, & calorem à Sole mutuantia. Solum effingi poteſt aliqua ſuſpicio de Marte, Stella ſubrubra, & igneum colorem vehementius præſeferente, ſed quoniam, & ipſa ſuum lumen, & calorem magna ex parte recipit à Sole, valida eſt cõſequentia, quod ſi Sol vniuerſum Mũdum inflammare non poteſt, nec minus id præſtabit Stella Martis.

Ridiculum ſcomma in Copernicũ. Non prætermittendum eſt, quod periculum de accendenda Tellure à Marte difficulter euadere poteſt Nicolaus Copernicus, qui lib. 1. Reuolut. cap. 9. in ſuo cæleſti Syſtemate conſtituit orbem Terræ inter orbem Martis, & Veneris, exiſtimans orbem terrę circumuolui circa Solem immobile Centrum terrę, & Planetarum, excepta Luna, quæ circa terrã tamquam circa Centrum reuoluitur; Etenim ſi terra propinqua eſſet orbi Martis, & circa Solem rotaretur, tum propter calorem Martis, tum propter ardorem Solis, ipſa facile Tellus abſumeretur incendio. Sed quoniam hæc opinio non ſolum aduerſatur Platoni, Ariſt. Ptolomæo, & vniuerſæ Philoſophorum Phalãgi collocanti terram in medio Mundi tamquam Vniuerſi Centrum immobile, ſed etiam repugnat Sacroſanctis Eccleſiæ Decretis, quibus mobilitatem terræ, tamquam ſacræ Scripturæ repugnantem damnauit; Idcirco opinio Copernici nullum infert hucuſq; à nobis explicatis præiudicium, vt propterea ſtatuẽdum ſit à qualitatibus Planetarum, quę ſunt calefactiuæ dumtaxat, Tellurem non poſſe comburi.

Obijciet aliquis, quod etiam ſi à manifeſtis qualitatibus Planetarum, & Syderum deſtrui non poſſit Mundus, tamen *Obiectio introductoria ad caput ſequẽs.* ipſius excidium fortaſſe prouenire poterit ab occultis qualitatibus, quas influentias vocant, præſertim Saturni, & Martis, qui exitiales Planetæ æſtimantur; Et quemadmodum peculiaria funera, & quicumque infelices euentus à malo poſitu, & infortunatis aſpectibus horũ Planetarum, cum Horoſcopo præſertim Sole, & Luna proueniũt, ex communi Aſtrologorum axiomate; Ita fatalis Mundi occaſus, & exitium ab ipſis fortaſſe cauſabitur. Quæ obiectio excitat arduam illam, & celebrem quæſtionem, An in Aſtris præter Lumen, ſint aliæ qualitates beneficæ, vel maleficæ, quæ occultæ Influentiæ, & proprietates communiter appellãtur. Et quamuis in ſuperiori capite traditum ſit, cæleſtia corpora non eſſe cauſas alicuius mali, vel damni in hanc ſublunari plaga; Nihilominus operæ pretiũ eſſe duco, id validioribus rationibus demonſtrare, omnes qualitates occultas, & influentias ab Aſtris eijciendo, & præcipua Atologicæ loquacitatis fundamẽta labefactando, quod in ſequenti capite maiori qua potero breuitate propter laxitatem materiæ præſtabo.

CAPVT QVARTVM.

In quo occultæ Cælorum qualitates reijciuntur; Rationibus ad ipsas euertendas allatis; D. Thomæ de ipsis sententia expenditur, & præsertim de influentijs Cæli Empyrei, & argumentationibus pro contraria sententia occurritur; quarum explicatione agitur de Cælorum actione in animam humanam, scilicet in intellectum, & voluntatem, & falsam esse partem Astrologicæ disciplinæ de Interrogationibus, & Electionibus conuincitur. De causis varietatis temporum; de partu octimestri; de diebus Decretorijs; de generatione mineralium; de attractione Magnetica; nec non de magnetis conuersione ad polum; De Electrica facultate, de Echeide pisci, de medicamenti purgantis attractiua virtute, de occultis facultatibus Alexipharmacorum, & quod occultæ cælorum proprietates non concurrunt ad magica opera; & tandem exploditur impia Pomponati sententia; quod à cælestibus orbibus tamquam organis Intelligentiarum mirabilia officiantur: Quæ sunt præcipua fundamenta occultarum in Cælo virtutum.

Occultas qualitates à primis qualitatibus differre.

OCcultas qualitates in Cęlestibus corporibus à nonnullis excogitatas nõ esse primas illas qualitates, quas, vt supra relatum fuit, ipsis attribuit Ptolomæus, nimirum frigiditatem, caliditatem, humiditatem, & siccitatem patere potest, tum ex inalterabili substantia Cæli, quinta substantia, & essentia ab Elementis distincta, à Peripateticis æstimata, cui repugnant huiusmodi qualitates actiuæ, & passiuæ, se inuicem destruentes, tum quia modus, quo tales qualitates à Ptolomæo Cælis adscribuntur, est prorsus reijciendus, scilicet, quod Saturnus sit frigidus, & siccus, propter distantiam à Sole, caloris fonte, & distãtiam pariter à terra, vaporum generatrice; Si enim talis causa frigiditatis, & siccitatis in Saturno esset admittenda, dubio procul omnes octaui Orbis Stellæ potiori iure essent frigidæ, & siccæ, propter maiorem distantiam, quam habet Aplanes à Sole, & à terra; Et tamen communi Astrologorum calculo firmatum est, Stellas fixas diuersas habere naturas, & cõditiones, & redolere naturas diuersorum Planetarum; Hinc Pleiades, seu Vergiliæ, iuxta Ptolomæum, Iouis, ac Lunæ naturam imitãtur, & secundum alios, etiam Martis. Regulus, qui est Stella in corde Leonis, Martem, & Iouem refert, Spica Virginis Venerea, & aliquantulum Martia est, vt fusè ostẽdit Ptolomæus lib. 1. Apotelem. cap. 4. Atq; ita Stellarum fixarum aliæ appellantur igneæ, aliæ terreæ, aliæ aqueæ. Præterea Luna dicitur humida ab eodem Ptolomæo, quia vel humida qualitate est affecta, vel quia humidos trahit vapores, vt Cardanus, & alij interpretantur, sed hoc conuenit etiam Soli, qui efficaciori modo trahit vapores, quam Luna, vt propterea à Cardano calidus, & humidus appelletur; sed re vera humiditas Lunæ produci non potest à vaporibus terræ, vt putauit Ptolomæus, ita loquens de ipsa; Cum Luna terræ est finitima, & illius exhalationibus impleatur, humida est; nam Albumasar, castigãs Ptolomæum, asserit, vapores è terra elatos, neutiquam ad Lunã assurgere posse, cum non ascendant, ex ipsius sententia, supra decem, & sex stadia. Quare cum ab Astrologis de qualitatibus præfatis in Cælo assignetur causa non vera, sed fictitia, & imaginaria, putandum est ipsos nomine occultarum virtutum cælestiũ non intel-

Præcipuarum Stellarũ qualitas.

intelligere primas qualitates iam explosas, sed aliud præter ipsas.

Hinc Auerroes Comment. super lib. 1. de Cælo, considerans quædam astra dici infrigidare, vel humectare, tradidit, hoc nõ esse per se, sed in quantum agunt per calorem proportionatum; vnde Saturnus positiuè non refrigerat, sed minùs calefacit, quam Iuppiter. Quam responsionem Auerrois redarguit D. Thomas lib. 2. de Cælo, lect. 10. quia inquit ipse si hoc vniuerso sunt formæ mixtorum essentialiter frigidæ, igitur virtute cælestium corporum producuntur, cum vniuscuiusq; rei generatio, Cælo, tamquam primæ causæ efficienti naturali adscribatur. Igitur cælestia corpora non per accidens, sed per se, tanquam Causæ positiuæ frigidæ sunt frigidorum efficientia. Ideò concludit D. Thomas tum loco citato, tum alibi, vt mox dicam corpora cælestia secundum virtutem luminis calefacere, sed secundum alias proprias virtutes singulis corporibus attributas, etiam infrigidare, & omnes alios effectus corporales in istis inferioribus producere. Animaduertendum tamen est, quod in corporibus cælestibus non sunt primę qualitates tangibiles, eo modo, quo in Elementis, & inferioribus corporibus reperiuntur, sed per modum eminentiorem, non est enim ibi calidum, vel frigidum, humidum, vel siccum, sed virtus, quæ horum est causatiua, ita enim exponenda est sententia de primis qualitatibus in Cælo positis; Quã ego tamen non admitto, & pace D. Thomæ dixerim, non esse necesse, vt in Cælo reperiatur hæc virtus causatiua refrigerandi, vel humectãdi, vt Cælum dicatur causa vniuersalis rerum omnium inferiorũ, & consequenter causa mixti frigidi, & humidi, sat enim est, si dicamus, Cælum sua virtute calefactiua agere in Elemẽta, quæ mixtum componunt; Quoniam verò in Elementorum miscella euenit, vt aqua, vel virtus aquæ, quæ est frigiditas, magis dominetur, fit vt mixtum sit frigidũ; Itaq; prædominium frigiditatis in mixto non prouenit à Saturno, vel à Luna, sed ab ipsis Elementis, vi caloris cælestis concurrentibus ad mixtionem, in qua præcellit aqua, quæ sua natiua qualitate pugnante cum cæteris Elementis, & quia in maiori erat quãtitate, frigiditatem suam impressit, & mixtum frigidum constitutum fuit.

Auerroes à D. Thoma refutatus.

Qualitates tangibiles in cælestibus corporibus nec sunt eminentem.

His prænotatis indaganda à nobis est essentia, & natura arcanarum virtutum, quæ ab Astrologis cælestibus corporibus adscribuntur. Ideò ab ipsis quærendum est, an illa qualitas occulta, sit corporea, vel spiritualis, sit substantia, an accidens. Si dicatur primum, quod sit vel substantia, vel qualitas corporea, à Cæli substantia prodiens, sequitur, quod ipsa iugiter emanante à Cælo, tandem ipsummet Cęlum contabescat, & dissoluatur, propter perennem eductionem entitatis corporeæ ab ipso corpore. Si verò asseratur qualitas spiritualis, siue intentionalis, quæro an transeat de subiecto in subiectum, an potius propagetur, & multiplicetur in medio; Primum non est admittendum, siquidem abhorret à Philosophia affirmare, accidens de subiecto in subiectum migrare; Non secundum est asseuerandũ, scilicet ipsas in medio propagari, quia quemadmodum lumen emanans à Sole est in continuo fluxu, & fieri, & propagatur in medio, præsente tamen ipsomet Sole, ita etiam istæ qualitates intentionales non possunt propagari, nisi præsente ipso Planeta, à quo producuntur; & tamen asserunt Astrologi, quod etiam Planetæ operantur per has occultas qualitates, quando sunt sub terra, & sub nostro finitore, verbi g. quando sunt in quarta domo, siue in imo Cæli constituti.

Argumentum contra Astrologos.

Præterea suscitandum est ab Astrologis, quanam ratione fieri possit, vt è tam remotis regionibus, quales sunt cælestes virtutes illæ, & qualitates spiritales proficiscantur, & in medio transitu nõ euanescant, & dissoluantur in nihilum. Nam quemadmodũ sensu compertum sit, species spiritales visibiles è lõginquis obiectis emanantes per longum spatium traiectas, tandem ita satiscere, vt ad oculum non perueniant valde distantem; simili prorsus ratione philosophãdum est de illis arcanis qualitatibus cælestibus, quæ propter amplissimum, quod permeant interuallum, tamquam exiguæ, & exiles ad terram non pertingunt. Non me præterit id, quod tradunt Astrologi, nimirum occultas illas qualitates ad tellurem medio lumine, tamquam vehiculo, deferri; Sed postulandum ab ipsis est, quonam lumi-

Alterum argumẽtũ.

Instantiæ solutio. lumine in sui delatione vtantur; Etenim non potest ipsis esse vehiculum lumen, vel Stellarum fixarum, vel Planetarum, à quibus descendunt, quandoquidem lumen inerrantium Stellarum noctu Cælo emicantium ad terram nõ peruenit, alioquin ipsam illuni nocte illustraret, & vmbra terræ, quæ est nox, à Stellarum lumine disijceretur, & tamen sensata experientia contrariũ apparet. Igitur si lumen fixorum siderũ ad nos non peruenit, nec peruenient qualitates illæ occultæ iunctæ lumini. Idem dicendum est de superioribus Planetis, Saturno, Ioue, & Marte, qui cum nocturno tempore sæpè nobis effulgeant, non ita tamen suos radios ad terram effundunt, vt ipsam, nec secundum quid possint illuminare; Quare solum id concedendum esset, excepto Sole, & Luna, Venere, & Mercurio, qui Planetæ propter vicinitatem putantur eiaculari sua lumina ad tellurem, quamuis id etiam valde dubium videatur propter allatam rationem, quia Venus, & Mercurius, silente Luna, noctu emicantes, terram non illustrant. Si verò loquãtur Astrologi de lumine Solis, quo vtantur Planetæ, & astra fixa ad suas arcanas effundendas qualitates, in magnas angustias conijciuntur, nam coguntur asserere, in illos dumtaxat, qui die nascuntur, Sole nostrum Emisphærium illustrante, influere occultis qualitatibus Planetas, & Firmamentum, & tamen ab ipsis decantatum est, obseruandas esse Natiuitates, tum diurnas, tum nocturnas, adeò vt in genesi nocturna omnia Sidera, ex ipsorum placito, suas vires experiantur; Quare cum explicari non possit, nec concipi ab humani ingenio, quid sit illud occultum, & arcanum, illud, si ita loqui fas est, admirabile, & diuinum, quo cælestes orbes præter motum, & lumen influunt in hæc inferiora, profectò satius est, occultas qualitates ignoratas è Sapientum choro eliminare, quam multa absurda, & inania figmenta potiùs, quam philosophica pronunciata approbare.

Tædet me in hac, quam sequor, sententia, D. Thomam meum Antesignanum deserere, qui multis in locis inuexit occultas qualitates cælestes, quæ influentiæ dicuntur, distinctas à luce, non ratione solum, sed verè, & realiter. Id quod tradidit S. Doctor 3. contra Gent. cap. 84. & ibidem Ferrariensis Quodlib. 6. art. 19. pri. parte Quæst. 67. art. 3. & 2. Sentent. Dist. 15. Quæst. 1. art. 2. in resp. ad 9. vbi ita loquitur. Lux quantum est de se, semper est effectiua caloris, etiam lux Lunæ, vnde Philosophus 4. de Gen. Anim. cap. 5. dicebat, Noctes Plenilunij tepidiores esse, sed præter naturam lucis, quæ communis est omnibus corporibus cælestibus, qualibet Stella habet virtutem determinatam, consequentem suam speciem, ratione cuius lux eius, & motus habent, vel infrigidare, vel humectare, & sic de alijs, sicut etiam præter motum communem habet quilibet orbis motum proprium. Hæc D. Thomas; Ex quibus apertè constat, ipsum admittere, præter lucem communem orbibus cælestibus, aliam propriam cuiuscumque orbis qualitatem; Quam opinionem hausit D. Thomas ab Alberto Magno suo Præceptore lib. 2. de Cælo, tract. 3. cap. 3. & 5. Scotus & ipse secutus est hanc opinionem in 2. Arist. 14. quæst. 3. Ideò Scotisticæ doctrinæ sectatores R. P. Bartholomæus Mastrius, & Bonauentura Bellutus Disputationibus in lib. de Cælo, & Meteor. Disput. 2. Quæst. 7. art. 4. affirmant, dari in Cælo qualitates quasdam, & virtutes, quæ sunt qualitates dimensionatæ, vt ipsorum vtar verbis, & per medium extensæ, & spiritualiores elementaribus qualitatibus; Idcircò asserunt, non impediri tales qualitates à crassitie obstaculi terræ, quemadmodum impeditur lumen ab eiusdem terræ opacitate, & tandem definiunt, ipsas esse qualitates insensibiles in cælis existentes, per quas effectus proueniunt, quorum non potest reddi ratio, ex causis per sensum notis. Sed re vera videntur hallucinari asserentes, ipsas esse spiritualiores lumine, quo nihil est subtilius, & cui lumini cum obstet opacitas terræ, obstabit etiam harum qualitatum, vt sic dixerim, spiritualitati.

Occulta qualitates à D. Thoma asserta.

Alberti Magni, Scoti, Mastrij, & Belluti consensus.

Inter recentiores hanc adamarunt opinionem Hurtad. tom. 2. Disput. 2. sect. 6. Ruuius de Cælo, & Mundo lib. 2. cap. 3. quæst. 2. Raphael Auersa tom. 2. sect. 7. Conimbricen. verò lib. 2. de Cælo quæst. 3. art. 3. quamuis admittant sententiam de arcanis virtutibus, & influentijs; tamen in

fine

fine articuli 3. probabilem putant contrariam sententiam, multis præstantissimis viris probatam, vt infrà dicemus.

Illud autem me potissimum ab hac reuocauit sententia de influentijs occultis, quod in doctrina D. Thomæ, & apud alios Authores obseruani etiam Empyreo Cælo occultam quamdam qualitatem attributam; esse ideò operæ pretium esse duco hanc quæstionem per sectiones diuidere, & in prima de hac materia differere. Sit igitur

SECTIO PRIMA.

In qua demonstratur, Cælum Empyreum in inferiorem Mundum non agere.

D. Thomæ in hac quæstione dissonantia.

Prior eius sententia.

Diuus Thomas non sibi constans videtur in hac Cæli Empyrei influētia; Etenim 2. sent. dist. 2. quæst. 2. art. 3. in corpore statuit conclusionem, quod Cælum Empyreum nullam habeat super alia corpora influentiam, ductus hac ratione, quod nullum corpus habeat super aliud influentiam, nisi per motum, vnde Cælum per motum suum causat generationem, & corruptionem in ipsis inferioribus; Propterea octauo Phys. motus ipsius est, sicuti vita omnibus existentibus, & Rabbi Moysis effatum est, quod Cælum in vniuerso est sicuti cor in animali, cuius motus si ad momētum quiesceret, vita deficeret; Vnde cum Cælum Empyreum constituatur immobile, infert D. Thomas, ipsum influentiam super corpora non habere. Addit in resp. ad secundum, quod lux Cæli Empyrei non est per modum fulgoris alia corpora irradiantis, nam si ita luceret, cum sit omnium corporum, vt ipsius vtar verbis, virtuosissimum, & maximum, omnia ab ipsius lumine ita illustrarentur, vt lumen Solis prorsus esset superuacaneum.

Considero etiam id, quod docet D. Thom. eadem quæst. art. 2. scilicet hoc Cælum non dici propriè Ens naturale, sed diuinum, vtpotè ordinatum ad gloriam bonorum, propter quam factum est, ideò non habet materiam determinatam ad motum, sed ad suum finem; Propterea in art. 3. in resp. ad 4. redarguit opinionem eorum, qui putarūt, hoc Cælum disponere materiam ad animam rationalem, quemadmodum dicebant lucem Cæli siderei disponere materiam ad animam vegetabilem, lucem Cæli crystallini disponere ad animam sensitiuam, cum omnis hæc dispositio fiat virtute Solis, iuxta illud Arist. 2. Physic. Sol, & homo generant hominem.

Posterior D. Thomæ sententia.

Idem D. Thom. Quodlib. 6. art. 19. suam mutauit sentētiam, & tradidit Cælū Empyreum influere in hæc corpora inferiora, quoniam, inquit ipse, totum vniuersum est vnū vnitate ordinis, ex Arist. 12. Metaph. text. 52. hæc autem vnitas ordinis attenditur ex eo, quod ordine quodam reguntur corporalia per spiritualia, & inferiora corpora per superiora; Vnde concludit, quod si Cælum Empyreum non influeret per corpora inferiora, non contineretur sub vnitate Vniuersi. Explicans verò quid influat, afferet, ipsius proprium effectum esse influere perpetuitatem, & permansionem in corporibus inferioribus. Pro cuius rei explicatione obseruat duos esse in Cælo motus, quorum vnus est ab Oriente in Occidentem, qui vocatur diurnus, & fit super polos Æquinoctialis, & quoniam est semper vniformis, causat perpetuitatem in inferioribus motibus. Alius verò est motus Cæli ab Occidente in Oriētem, quo Sol, & alij Planetæ super polos Zodiaci mouētur, per quem motum Sol accedens, & recedens à nobis, est causa generationis, & corruptionis in rebus inferioribus. Vnde continuitas motus causatur à primo motu, differentia autem, & contrarietas in rebus inferioribus, quæ spectatur in generatione, & corruptione, causatur à secundo motu. His positis, docet S. Doctor, Cælum Empyreum singulariter per suā quietem influere .s. impartiendo cælestibus Orbibus vniformitatem motus, quam appellat perpetuitatem,

tem, & permanentiam.

Fas mihi sit S. Doctoris sententiã æqua veritatis lance perpendere, atque considerare hoc fixum, & stabile, quod cæteris Cælis à Cælo Empyreo communicatur, aliud quidem non esse, quam, vel virtutem causandi, vel perpetuam rerum seriem, & ordinem, qui semper firmus consistit; Quæ sanè attribuenda non sunt Cælo Empyreo, sed authori Cæli, & Naturæ, qui ita condidit Cælos, vt diurno motu ab Oriente in Occidẽtem circumuoluantur, nec non peculiari motu, inuariata vniformi, stabiliq; vertigine ab Occidente in Orientem circumrotentur. Quare, cum Cælum Empyreum sit immobile, ex communi Theologorum placito, non satis intelligo, quomodo ipsum Cælum vniformitatem motus inferioribus Cælis, quos non mouet, impertiatur, neq; minus perpetuam rerum seriem conseruet, quando hæc ab ordine, & nexu, quo res conditæ, & collegatæ sunt à supremo artifice, dependeat.

D. Thomæ sententia reijcitur.

Neque obstat, quod si non influat Empyreum, sequatur, ipsum non contineri sub vnitate Vniuersi; etenim Vniuersum, si philosophicè verba facimus, est compages è Cælo, terraq; coagmentata, ex Arist. lib. de Mundo ad Alexand. nomine autem Cæli intelligitur Cælum mobile, & corpus naturale. Ideoq; excluditur Cælum Empyreum, vt substantia non naturalis, & potius diuina; Si verò Theologicè de Mundo loquamur, compertissimum est, Mundum comprehendere etiam Mentes Beatas ab omni concretione materiæ seiunctas; & pariter Cælum Empyreum felicissimum Beatorum Spirituum domicilium, in quo, vt ait Propheta, habitabunt recti cum vultu tuo, idest supremi Numinis visione fruẽtur. Idcircò Empyreum in latitudine Vniuersi continetur, & sub ipsius vnitate comprehẽditur, quamuis careat influentijs; quia ad Vnitatem cõstituendam Vniuersi sufficit per continentiam, & contiguitatem sui ipsius primo Mobili copulari.

Instantia soluta.

Confirmatur id testimonio D. Thomæ 1. parte Quæst. 66. art. 3. in resp. ad 2. ita loquentis. Satis probabile est, quod Cælum Empyreum ordinatũ ad statum gloriæ, non habeat influentiam in inferiora corpora, quæ sunt sub alio ordine, vtpotè ordinata ad naturalem rerum decursum. Hæc D. Thom. Ibidem tamen probabilius putat, ipsũ Empyreũ habere influẽtiam supra corpora quę mouentur, & influere in primum Cælum, nõ aliquid trãsiens, & adueniens per motum, sed aliquid fixum, & stabile, scilicet virtutem continendi, & causandi, vel aliquid huiusmodi ad dignitatẽ pertinens; Verum cum talis virtus nequęat participari ab Empyreo, nisi mediante ipsius luce, subiungit D. Thomas eodem art. in resp. ad 4 quod Empyreum habet lucem, non condensatam, vt radios emittat, sicut corpus Solis, sed magis subtilem, & habet claritatem gloriæ, quæ nõ est conformis claritati naturali; Quare nullũ agnoscitur instrumentum in ipso, quo talis influentia participetur, sed solum in seipso lumen producit, vt etiam sensit Durandus in 2. Arist. 2. Quæst. 2. Quamobrem cum D. Thom. hac in re dubiæ, & incertæ sententiæ videatur, potius, quam firmi, & constituti decreti, placet mihi ab hac opinione de Influentia Cæli Empyrei penitus recedere; Neq; etiã approbo assertum à D. Bonauentura lib. 2. sent. distinct. 2. Quęst. 2. vbi disputans in vtramq; partem, An Cælum Empyreum influat in hæc inferiora, tandem in resolutione statuit, non habere influentiam super humana corpora, sed quidem super cætera corpora inferiora, tamquam primum creatum super sequentia.

D. Thomas in hac quæstione dubius.

Nec etiã recipienda est doctrina Suarez, idem affirmantis lib. 1. de Oper. sex dier. Cap. 5. num. 8. & Molin. de op. sex dier. Disput. 3. Cęlo Empyreo influentias attribuentium.

Hinc etiam accusanda est sententia P. Clauij in cap. 1 Sphærę §. de num. Orb. cælestium, arbitrantis Cælum Empyreum operare peculiares quosdam effectus in terra, qui semper determinatæ in certis terræ regionibus producuntur, vt quædam metalla, plantæ, animalia, quia, inquit ipse, cum eodem modo contingant illa opera, cuidam Cælo immobili ac semper easdem partes terræ eodem modo respicienti sunt attribuenda. Hæc inquam inania sunt, & nulla fulta ratione, quoniam sicuti effectuum productio, & diuersitas refertur ad diuersitatem ipsius ter-

Clauij opinio reycitur.

terræ, & ad diuersas, quas habet, dispositiones; ita continua rerum in eodem loco generatio attribuenda est seminibus ab initio telluri insitis, & in ipsius visceribus conseruatis à calore Solis, à quo, vt infrà dicemus, omnia fossilia producuntur.

Continua rerum in eodem loco generatio vnde.

Statuamus igitur, Empyreum nullam, neq; in corpora cælestia, neq; in humana, neq; in alia inferiora corpora influentiam habere; quam veritatem inter recentiores tradidit Hurtad. quamuis nimis ieiuna oratione, tom. 3. Disp. 2. sect. 6.

Conclusio.

Explosa autem influentia Cæli Empyrei, explodendi etiam sunt occulti afflatus Stellarum errantium, & inerrantium; Et quoniam superiori capite, atq; in præsenti allatæ sunt validæ rationes ad ipsos refellendos, aliarum argumentationum loco, sint testimonia grauissimorum virorum arcanas Cæli vires negantium; De his enim nullam mentionem ingessee runt illa nitidissima Græcæ sapientiæ lumina, Plato, & Aristoteles, qui cum pluribus locis de temporum vicissitudine, ac varietate verba faciat, non cælestibus arcanis virtutibus, sed motui Solis varias temporum vices adscribit, vt infrà clarissimè patefaciã. Porrò Interpretes spectatissimi eiusdem Aristotelis, & Peripateticæ doctrinæ iuratissimi asseclæ has influentias non agnouerunt, dico Auerroë, Iandunum, Alexandrum Achillinum, Zabarellam, & alios; inter quos connumerandi sunt Antonius Mirandulanus Episcopus Casertanus de singulari certamine sect. 22. 23. & 24. vbi aduersus occultas Cæli proprietates acerrimè pugnat, Michael Medina lib. 2. suæ Parçnesis cap. 5. Gianin. de nat. Cæli cap. 5. Quorum Antesignanus est Io. Picus, Ingeniorum Phænix in 12. libris aduersus Astrologos, in quibus passim Astrologiæ fundamenta conuellit, & præsertim vires occultas Cælorum lib. 3. cap. 5. & 6. quem deinde secutus fuit Pererius tom. 1. Genes. lib. 2. Disp. aduersus Astrologos cap. 3. Alex. de Angelis lib. 1. cap. 5. aduers. Astrologos, licet in fine capit. admittat, & moneat Astrologos, vt illis qualitatibus moderatè vtantur. Hi cordati, ac sapientes viri vnanimi tradunt consensu, Cælum esse causam vniuersalem, agere per modum naturæ vniformiter, difformiter, iuxta dispositionẽ materiæ, eiusq; influxum solo medio motu, ac lumine participari; lumine, tanquam causa præcipua instrumentali; motu, tamquam conditione, sine qua non posset influere. Itaq; irrident hi Authores Astrologos asserentes, Cælũ in altero esse causã felicitatis, in altero infelicitatis, in vno sanitatis, in altero ægritudinis, cum hæc attribuenda sint causis proximis, vel naturalibus, vel moralibus, non autẽ causæ vniuersali, quale est Cælum. Quoniam verò pro hac sententia de arcanis Cælorum viribus non infirma rationum astruuntur præsidia, placeat ipsa constituere, & sigillatim euertere.

Auctores occultas Cæli virtutes non admittentes.

Cælũ quomodo agat.

SECTIO SECVNDA.

Demonstratur, Cælum non per se, sed per accidens, atque indirectè agere in intellectum, & voluntatem humanam, ac ingenij, & voluntatis operationes à Siderum aspectibus nullo modo pẽdere.

Diuus Thomas 2. contra Gentes cap. 84. affert, & approbare videtur pronunciatum Ptolomæi in Centiloquio, dicentis: Cum fuerit Mercurius in Natiuitate alicuius in aliqua domorum Saturni, & ipse fortis in suo esse, dat bonitatem intelligentiæ medullitus in rebus. Fundamentum huius pronunciati est, quia putant Astrologi Mercurium præsidere ingenio, ac menti humanæ, quemadmodum Luna præsidet humoribus, ac phantasiæ; Ideò, si Mercurius feliciter cum Luna collocetur, vt in proprio Lunæ domicilio, vel fauorabili cum ipsa aspectu, validius influit in ingenium; si verò in Saturni signo reperiatur, & in eiusdem radio felici, sextili, vel trino, egregia facit ingenia, ad omnes ferè disci-

Ptolomæi pronunciatum à D. Tho. acceptum.

Effectus Mercurio tributi.

disciplinas capessendas idonea, præsertim si in decima domo reperiatur, in qua ferè diuinum facit ingenium, omnibus artibus, ac negotijs accommodatũ; Quod etiam facit in vndecima, licet non adeò feliciter. Hinc Genethliaci figmentis addendo figmenta, asserunt, quod cũ Mercurius assumat naturam illorum Planetarum, quibus adiungitur, si copulatur Ioui, facit Legum peritũ, cum Iuppiter præsit Iustitiæ; si Marti, bellica disciplina facit præstantem; si Soli, facit Arithmeticæ, & totius Mathesis studiosum; si Veneri, Picturæ, Eloquentiæ, Musicæ, & Poesis facit cultores, atque idem operatur benè configuratus cũ Luna, trigono, vel sextili.

Modus quo multæ qualitates astruuntur.

His prænotatis, hæc ab Astrologis cõficitur ratio pro arcanis qualitatibus construendis. Mercurius, Saturnus, & Luna, suis radijs, & configurationibus conferũt ad ingenia, & disciplinarum præstantiam. Hoc non prestant medio lumine, vel proprio, vel à Sole mutuato; quoniam tale lumẽ omnibus hominibus est commune, & æqualiter ab omnibus participatur; ergo id faciunt peculiari afflatu, & qualitate; quæ vires, & incrementa accepit à iam prænotatis aspectibus, & quæ constituit ingenia præclara idem affirmant de influxu occulto Celorum in humanam voluntatem, & eò audaciæ, & temeritatis adegerunt, vt arbitrati sint religionem, ac pietatem, quæ est effectus, & soboles Diuinæ gratiæ à cælestibus aspectibus proficisci. Propterea nonam Domum in Genesi, attribuunt Religioni, quæ domus si fuerit Iouis, Veneris, Solis, vel Lunæ receptaculum, si Planeta sit præsertim in signis Religionis, Libra, Tauro, Pisce, Natus, piissimis moribus præditus erit, suæque legis accuratissimus obseruator. Contra verò si Mars in nona collocetur, quia præsidet bellis, & nulla, vt prouerbio iactatum est, & experientia quotidiana comprobatum, pietas castra sequitur, facit parum religiosos, nisi fortioribus significatis hoc malum minuatur. Addunt Spicam Virginis in nona domo assulgentem multũ religiosis actionibus prodesse; Quę omnia indicantur à nona domo, & ab huiusmodi Stellarum positu arcanos afflatus in virtutem religionis descendere. Quæ non minus falsa, quam impia errata,

Astrologorum temeritas.

vt à nobis conuellantur.

Auicennæ opinio.

Notãdum est cum D. Thom. 3. contra Gent. cap. 87. perperam sensisse Auicennam, putantem Cælum esse animatum anima rationali, ipsaq; mediante, influere in animam humanam, quia videtur proportio inter agens, & patiens, nimirum inter animam Cęli spiritualem, & inter animam humanã pariter spiritualem. Ideò D. Thomas demonstrat, quod etiam supposito, quod Cęlum sit animatum anima rationali, tamen non sequi animam Cæli agere in animam humanam, quoniam hæc actio fieri non potest, nisi mediante motu Cæli, tamquam animæ cælestis instrumento; & quoniam ex Arist. 8. Physic. corpus non potest agere, nisi per motum in aliud corpus, quod motui subijciatur, constat, animam humanam non esse capacem motus veri, & realis à Cælo in ipsa producti; Ideò à nobis remanet explicandum, quænam sit actio, qua Cælum in anima humana operetur.

Actiones directa, & indirecta.

Pro qua difficultate enodanda, occurrit doctrina Ferrarien. lib. 3. contra Gentes c. 84. §. ad euidentiam, vbi considerat, quod vnum agere in aliud dupliciter cõtingit, vno modo directè, alio modo indirectè; Dicitur illud in aliud directè agere, quando actio eius, & influxus ad ipsum, tamquam ad passum pertingit, aliquid in ipso causando; Indirectè autem dicitur agere, quando eius actio non pertingit ad ipsum, causando aliquid in eo, sed pertingit ad aliquid aliud, ex quo in ipso aliquid resultat.

Prima conclusio.

His præhabitis, Dico 1. Cælestia corpora indirectè agunt in intellectum, quia nimirum agunt in phantasiam, quę est potentia organica ipsius intellectus ministra, adeò vt si phantasia deprauetur, etiam intellectualis operatio deprauata remaneat necesse sit. Quapropter, qui per maximum caloris æstum, vel à Sole, vel ab alia causa productum, in phrenitidem per inflammationem in capite inciderunt; deprauatam facultatem imaginatricem habent; & consequenter perperam ratiocinantur, ideò sidera per accidens agunt in intellectum, quatenus exercent suas vires in facultate corporea, quæ est imaginatiua.

Aduertendum verò est actionem Cælorum

lorum magis pertingere ad intellectum, quam ad volūtatem, vt explicat Caietan. in pri. part. quæst. 105. art. 4. quia videlicet sidera agunt in sensum, & intellectus, necessariò sequitur sensum, vel vim apprehēsiuam. Ideò phantasma se habet ad intellectum, teste Arist. 3. de Anima, vt color ad visum, & quemadmodum proposito colore, visus in debita distātia positus, necessariò fertur in ipsum; ita proposito obiecto intelligibili, quale est phātasma, necessariò intellectus ad ipsum protendit; Ideò non rectè intelligimus, quia volumus, sed quia agentia ad intellectionem rectè disposita se habent, nimirum phantasma intellectus agens, & possibilis. Minus autem dicitur Cælum agere in voluntatem, quia quamuis agat in humores ipsos commouendo, & ad quorum commotiones passiones insurgunt, tamen voluntas nō sequitur necessariò passiones, sed turbato appetitu sensitiuo, ipsamet voluntas, tamquam libera potest non turbari; Quare cum intellectus necessariò dispositionem sensitiuā sequatur, in quam Cælum agit, voluntas verò sensum non sequatur necessariò, sed pro libito, fit, vt Cælum dicatur indirectè magis operari in intellectum, quam in voluntatem.

Sidera magis intellectū, quam volūtatem afficiunt.

Quibus præiactis, allata ratio de influxu occulto Cælorum in facultatem intellectiuam dissoluitur; Etenim Mercurius, Saturnus, & Luna, qui Planetæ benè configurati in Genesi concurrunt ad perfectionem intellectus, non attingunt directè, & immediatè sua actione intellectiuam potentiam, sed sensitiuam, nimirum phantasiam, quam vel lumine proprio, vel mutuato à Sole possunt alterare, quoniam alia qualitate id agere non posse demonstratum est; Ego tamen sequor sententiam Pici existimantis, præter Luminaria, præter sidera, vel nullam, vel exiguam in hisce inferioribus actionem exercere; Sed esto, quod alterent phantasiam, id pręstant lumine, tāquam instrumento vniuersali, quo omnes hominum phantasiæ æqualiter afficiūtur. Non enim dicendum est, æqualem non esse supradictorum Planetarum actionem in phantasiam, propter diuersitatem eiusdem organi, modò rectè, modò malè dispositi; nam statim inferam ego; Ergo præstantia intellectus, seu phantasiæ non oritur à supradictis configurationibus Planetarum, sed à diuersitate materiæ, seu temperamenti, vt in disputatione Philosophica fusè à nobis disputatum fuit. Neq; affirmandum est, supradicta sidera influere in phantasiam, non lumine, tamquam instrumento vniuersali, sed peculiari radio, occultarum qualitatum vehiculo; Namq; petendum est, quænam si ista qualitas, quæ à Planetis imaginationi imprimitur; siquidem, vel est materialis, vel immaterialis, si prima asseratur, sequitur, rem materialem imprimi in substantia immateriali, qualis est vis intellectiua, quæ vtitur organo phantasiæ, quod sanè est absurdum; si verò dicatur immaterialis, sequitur qualitatem spiritualem produci à substantia materiali, & corporea, quod à Philosophia abhorret, cum omnis productio, seu generatio naturalis fiat per motum physicum, cuius non est capax qualitas incorporea, & spiritualis. Et hæc quoad primam partem obiectionis de influxu Planetarum in intellectum.

Quomodo Planetæ ad intellectus perfectionē concurrāt.

Quod spectat ad voluntatem; Dico secundo: Sidera errantia, & fixa etiam indirectè agere in voluntatem; Pro quare explieanda, sciendum est, à Cælestium corporum congressione in nobis non excitari aliquam passionem, vel iræ, vel amoris, ad quam passionem deinde concurrat voluntas, & fiat electio de aliquo obiecto; Etenim cælestes orbes immediatè non excitant passiones, sed suo calore commouent v.g. bilem, quæ est calida, & sicca, ex cuius motu consurgit ira, quæ materialiter sumpta, est efferuescentia sanguinis circa cor, ita excitant sanguinem, in cuius moderato motu, & incalescentia appetitus concupiscibilis consistit, & præsertim ipsius præcipua affectio, quæ est Amor; Ideò tempore Veris, quo sanguis, ad nos accedente Sole, incipit incalescere, excitatur tum in hominibus, tum in brutis animalibus amoris passio, hepate videlicet calefacto, in quo Plato amoris domicilium constituit, quemadmodum in corde iræ receptaculum; Et tandem cum mores sequantur corporis temperamentum, iuxta doctrinam Galeni, lib. de hac mat. inscripto, compertissimum est, cælestia corpora, quę concurrunt ad efformandum tempe-

Secunda conclusio.

Quomodo cælestes orbes passiones excitēt.

ramentum, concurrere etiam remotè quidem, & indirectè ad paſſiones, quæ temperamentum conſequuntur; Loquor de paſſionibus naturalibus, nam de illis, quæ temporis progreſſu acquiruntur, vel bonæ, vel prauæ ſint, non ſatis intelligo ipſas à ſideribus deriuare, quando producuntur ab habitibus, vel vitioſis, vel virtuoſis, habitus autem à repetitis actibus generantur; Quæ cum ita ſint conſtat, ſidera in appetitum rationalem neutiquam agere, quoniam ſi immediatè non producunt paſſiones, ad quas aliquando ſequitur voluntas, multò minus concurrent ad productionem actus voluntatis, quæ ſi virtutis habitu prædita ſit, obſiſtit, & reluctatur paſſionibus, quæ turbare voluntatem, & è ſuo deijcere ſolio ſæpè conantur. Et vt ſigillatim reſpondeam ad ea, quæ de virtute Religionis, & pietatis obiecta ſunt, dico ipſius vſum ab humano pendere arbitrio, diuina gratia concurrente, & tamquam principali cauſa excitante, ac mouente voluntatem; Itaq; non eſt attribuenda Religio poſitis ſiderum in nona domo, quia ſidera agunt ſolum in materiam corpoream, ſcilicet in temperamentum, humores, ac paſſiones per accidens, non in partem ſpiritualem, quæ eſt voluntas, & cuius ſunt electiones bonæ, vel prauæ, & quæ electiones ſæpiſſimè nullam habent connexionem cum temperamento, vel humoribus, vel paſſionibus, vt euenit in illis, qui ſummam religionem, ac pietatem elegentes, ieiunijs, alijſq; caſtigationibus corpora macerant, & affligunt, in maximum detrimentum temperamenti, iam proſtratis, ac debellatis paſſionibus. Ex dictis igitur patent Aſtrologorum figmenta, ſatius dixerim deliramenta, putantium intellectiuam, & appetitiuam hominis facultatem oculis ſiderum afflatibus agitari. Hac prima funditus euerſa ratione, ad alia pro occultis Cælorum viribus propugnacula demolienda properemus.

Sidera in appetitum rationalē non agere.

Quoad religionem.

Hinc patebit, quam inania ſint, & fallacia, quibus nugiuendum Aſtrologorum genus ludificat imperitos, dum ſcilicet Genethliaci perſuadēt ſe patefacere poſſe rei, vel præteritæ, vel præſentis, vel futuræ euentum, ſi interrogentur ab aliquo, qui ipſos interroget, non in electione, ſed naturali impetu motus, aſſerunt enim, obſeruandam eſſe cōſtellationem, & efformandam figuram de conſtitutione Cæli in illa hora, imò in eo momento, in quo ille alicuius ſciendæ rei deſiderio inſtigatus Aſtrologum interrogat; ſiquidem putant, imaginationem, vel intellectum interrogantis moueri à cōſtellatione cæleſti, quæ ſi accuratè obſeruetur, portendit de re illa, quam ſciſcitator ſcire deſiderat. Non conueniunt tamen Diuinatores inter ſe de tempore, quo notanda eſt conſtellatio; nam aliqui putant, conſiderandum eſſe poſitum ſiderum in eo momento, in quo primum inceſſit cupiditas ſciendi de illa re; Alij verò autumāt, ſpectandam eſſe Stellarum diſpoſitionem eo tempore, quo Aſtrologus interrogatur, & alij illas ſiderum animaduertēdas eſſe ſygizias, quæ configurantur eo tempore, quo à Genethliaco fit conſultatio, erigitur figura, & redditur reſponſum. Vtcumque ſit, nihil eſt, inter nugas, & fallacias huius artis, quod magis ipſi detrahat, quā hoc delirium, quod ſanè præſupponit, phantaſiam, vel intellectum ſciſcitantis moueri in eo quæſito à conſtellatione, quod iam falſum eſſe demonſtrauimus. Prætermitto id, quod tradidit Lucius Bellantius Quæſt. 14. art. 7. de conditionibus Canonicæ interrogationis, ſcilicet interrogationem, vel nūquam, vel rarò à Cælo moueri. Etenim quærens moueri poteſt à naturali inclinatione in rem delectabilem, aut odibilem à frequenti cogitatione illius obiecti, à rememoratione multarum inferiorum cauſarum, ab intuitu ſenſibilium inferiorū ſimiliter mouentium; Quibus caſibus, inquit Bellantius, nihil veritatis in ſe continere interrogationis figuram, quoniam motio non fit à Cælo immediatè.

Contra interrogationes aſtrologicas.

Lucius Bellantius de interrogationibus.

Sed demus Aſtrologis aliquam interrogationis impetum à Cælo prouenire. Quæro ab ipſis, quænam competentia, quæ fœderatio, quæ coniunctio eſt inter conſtellationem intellectum interrogantis mouentem, & rem, de qua fit conſultatio, adeout conſtellatio, quæ me mouet poſtulantem, indicatura, imò paritura ſit rem, quam peto. Eſto tamen, quod eadem ſiderum poſitio mouens me interrogantem, producat rem, quam quæro, qui fieri poteſt, vt producat præterita, quæ iam

iam producta sunt, quorum causæ cæle-stes præteriere,& nullæ sunt,cum de præteritis etiam interrogationes ab Astrologis admittantur? Imò qua ratione talis constellatio ea futura producet, quorum existentia in longum tempus differetur, quando causa operari nõ potest,nisi dum actu est, & constellatio non erit, cum res eueniet? His rationibus motus Io. Picus lib. 4. aduers. Astrolog. cap. 13. tales interrogationes exibilat,& reijcit,tamquam fortuitas, & ex astris nullas causas ducentes, quamuis contrarium acerrimè tueatur Bellantius loco citat.& in resp.ad præallegatum Pici testimonium.

Contra electiones Astrologicas. Iisdem rationibus vrgẽtur, & refelluntur electiones, quæ ab hominibus fiunt circa res morales, & operationes à libero dependentes arbitrio, quas non dubitant Astrologi ita Stellis subijcere, vt moneant, spectanda esse Sidera, antequam homo opus aliquod aggrediatur; De quibus tum interrogationibus, tum electionibus fusè disputant inter Arabes Misehella, Alchindus, Aomar, & apud Latinos inter recentiores F. Thom. Campanella lib. 6. Astrolog. vbi multa de electionibus ab ipso fabulosa potius, quam viro philosopho, & religioso digna traduntur. Propterea Cardanus,licet Astrologorum Coryphæus, electionum vanitate spectata præfat. comment. in 3. lib. Quadrip. Ptolomæi eas sortilegas, atque indignas vocat, non solũ Christiano, sed viro bono; Quocirca Ptolomæus neq; de interrogationibus, neq; de electionibus tractationem instituit, tamquam de re, falso, nulloq; nixa fundamento, quamuis in Centiloquio multa ad hanc materiam spectantia legantur,cuius libri Authorem multi negant Ptolomæum. Illæ verò electiones, quæ habet principium non à nobis liberè operantibus, sed à natura non reijciuntur, sed laudantur à Cardano, si fiant cum Stellarum cõsensu, quales sunt electiones sumendi pharmacũ, mittendi sanguinem, serendi agros, nauigandi, & similia gerendi, de quibus hic differere non est opus, cum tantum mihi propositum sit, demonstrare, Stellas in interrogationibus non agere in humanam phantasiam, aut intellectum, neq; in electionibus humanam mouere voluntatem. Quare hac prima funditus euersa ratione, ad alia pro occultis Cælorum viribus propugnacula demolienda properemus. *Cardanus electionum reiector.*

SECTIO TERTIA.

In qua explicatur, temporum varietatem non Planetis, sed alijs causis adscribendam esse.

Decreta de temporum varietatib. SI Planetarum occultæ vires adimantur, nulla potest afferri ratio (ita argumentantur Astrologi) propter quam hyberno tempore aliquis repentinus tepor sentiatur, aut æstiuo vrgente calore, frigus quandoque corpora afficiat; Id enim attribuunt ipsi coniunctioni Solis cum Saturno, vel oppositioni, aut quadrato cum ipso, maximè adiuuante ortu fixarum Stellarum, quæ sunt ventosæ, vel pluuiosæ, quales Delphin, Orion, Præsepe, Arcturus, Hyades, Pleiades, Corona, Aquila, & aliæ. Augent etiam frigiditatem signa Zodiaci frigida, & humida de Trigono aqueo, vt Cancer, Scorpius, & Pisces, quando in illis congrediuntur Planetæ, quemadmodum è contra, media hyeme temperatur frigus, propter coniunctionem Solis cum Marte, vel cum Ioue, aut Venere, aut ipsius Martis cum Ioue, vel ptopter ortũ Stellarum, quæ æstuosæ putantur, vt sunt anteriores partes Leonis, & Canes: Verum quidem est, quod hæc Astrologiæ decreta præsupponunt qualitates primas Elementares in Planetis, vel ipsæ reperiantur actu,& formaliter in ipsis, vt censuit Ptolomæus, supra relatus,vel virtualiter tantum, & eminenter in ipsis comprehendantur, vt est D.Thom. sententia. Vtrumque verò à nobis supra reiectum est, & adhuc validius refellitur,quia cum virtus calefaciendi emanet ab essentia vniuscuiusq; Planetæ, propter lumen, quod omnibus est commune, dubio procul ab eadem essentia prodire non potest *Reijciũtur huiusmodi decreta.*

vir-

virtus infrigidandi virtuti calefactiuę cõtraria; Duo enim principia inter se pugnantia ab eadem essentia nequeunt proficisci, iuxta illud vulgatissimum effatum, Idem manens idem nõ producit nisi idẽ. Quare quamuis Sol media æstate cum Saturno coniungatur, non est putandum à frigiditate Saturni, quæ nulla est,& omninò fictiria Solis ardorẽ temperari, neq; media hyeme coniunctio Solis cũ Marte potest ingeminare calorem, quia,vt alibi demõstrauimus,Sol,fons lucis,& caloris, est calidior Marte, cui lumen, & calorem communicat. Multò minus præfatæ mutationes temporum acceptæ ferendę sunt sideribus fixis, quorum lumẽ est eiusdem rationis, & qualitatis; imo quorum lumẽ propter remotissimam distantiam, ad tellurem non pertingens, non potest actionem Solis augere, vel imminuere;Itaque totum prædictæ varietatis fundamentum in occultis Stellarum qualitatibus positum est, adeò vt cogantur Astrologi asserere, Solem coniunctum Saturno,propter ipsius Saturni qualitatem, quam nesciunt explicare, in suo calore temperari. Hæc tamen diuersitas causis inferioribus est concedenda, vt compertissimum est in Arist. doctrina, qui lib. 2. Meteor. summa 2. Cap. 2. agens, quod ad ortum Orionis, vsq; ad Ethesias, & Prodromos tranquillitas generatim contingat,non dat causas occultis Cælorum viribus, sed illas affert causas, quæ à nobis recensitæ fuerunt in disputat. Philosoph. agentes de Ignea natura Solis, & Siderum.

Quibus tandis temporũ mutationes ab Arist. tribuãtur.

Præterea idem Arist. sect. 26. Problematum 14. adducens causam, ob quam Orione oriente, dies maximè variantur, hanc esse animaduertit, quia scilicet contingit exortus, quando naturaliter maxima est in Elementis mutatio; Nam Orion oritur, ineunte Autumno, & occidit hyeme, in quibus temporibus magnæ fiunt mutationes.

Idem sect. 20. Problem. 12. quærens, cur Auster, Canicula oriente, moueatur, non in Astrum, sed in calorem Solis id refert; Ita enim loquitur; Regio inferior Orbis, Sole scilicet remoto, minus calida est itaque vapor inde largè emigrat; Tandem eadem sect. Probl. 13. quærens causam cur omnibus astris,tum oriẽtibus, tum occidentibus, & Cane præcipuè, aer mutetur, refert in actionem Solis, à cuius accessu, & recessu omnes dependent mutationes; Et de ventis, oriente Canicula, spirantibus, ait, causam esse, quia, æstu vigente, spiritus calidissimos oriri,congruum est, ideò cum Sol ad meridiem vergit, Austros euocat, etiam die, post brumam, quinto decimo, vt ibi Aristoteles obseruauit.

Hunc pariter reor fuisse sensum Hippocratis, & Medicorum, asserentium per Solstitia, & vernum, atq; autumnale æquinoctium, maximas fieri morborum mutationes; Atq; ita loquitur Hippocrates lib. de aere loc. & aquis: Oportet obseruare temporum mutationes, vt neq; medicinas in illis, nisi coactè, exhibeamus,neq; vramus,neq; secemus,priusquã prętereant dies decem,aut plures, & non pauciores, & addit, periculosissima esse Solstitia,& vtrũq; æquinoctiũ,sed præsertim autumnale, & monet, considerandos esse exortus, præsertim Canis, Arcturi,& Pleiadum occasum; morbi enim in his diebus maximè spectantur. Quæ omnia vera sunt, non tamen inferunt, occultas vires Astrorum, sed dumtaxat iudicant, in his temporibus magnas ob accessum, & recessum Solis cõtingere mutationes, à quibus humana corpora alterantur, & fiunt morbosa. De Luna pariter idem iudicium est ferendum, tamquam de altero Sole, vel de ipsius Solis vicaria,& de qua ita loquitur Aristoteles lib. 4. de Generat. Animal. cap. 2. Sol per totum annum hyemem, atq; æstatẽ facit, Luna per mensem id agit, quod fit non accessu, aut recessu Lunæ, sed ipsa crescente, vel decrescente, propter maiorem, vel minorem luminis,& caloris Solaris participationem.

Medici de temporum, & morborum mutationibus.

Effectus Lunares admittuntur.

Attribuunt Astrologi varijs constellationibus, quod sæpè hyems valdè frigida sequatur æstatem valdè calidam, sed vera causa est, quia calor terræ, aquæ, aeris non est naturalis horum corporum, vt est frigus; Quare cum Sol transmigrãs ad aliam partem Æquatoris, à nobis recedit, terra, aqua, & aer ad suas redeunt qualitates maiori cum impetu, eo modo, quo res naturales motibus violentis agitatæ, dum proprio appropinquant centro, velocius mouentur, & ob hanc causam aqua calefacta, si congelatur, frigidior fit alia aqua, & glacies in ea diutiùs per-

Quæstiones aliquot male ab Astrologis resoluta.

perseuerat. Eodem modo philosophandum est de æstate non admodum calida, sequente hyemem valdè frigidam, quia videlicet Sol, inueniens contraria impedimenta valdè potentia, non potest illa facilè depellere, vnde etiam si in Geminis, Cancro, & Leone moram trahat, non sufficit aliquando ad magnum calorem imprimendum; Vna verò æstas est calidior altera, non propter dominium Martis, sed quia Sol minora inuenit impedimenta, & liberiore radio, ac calore percurrit. Ratio serenitatis, quæ contingit tempore hyemis, & aliquando mense Ianuarij, non est referenda constellationibus, puta benigno aspectui Solis cum Ioue, sed frigori, quoniam tunc temporis, frigore suffocante vapores, non potest Sol ipsos excitare, imò qui nocte attolluntur, à frigore statim congelati, ratione grauitatis decidunt, vnde remanet aer clarus, & purgatus, & hyemali nocte apparent Stellæ minutæ, & Cælum serenitate perfusum.

Rationes nubilosi temporis. Quid dicam de nubibus, & tempore nubiloso, quod varijs constellationibus attribuunt Astrologi, vti aspectui coniunctionis, vel oppositionis Lunæ cum Saturno, vel Mercurio; Quod tamen adscribendum est Soli, qui suo calore eleuat vapores, non tamen detinet suspensos, alioquin nubes, recedente Sole, nocturno tempore discederent, & tamen noctis tẽpore magis nubilosum est Cælum, sed nubes in aere suspenduntur, propter earum raritatem, cum rariores sint aere subiecto; propterea supra ipsum natant, eò quia corpora rariora posita in medio, non tam raro, ascendunt, & densiora in medio minus denso descendunt; Et aduerte, quod licet nubes obscuræ videantur, non sunt omninò tamen opacæ, sed quidem densæ, quia valdè diuersa est densitas ab opacitate, sicut raritas à diaphaneitate, quamuis re vera non sit negandum, adesse aliquid opaci in nube, lumen Solis ad terram traiectum impediente.

Causa caloris, & frigoris. Contingit etiam multoties; post calorem sequi frigus, & post frigus calorem ferè eadem die. Rationes sunt Physicæ, non Astrologicæ, nam calor rarefacit aerem, vel aquam, vel terram, quia caloris est rarefacere, vt frigoris densare, aer vero rarefactus, & calefactu à radijs Solis, deficiente calore, seipsum colligit, & densat, præsertim in locis vmbrosis, ad quæ reflexus Solis radius non peruenit, ille autem frigidus aer in locis remotis conseruatus, communicat suam frigiditatem aeri proximo, qui parte post partem infrigidatur; Contra, quando per frigus aer est densatus, vel leuis succedens calor ipsum rarefacit, ideoq; post frigus sequitur calor.

De frigore in media æstate. Quibus ita præmissis, facilè soluitur nodus propositæ difficultatis de frigore media æstate aliquando ingruente, cuius rei causa est media elementaris frigida, quæ cum non potuerit à Sole superari, in aliqua nostri Hemisphærij parte, puta in septentrionalis plagæ frigidioribus partibus, vel producit frigidos afflatus, quales sunt boreales, vel excitata in occidentaliora generat ventos humidos, qui nostris regionibus perflantes, in medio æstu aliquam pariunt frigiditatẽ; vel si venti non assurgunt, ea materia concrescit in pluuias, quæ aerem, & terram infrigidát, vel tandem frigida illa materia alicubi turgens, suam proximo aeri cõmunicat frigiditatem, adeò vt aeris parte post partem refrigerata, nostri climatis aer aliquo frigore corripiatur.

De hybernatempore. Similiter ratiocinandum est de repentino tepore hybernos algores temperante. Id enim prouenit à materia calida, & sicca, cuius exhalationes per aerem diffusæ, ipsummet aerem dulci quodam afficiunt tepore; Talis autem materia calore Solis, quamuis tunc temporis exiguo, & imbecilli iuuatur, & attenuatur; Quod potissimum euenit serenis diebus hyemalibus, in quibus crassi vapores aerem non turbant, nec humectant. Si verò quæras, cur potius hac, quam altera die huiusmodi contingant mutationes; Respondendũ est, id prouenire, non ab aspectibus Siderum iam relatis, sed à materia tumultuante, nullo ordine se mouente, modò frigida, modò calida, quæq; sine vllo delectu circumcursat; Et cum varia, & incerta sit rerũ vicissitudo in illis, quæ sub orbe Lunari comprehenduntur, ab hac varietate, & inconstantia, non à Stellarum congressibus prædictæ mutationes oriũtur. Nunc verò ad aliam pro occultis afflatibus expugnandam rationem progrediamur.

SE-

SECTIO QVARTA.

Quæ continet partum Octimestrem non esse vitalem, propter malum Saturni influentiam, quam rationem nullius esse momenti demonstratur, allata vera causa de morte partus Octimestris.

Astrologi credũt ideò natos octauo mense nõ viuere, quia singulis vteri gerẽdi mẽsibus singuli Planetæ præsint, & propterea, qui primò, idem octauo mensi Saturnus dominetur, Planeta frigidus, & siccus, hoc est prædictis qualitatibus vitæ contrarijs. Ita refert Astrologorum rationem Io. Picus lib. 3. aduersus Astrolog. cap. 17. sed aliam subtiliorem commentus est Cardanus in lib. 3. Ptolomæi de astrorum iudicijs, vbi tradidit causam, cur partus octimestris non vitalis, petendam esse ab axiomate Ptolomæi, quod Natiuitas est similis generationi, siue conceptioni, quia nimirum natura emittit fœtum in ea constitutione Cæli, quæ simillima est constitutioni generationis; similitudo verò in hoc consistit, quod Sol est, vel in septimo signo, vel in nono, vel in decimo, vel in vndecimo in tempore natiuitatis, ab eo, in quo erat tempore generationis; Quare si Sol in conceptu fuerit in Aquario, nascetur necessariò infans, si viuere debet, postquam Sol fuerit in Leone, vel Libra, vel Scorpione, vel Sagittario; Et quia Leo respicit Aquarium de opposito, partus septimestris viuet quidem, sed cum difficultate. Si erit Sol in Scorpione, tẽpore natiuitatis, erit in quadrato adspectu sui loci prioris, tempore conceptionis, vnde etiam partus decimi mensis erit cum magna difficultate vitalis. Si verò Sol tempore natiuitatis, erit in Sagittario, respiciet de sextili Horoscopũ Geniture, atq; constituit inter initium Geniture, & Natiuitatem, spatium vndecim mensium, atq; ita erit vitalis partus vndecimi mẽsis, sed cum difficultate, quia radius sextilis est debilis. Si verò Sol in Natiuitate sit in Libra, erit in trino aspectu cum signo Geniture, & constituitur nonus mensis; atq; ita fætus noni mensis propter bonitatem, & validitatẽ aspectus, est maximè vitalis. Si verò nascatur fætus, Sole existente in Virgine, & constituente cursum octaui mensis, non est vitalis partus octimestris, quia nullũ tunc facit aspectum cũ signo, in quo erat tempore Geniture, & hæc est ratio potissima à Cardano allata, qui tamen obseruat cõtingere, partũ octimestrem viuere, quando Sol hora Generationis fuerit à principio in Piscibus, vel in Virgine, vel Geminis, vel Sagittario. Deinde tempore natiuitatis sit in octauo signo, quod imperet, vel obediat, iuxta numerũ graduum. Propter allatam causam, qui nascuntur duodecimo mense non sunt vitales, quia tunc Sol nullum facit aspectum cum signo horoscopante Geniture.

Pici, & Cardani astrologica rationes octimestris partus.

Exceptio in regula Cardani.

Compertũ mihi est, Hermetem aliam de vita Nati rationem afferre, putantem Lunam tempore natiuitatis esse in signo, quod ascendebat tempore generationis, & ascendens tẽpore natiuitatis esse idem signum, vel eius oppositum, in quo erat Luna tempore generationis.

Hermetis ratio.

Neq; me prœterit Cardanum aliam adducere causam de vita nati, scilicet, quod post Solis concordiam cum signis supra relatis, Luna, vel aliquis Planeta, dominus coniunctionis, vel oppositionis, præcedentis generationem, perficiat circuitum, vel commutetur, cum altero Luminarium, vel per directionem perueniat ad locum Luminaris, vel quod Mars perueniat ad locum oppositum, in quo erat in genitura, quia Mars, inquit Cardanus, propriè significat partum, eique præest, quoniam partus fit cum maximo dolore, multaq; effusione sanguinis, ac discrimine vitæ Matris, quæ omnia sunt Martis opera. Nihil tamen, vt ingenuè fatear, magis Astrologicæ vanitati aduersatur, quã dicere Martem maius infortunũ concurrere ad partum, tãquam causam in ipsius vitã influentem, quando Mars, ex Astrologico pronunciato, habet virtutem, non generandi, & conseruãdi, sed interficiendi, ac destruendi. Hæc pro Astrologis.

Alia causa vitalis partus ex Cardano.

Hip-

Hippocrates lib. de Septimestri partu aliam considerat causam, scilicet Quadragenarias, pates, & impares, & obseruat, quod Nati in imparibus, sunt vitales, in paribus, non. Propterea Decimestres, qui nascuntur in fine septimæ Quadragenariæ, tangentis Octauam parem, malè se habent, & plerique ex illis moriuntur. Qui verò nascuntur nono mense, facilius viuunt, & minus affliguntur, quia totus mensis nonus incipit cum septiina quadragenaria dierum, ducenti enim quadraginta dies sunt octo menses Solares ad vnguem, & sex quadragenariæ pares. Ideò in hac paritate quadragenarum partus non est vitalis, nonus autem mensis totus oritur cum septima quadragenaria, & est securissimus mensis, & natus in eo, est vitalis.

Hippocrates ratio de partu vitali.

Hæc Hippocratis doctrina, tamquam sapientissimi senis, &, vt sic dixerim, Oraculi Naturæ, est recipienda, ac veneranda, non quidem quod ipse admittat aliquam vim esse in numero quadragenario, quatenus numerus est, adeò vt habeat aliquam actiuitatem, vel malam, vel bonam in fœtum, aut partum; Nam, vt alias adnotaui, numerus est species quantitatis discretæ, quæ suaptè natura non est actiua, sed passiua. Imo, cum numerus formaliter sumptus distinguatur ratione à re numerata, completur per intellectũ, & suum esse habet ab intellectu, ita vt nullo intellectu cogitante, numerus in rerum natura non existeret; Quare si partus haberet aliquam bonitatem, vel malitiam à numero, ipsam obtinerent ab intellectu numerante, quod ferè ridiculum est, & absurdum. Idcircò sententia Hippocratis est, naturam occultis viribus à nobis ignoratis in numero quadragenario facere mutationem, adeò vt si pares sint quadragenariæ, parum felices æstimẽtur, si impares, magis probæ; Id quod etiã idem Hippocrates tradidit de morbis, nimirum in diebus imparibus iudicari, & quemadmodum ab ipso pronunciatum fuit, Naturam septenario numero gaudere, pueros infantes post septem menses emittere dentes, & de septennio in septennium naturam mutari; Ita etiam magnas constituit vires eiusdem naturę, in quadragenis paribus, vel imparibus; Causam tamen huiusce rei non rimatur, quia est inter arcana naturæ, quæ à nobis ignorantur. Propterea satius est, asserere cum Hippocrate sextam parem quadragenã, in qua nascitur partus octimestris esse ipsi noxiam, & lethalem, quam dicere cum Astrologis ipsum octimestrem partum haudquaquam esse vitalem, quia signum Zodiaci, in quo nascitur, nullum facit aspectũ cum signo, in quo fuit conceptus; nam, vt à nobis infra demonstrabitur, nulla est virtus in signis Zodiaci, nullaq; validitas in aspectibus. Ideò ad dissoluenda Astrologorum obiecta in hac parte, afferenda sunt verba Hippocratis lib. de octimestri partus, qui ita loquitur; Impossibile est, vt duas cõsequenter succedentes afflictiones pueri ferre possint, & propterea octimestres non superstites manent; Contingit enim ipsos consequenter affligi, tum ea, quæ in vtero fit afflictione, tum ea, quæ in partu accedit, & ob id nullus octimestris vitalis est. Io. Picus loco citato obseruat ex Hippocrate, causam, cur plerumque octimestris non viuat, esse, quia eo mense difficilis est vteri gestatio, tunc enim grauius se habent prægnantes, & in matrice grauia incommoda patiuntur. Et si pariant, duplici labore oppressas, & partus, & ægritudinis infirmissimas fieri, vnde necessariò contingere, vt ipse quoq; fœtus imbecillior factus, rarò diù viuat. Libeat tamen huiusce rei causam latius explicare; Fœtus, cum septimo mense omnium membrorum, & partium distinctionem, ac perfectionem acceperit, eius loci pertæsus angustiam se se huc, atq; illuc voluttans, & à secundina, qua vtero materno constringitur, se explicare contendens, se ipsum defatigat, ac debilitat; Itaq; si octauo mẽse è materni vteri ergastulo erumpit, ita ferè fractus, & debilitatus, vitam ducere nequit; Sciendum tamen est, vegetiores fœtus, quamuis octimestres, aliquando esse vitales, & vegetiores fæminas ipsos vitales producere, vt in Aegypto cõtingere scripsit Aristoteles, & Auicenna in Hispania. Hanc igitur puto esse veram, & germanam causam de morte octimestris nati, quam propterea non arbitror, assignandam esse cum Astrologis, vel Saturno, qui primo, & octauo mensi prægnantis dominetur, quod omninò fictitium est, & gratis dictum, vel diuersis

Hippocratis rationũ habere causam occultum in natura.

Hippocrates de octimestris partu à Pico illustratus.

Verã causa mortis octimestris partus.

Siderum aſpectibus, & Solis configurationi in ſignis, quæ habeant inter ſe connexionem; Sed quoniam hoc petit altiorem indaginem de inualiditate aſpectuũ, ad aliam tranſeamus diſſoluendam rationem, pro Cælorum afflatibus occultis ab Aſtrologis adductam.

SECTIO QVINTA.

Reijciuntur occultæ Cælorum virtutes, tamquam cauſæ efficientes metallorum, & vera cauſa tum materialis, tum efficiens ipſorum explicatur.

Conimbricenſes 2. Cæli Quæſt. 3. art. 2. & Ruuius lib. 2. Cęli cap. 3. Quæſt. 2. putarunt, calorem Solis profundiores terræ meatus penetrare non poſſe, atq; cum metalla in viſceribus terræ gignantur, arbitrati ſunt, ipſorum cauſam efficientem non eſſe calorem Solis, ſed occultas influentias Cælorum, quibus non obſiſtit craſſities terrę, quemadmodum lumini, & calori Solis eſt impedimento. Author huius opinionis fuit Hermes Triſmegiſtus, Sacerdos, Philoſophus, & Rex, qui ortum gemmarum Stellis fixis, & metallorum errantibus attribuit, vt teſtatus eſt Albertus Magnus lib. 3. mineralium tractat. 1. cap. 6. & hanc eſſe Aſtrologorum opinionem nemo nõ videt; Ideò Triſmegiſtus, & Aſtrologi exiſtimant, vnumquemque Planetam ſibi certam metalli generationem adſciſcere; Saturnum nimirũ generare plumbum, Iouem ſtannum, Martem ferrum, Solem aurum, æs Venerem, Hydragyrum Mercurium, Lunam argentum. Imò Chymici hanc opinionem ſequentes, vocant aurum, non aurum, ſed Solem, & argentum, non argentum, ſed Lunam.

Hermetis de gemmarum, & metallorũ ortu ſententia.

Hæc certè apud vulgus plauſibilia ſunt, ſed ſpecioſis referta figmentis, & neniæ, ac ſeniles fabulæ à vaniloquis adductæ à ſapientibus viris æſtimantur. Propterea dicendum eſt, quod quemadmodum Opifex Deus in prima rerum creatione tot animalium, & plantarum ſpecies produxit, ipſiſq; indidit ſemen, vel virtutum ſimilia producendi, ac propagandi, ita Deus creationis primordio varias metallorum ſpecies procreauit, ita exigente ornatu, & pulchritudine naturæ, ac Vniuerſi, & telluris diuerſis partibus tribuit facultatem producendi metalla, non quidem ipſa animandi, vel viuificãdi, cum omninò exibilanda ſit ſententia Cardani lib. 5. de ſubtilitate, putantis, & pluribus rationibus probare conantis, metalla, plurimaq; mixta eſſe animata.

Vera ratio generationis metallorum.

Hãc verò virtutem à ſupremo Authore naturæ telluri communicatam fuiſſe docet Magnus Albertus lib. 3. mineralium tract. 3. cap. 5 tradens cauſam effectricem metallorum eſſe motorem orbis explicantem formas naturales per motum Cæli, & qualitates Elementorum; Conſenſit Scotus 1. Sent. Diſt. 37. docens mineras generari à Cælo in viſceribus terrę. Quare ſicuti veriſſimum eſt à Mundi incunabulis ab Opifice naturæ collatam fuiſſe virtutem generatiuam metallorum telluri, ita prorſus rationi, & veritati conſentaneum eſt hanc virtutem à cælico influxu, non per occultas qualitates ipſius Cæli, ſed per motum, lumen, & calorem Solis cõſeruari; Hinc in Ilua, vulgò Elba, Tyrrheni maris inſula, in qua ſunt ferri fodinæ, ſi ex ipſis eruatur ferrũ, denuò poſt viginti circiter annos renaſcitur, quod teſtatur Maginus tabul. 12. Geograph. Georgius Agricola lib. 5. de Ortu, & Occaſu ſubterraneor. & Conimbricenſes tract. 13. Meteorologiæ cap. 1. & 2. Quod clariſſimum argumentum eſt in illius terræ matrice impreſſam fuiſſe à Deo virtutem gignendi ferrum; & quod aſſeritur de illa terra, affirmandum eſt de cæteris terræ fodinis, è quibus metalla eruuntur, & denuò poſt aliquos annos generantur. Hinc idem Agricola putauit cauſam proximam efficientem metallorum eſſe virtutem, ſeu ſuccum lapideſcentem, Albertus illam virtutem appellauit mineralem,

Alberti Magni, & Scoti ſententia.

Ferri generatio in Elba.

Cauſa proxima metalla efficiens.

&ego

& ego re uera existimo præter frigus, & calorem, quæ, vt mox dicam, sunt causæ proximæ efficientes metallorum, adesse aliquam virtutem peculiarem telluri insitam ab authore Naturæ, cuius vi metalla gignuntur. Quod verò frigus, & calor sint causæ fossilium, quæ sunt gemmæ, lapilli, metalla, præter clarissimum Aristotelis testimonium lib. 3. Meteor. cap. vlt. testantur Fonseca lib. 1. Metaph. cap. 2. Quæst. 6. sect. 3. Suarez disp. 28. Metaph. sect. 3. Conimb. 2. Phys. Cap. 7. Quæst. 18. art. 3. Ruuius 2. Phys. Quæst. 4. Itaq; docet Aristot. halitum humidum intra terræ viscera inclusum, à siccitate, & frigiditate coagulatum, esse materiam, ex qua conficiuntur metalla, vnde non constituit solum vaporem materiam metallorum, sed halitum ex vapore, & exhalatione conflatum. Hinc metalla propter siccitatem igniuntur, & propter humiditatẽ liquescunt, & ex his duobus in vnam molem concretis, densitatem, & grauitatẽ acquirunt. Quare, vt dixi, concurrit calor, attenuando, & expirationem gignẽdo, cõcurrit verò frigus, cogendo, & densando. Propterea metalla magna ex parte in locis montosis, & syluarum opacitate vestitis generantur, quia in ipsis adest siccitas cum aliqua humiditate coniuncta, calorem autem inesse terræ, docet Arist. 2. Meteor. cap. 3. causas saporum in fontibus, & fluminibus conijciens in ignem; Et cap. 4. ventorum explicans causas, asserit, terram multum ignis, & caliditatis in se continere, & cap. 8. affirmat, ab igne terram calefactam, multos spiritus extra, & intra generare; & tandem ignem in terra comprehendi demonstrant aquæ calidæ thermarum erumpentes ex terra, quæ etiam recenti fusione fumant, & aquæ calidæ, vt dixi, hyberno tempore hauriuntur ex puteis, quia calor est vegetus in terra, ob ipsius densitatem, & ambientis frigiditatem.

Frigus, & calor fossilium causa.

Cur metalla in locis mõtosis, & opacis generentur.

Metallorũ in aere generatio.

Non est tamen prætermittendum metalla etiã in aere, ab iisdem causis generari, quãdo memoriæ proditũ est lapides, ac metalla ab aere in terram decidisse; Neq; putandum illa corpora huc illuc turbine, ventorumq; impetu fuisse delata, sed in aere generata; Ideò Conimbricen. tract. supra relato referũt ex halitibus in sublime euectis gigni interdum in aere ferrum, æs, aliaque huiusmodi, atq; in Perside ænea corpora hamatis sagittis similia, cælo coruscante, defluxisse, & delapsam esse etiam molem quinquaginta librarum, quæ præ maxima duritie frangi non poterat, & in Hispania, in Valentiæ Regno superiori ætate decidisse è nubibus massam lapideã metallicis venis infectam; Ergo lapides, & metalla generantur in aere; Neque aliam censeo esse causam generãtem fulmina in aeris gremio, quibus, vt cecinit Poeta, Iuppiter rubente dextera, sacras iaculatus arces, terruit Vrbem.

Fulminum generatio.

Consona est prędictę metallorum materiæ, quæ est exhalatio vapori mixta, sententia Chymicorum, constituentium pro materia metallorum sulphur, & argentum viuum, asserentes in metallorum venis vtrumq; reperiri, tamquam materiam, ex naturæ instituto, ibi collocatam, vt ex ipsa gignantur metalla. Etenim sulphur correspondet exhalationi, & argentum viuum, quod semper est liquidum in visceribus terræ, correspondet vapori, quamuis, vt verum fatear, fossores metallorum, vt tradidit Agricola, testati sint non semper in metallicis venis sulphur, & argentum viuum reperiri. Sed vtcumque sit, sulphur à calore cum maximè sit siccum, argentum viuum à frigore, cum siccitate, & humiditate constet, licet non penitus condensata, generantur.

Materia metallorũ ex Chymicis.

Addo etiam Antiperistasim numerandam esse inter fossiliũ causas, quæ, vt alibi adnotaui, est intensio qualitatis proueniens ex contrarij circumobsistentia, siquidem partes contrarij obsessi coram aduersario refugientes hostilẽ impetum, se se colligunt, vt se melius tueri queant, vnde virtus vnita fit fortior; Quam antiperistasim pollere in natura indicat Hippocrat. sect. 1. Aphorism. 15. de sthomacis, Vere calidioribus, & melius concoquẽtibus. Idcircò Arist. 1. Meteor. summ. 3. cap. 1. testatum reliquit grandinem fieri tempore calidiore, quia guttæ aquæ descendentes in infimam regionem, æstu insistente, in globum se glomerant; Eadem de causa aquæ puteales hyeme sunt calidiores, tum quia frigus obturat meatus terræ, ne ab ipsis spiritus calidi euolent, tum quia parte calidæ terræ augentur, propter frigus circumstans. Propte-

Antiperistasis fossilium causa.

Grandinis concretio.

Aqua puteales cur hyeme calida.

Cur calida magis incalescant ad vmbrã, quam ad Solem.

rea tradidit Arist. sect. 24. Problem. 13. res calidas magis incalescere ad vmbrã, quam ad Solem, quia nimirum frigiditas vmbræ auget calorem obiecti, quod obsidet; Sol verò suo maximo calore euocans à materia partes calidas, ipsam aliquando minus calidam efficit. Simili igitur ratione philosophandum est de generatione metallorum, quorum productio in visceribus terræ plurimum ab antiperistasi iuuatur.

Productionem metallorũ à planetis non fieri.

Nunc superest, vt Hermetis, & Astrologorum rationem refellamus, negantes metallorum productionem fieri à Planetis, adeò vt cuiq; Planetæ species metalli subijciatur, quia contra hanc opinionem valet ratio adducta à Conimbric. & Ruuio; Nam quemadmodum ipsi putant calorem Solis non pertingere ad viscera terræ, propter ipsius impedientem opacitatem, ita multò magis existimandum est, exiguos calores cæterorum Planetarũ internos telluris meatus non permeare; Neque afferant, fossilia non produci à manifestis qualitatibus, sed ab occultis Planetarum, quia contra ipsos hæc pugnar ratio meo iudicio inuictissima. Si Chymica arte aurum conficitur, vt plurimi probant, & testantur Sapientes, eatenus ars Chymica aurum conficit, vel metalla transmutat in aurum, quatenus imitatur naturam, eligendo materiã proportionatam, & communẽ metallis, quæ ex ipsorum placito, est sulphur, & hydragyrium, & imitando gradus caloris Solaris, quibus in terræ visceribus generatur aurum; Quoniam autem ars Chymica nõ potest imitari occultas virtutes Cælorum, quæ prorsus ignorãtur ab humano ingenio compertissimum fit, non ab arcanis Planetarum afflatibus, sed à calore Solis metalla generari; Qui calor attingens superficiem terrę ipsam peruadit, & calefacit, illaq; pars calefacta communicat suum calorem proximæ parti, atq; ita successiuè calor Solis propagatus peruenit ad eam partem telluris, cõstantem ex matrice, & virtute metallica, qua, vt supra dixi, ipsa metalla ex exhalationibus, & vaporibus gignuntur. Itaq; non est necesse inuehere occultas virtutes Cælorum pro fossiliũ generatione, quando ipsa in telluris gremio sufficienter à calore Solis, tamquam à causa vniuersali, generentur; Quod si gemmæ, lapides, metalla, habent occultas quasdam vires, quibus morbis medentur, & admirabiles pariunt effectus, id non hauriunt à cælico occulto influxu, sed à propria forma, & substantia, vt tradidit Alex. de Angelis lib. 1. in Astrolog. cap. 17.

Argumentum ab arte Chymica.

Quomodo generentur metalla.

SECTIO SEXTA.

Disputatur de diebus Criticis, eosq; à motu Lunæ non dependere demonstratur.

PRopugnatores occultarum in cælestibus orbibus virtutũ magnum sibi firmarunt præsidium in diebus Criticis, quos à Lunæ motibus proficisci arbitrantur. Ideò ad ipsorum propugnacula demolienda, meæ sunt partes, nõn quidem integram, & completam de diebus Criticis tractationem instituere, quam præstantissimi Medicæ disciplinæ professores egregiè confecerunt, sed dumtaxat in hoc articulo versari, quod dies Critici non proficiscuntur à Luna; In qua Disputatione hac methodo incedam. Primò ostendam, Lunam suis phasibus, & configurationibus ad Solem, dies Criticos non producere; Secundò idem demonstrabo de Lunæ aspectibus ad seipsam; Tertiò considerabo Lunam cum habitudine ad alios Planetas, neq; à tali habitudine dies Criticos suscipere vires indicabo; Quartò veram, & germanam causam dierum Criticorum enucleabo; Quintò explicabo qua ratione intelligenda sunt multa, quæ Lunæ, ac Soli attribuuntur; Et hæc omnia in Puncta diuidam, & digeram.

Præsentis disputationis diuisio, & ordo.

PVNCTVM PRIMVM.

De Luna ad Solem habitudine.

Lunæ phases.

LVnam variam habere cum Sole habitudinem, & configurationem, sensu ipso compertissimum est omnibus. Hinc ipsa apparet cornicularis, vel falcata, diuidua, plena, & tumida, & gibbosa, propter maiorem, & minorem Solaris luminis participationem; Idcircò afferunt Astrologi, quod in septima die, quo Luna tetragona radiatione illuminatur à Sole, natura mutatur; In decima quarta, quo die aspectu diametrali ab eodem Sole illustratur, contingit pariter in humoribus alteratio, atq; idem dicendum de reliquis Lunæ ad Solem phasibus, & aspectibus. Hæc opinio nullo alio nititur fundamento, quam quod omnes morbi incipiant in Nouilunio, adeò vt supradictæ configurationes ordinatim procedentes, ordinatim etiam producant dies Indicatorios, & multò magis Decretorios. Verum cum ægritudinis incipiant, non semper in Nouilunio, sed in diuersis Lunæ ad Solem aspectibus, non potest, tamquam regula dierum Criticorum, Lunæ habitudo ad Solem spectari. Etenim quæro ab Astrologis, si aliquis ægrotet secunda die Lunæ, quisnam erit dies septimus in eo morbo considerandus? Certè, ex ipsorum dictis, ille dies, qui est septimus à coitu Solis cum Luna; At ille idem dies, habita relatione ad principium morbi, erit sextus, & non septimus, igitur non in septimo die morbi, sed in septimo die Lunæ fiet Crisis; Quod tamen aduersatur vniuersæ Medicæ facultati, affirmanti, Crisim fieri in die septima morbi.

Lunarium phasiū natura ex Astrologis.

Luna velocitas, & tarditas.

Præterea, ex Astrologorum communi doctrina, Luna in Zodiaco mouetur modò citatiori vehiculo, modò tardiori, quatenus in Epycicli parte superiori, aut inferiori raptatur; in parte enim superiori tardius, in inferiori celerius mouetur. Propterea cum Luna velociori motu cietur, citius ad aspectum suum quadratum perueniet; Si verò raptetur segnius, in eumdem configurationem tardius impinget; Hinc Quadratura cadet aliquando sexta die, aliquando octaua, igitur dies Criticus erit modò sextus, modò septimus, modò octauus, quod est, vt infrà dicam, Medicæ artis pronūciatis non consentaneum.

Duplex Lunæ motus.

Lunæ verò motum, modò tardiorem, modò velociorem esse, supponēdum est ex Astronomiæ decretis; ex quibus patet, & præsertim ex Tychonis doctrina, duplicem in Luna spectari motum; Verū scilicet, seu rectum, medium porrò, seu æqualem. Luna verò motu aliquando vno die gradus quindecim, minutaq; decem & septem absoluit, qui citissimus est motus, aliquando verò gradus vndecim, mirasque quadraginta octo minutorum, qui tardior perhibetur; & qui termini variæ à Ptolomæo, Alphonso Castellæ Rege, & Copernico statuuntur; Motus verò medius solum ab Astronomis est excogitatus, quippe qui est imaginarius, vt adhibitis æquationibus, quæ ex Eccentrici, ac Epycicli irregularitatibus desumūtur, verus demum motus exurgat; Hunc verò motum medium vnanimiter Astronomi constituumt, graduum tredecim, minut. decem, secund. trigintaquinque, & medium inter velocem motum, ac tardum ponunt. Iam ad rem nostram. Si Luna per suum verum motū in suo Eccentrico, & Epyciclo aliquando anticipet Quadraturam cum Sole, atq; illam faciat in die sexta, vel propter suum tardiorem motum, faciat quadraturam in die octaua, eueniet, vt illæ, qui ægrotauit in Nouilunio, patiatur aliquando Crisim in die sexta, vel in die octaua, igitur dicendum est, quod dies sexta sit verè Critica, & possit esse Crisis in ipsa facta, vel bona, vel mala; Attamen hoc aduersatur Hippocrati, & Galeno, atq; vniuersæ Medicorum phalangi docenti mutationem factam in die sexta nō esse verè Criticam, sed symptomaticam; Hinc dies sexta semper mala prædicatur, & dies tyrannus à Galeno appellatur, ad differentiam diei septimi, qui dicitur dies regius. Propterea Hippocrates in Coacis prænot. & 4. Aphorism. 29. & 62. habet; Quibus rigores in sexta die fiunt malum, sudores in sexta die pessimi sunt; Icterus sexto die, lethalis; In Epidem. Vxor Dromeadæ sexto riguit, & interijt; & 3. Epid. Hippocrates, & Galen. 1. de Diebus Decretorijs cap. 4. perniciem huius diei sexti enarrant. Itaq; si à velociori motu Lunæ

Motus Lunæ ratio aliquādo dierum Criticorum rationi repugnant.

næ in die sexta dicatur fieri Crisis, hoc aduersatur Medicinæ, tradenti diem sextam, & semper esse malam, & symptomaticam.

Pici obseruatio de crisibus Lunæ apogea, & perigea. Adnotandum est etiam cum Io. Pico lib. 3. aduersus Astrologos cap. 6. quod quando pigra est Luna in Apogæo, sæpius septima dies, imò sexta est Decretoria, & quando est velox in Perigæo, persentitur humorũ agitatio in die octaua, vel nona. Igitur Crises non fiunt à motu Lunæ, quia Crises deberent anticipare, quando Luna velocior mouetur, & tamen tardant, & deberent retardare, quando tardior mouetur, & tamen anticipant. Quoniam verò hæc de inæquali motu Lunæ non solum conueniunt ipsi per habitudines, quas habet ad Solẽ, sed etiam per configurationes, quas habet ad seipsam, & eadem sequuntur absurda, deueniemus ad secundum Punctum, in quo considerantur adspectus Lunæ ad seipsam.

PVNCTVM SECVNDVM.

Dierũ Criticorum Astrologica ratio. Considerantes Astrologi, dies Criticos saluari non posse per motus Lunæ ad Solem, propter rationes à nobis supra allatas, aliam viam excogitarunt, qua dies Critici, tãquam veram, ac germanam Lunæ sobolem constituerunt. Idcircò asserunt Lunam, initio morbi, quod desumitur à Decubitu, vel à læsis actionibus ægroti, spectandam esse in illo signo, in quo reperitur; Itaut Criticorum primus dies fiat, quando Luna à principio ægritudinis quartam Zodiaci partem occupauerit, quæ cõstituitur ex grad. 90. Secũdus Decretorius est decimus quartus, quando videlicet Luna peruenerit ad diametrum, seu oppositionem, cum illo signo, in quo erat initio morbi, & percucurrit grad. Zodiaci 180. atq; ita dicendum est de cæteris diebus, tum indicatorijs, tum iudicatorijs, tertius enim dies decretorius est, cum Luna ad alium suum tetragonum peruenit, & absoluit in Zodiaco grad. 270. à morbi initio, & nouem signa compleuit, & fit Criticus, modò dies vigesimus, modò vigesimus primus, atq; etiã vigesimus secundus, propter Lunæ tarditatẽ, & celeritatem, quem motum sequitur dies indicatorius vigesimæ, qui potest esse nõ solum decimus septimus, sed etiam decimus octauus; Vltimus tandem dies Criticus est, quando Luna ad suam epocham, & locum radicalem, seu eumdem Zodiaci gradum reuertitur, quod vigesimo septimo, aut vigesimo octauo die potest contingere.

Difficultates in hac ratione. Hæc consideratio adspectuum Lunæ ad seipsam subijcitur eisdem difficultatibus, quibus obnoxia est Lunæ habitudo ad Solem, nimirum quod propter velociorem, vel tardiorem ipsius Lunæ motum, dies Criticus aliquando fit dies decimus tertius, aliquando decimus quintus, atq; ita modò fit vigesimus, modò vigesimus primus, modò vigesimus secundus; Quod, vt supra adnotaui, non rectè consonat cum Medica arte, & cum doctrina Hippocratis statuentis lib. 1. Epidem. dies decretorios, septimum, decimum quartum, vigesimum, vel vigesimum primum, vt etiam tradidit Galen. 3. de diebus decretorijs. Igitur vel falsa fuit Pronunciata Medica, vel Astrologica; Etenim qua ratione fieri potest, vt dies decimus tertius, vel vigesimus secundus per Astrologiæ regulas sint dies decretorij, si ijdem per Medicinę dogmata iudicatorij nequaquam censentur?

Dies septimus efficacissimus. Obseruo inter dies Decretorios primum locum, propter vires, & efficaciam diem septimum obtinere, vt tradidit Galen. lib. 1. de diebus decret. cap. 4. quem comparat Regi Clemẽtissimo, vt sextum Tyranno; Et huic veritati fauet maxima dignitas septenarij, in quo Hippocrates in lib. de principijs hominis, ætatem septimo numero constare affirmauit, & Aristoteles lib. 5. de hist. Animal. cap. 28. septenario hoc tribuit, quod in singulis septenarijs mutationes fiant. Quare si dies septimus inter Criticos dies validior est, sequitur, quod quando per tardiorem motum Lunæ, vel per velociorem fit motus in natura, & mutatio in morbo in die, vel sexta, vel octaua, non fit verus, & Criticus ille motus, sed solum quando contingit in septimo, igitur Luna non est dicenda vniuersaliter causa dierum Criticorum.

Addo, quod primus dies septimus censetur inter Decretorios primus, & validior. Hic prouenit, ex Astrologis pronunciatis, à quadratura Lunæ, vel cum Sole,

Quadratus tamē haud efficaciſſimus.

Sole, vel cum Signo, in quo erat à principio morbi, igitur quadratura erit efficacior oppoſitione, in qua contingit dies decimus quartus Decretorius, & tamen communi Aſtrologorum cōſenſu firmatum eſt, & præſertim doctrina Cardani ſtatutum, oppoſitionem inter aſpectus validiorem eſſe, ergo vel falſa eſt doctrina Medica, quæ tradit primum diem ſeptimum decretorium eſſe efficaciorem, vel falſa eſt propoſitio Aſtrologica aſſerens oppoſitionem, in qua contingit ſecundus ſeptenarius validiorem eſſe. Fortaſſe Aſtrologi obijcere poſſent diē decimū quartum inefficacē eſſe, reſpectu ſeptimi, non propter oppoſitionē Lunę, ſed propter paritatē dierū, quia natura magis in imparibus, quam in paribus mouet, ſed dicam decimum quartum diem eſſe imparem, non prout eſt compoſitus ex duobus ſeptenarijs paribus, ſed quatenus decimus quartus dies eſt dies ſeptimus ſecūdæ ſeptimanæ, ideò eſt ex numero imparium, & perfectè Criticus, & natura mouet in ipſo, teſte Hippocrate docente morbos acutos 14. diebus iudicari.

Vana obiectio Aſtrologorum.

Efficacia 4. & 11. dies non reſpōdet ſextili, & trino.

Noto etiam, quod quartus inter dies indicatorios primum habet locum, & præfertur vndecimo, qui eſt quartus ſecundæ ſeptimanæ; Hoc verò admittit abſurdum in Aſtrologia; Nam quarta die Luna facit aſpectū ſextilem cum ſigno, in quo erat, initio morbi; Vndecima verò die facit trinum, igitur ſi ex Medica arte, quartus eſt efficacior vndecimo, ſequitur ſextilem aſpectum eſſe efficaciorem trino, quod negant Aſtrologi, aſſerentes, inter aſpectus Hexagonum debiliorem eſſe.

Dies 22. medicè nūquam Criticus, Aſtrologicè Criticus.

Inſuper conſidero diem vigeſimum eſſe magis decretoriū, quam vigeſimum primum; Igitur illæ dies, qui magis accedet ad vigeſimum, erit pariter decretorius, vt vigeſimus primus, & minus Criticus erit ille, qui magis recedet à vigeſimo, ergo vigeſimus ſecundus ſtatui non poteſt Criticus, & tamen cum ſecunda quadratura Lunæ decreſcentis poſſit cōtingere in vigeſima ſecunda die, vt obſeruat Maginus de dieb. Decret. cap. 9. ſequitur, diem vigeſimum ſecundum, ex Aſtrologia, Criticum eſſe poſſe, cum tamen ex medica facultate Criticus non decernatur.

Galeni commentum de 20. die Critico.

Vigeſimum primum diem decretorium eſſe, non eſt probandum Galeni doctrina lib. 3. de Criticis diebus, vbi ad conſtituēdum Criticum vigeſimū diem, menſem medicinalem inuenit, tamquam portentum in Medica, & Aſtronomica facultate; Etenim triplex menſis Lunæ ſpectatur, periodicus, ſynodicus, & Apparitionis. Periodicus eſt curſus Lunæ à puncto Zodiaci, à quo diſcedit ad punctum, ad quod reuertitur, & conſtat diebus 27. & horis 8. ſeu horis 7. & min. 40. vel 43. Synodicus eſt illud temporis ſpatium, quo Luna à coitu Solis digreſſa rurſum ad congreſſum cum ipſo redit, & abſoluitur diebus 29. horis 12. min. 44. & hic menſis ſynodicus duodecies repetitus conſtituit annum Lunarem conflatum ex diebus 354. Menſis Apparitionis, ſeu illuminationis, eſt illud tempus, quo primum Luna incipit apparere poſt coitum, vſq; ad illud tempus, quo ſub radijs Solis occultatur, quod tempus à Galeno putatur eſſe triduum. His præhabitis, Galenus ex menſe periodico, & menſe illuminationis compoſuit mēſem medicinalem, conſtitutum ex diebus 26. & horis 22. vt diuiſione facta horum dierum, conſtitueret vigeſimū diem Decretorium, magis quam vigeſimam primum ad tuendam doctrinam Hippocratis tertio Prænot. vigeſimum diem Criticum decernentis. Qui menſis medicinalis ab omnibus tamquam commentum reijcitur, & præſertim à Io. Manardo Conciue meo peritiſſimo, qui lib. 15. Epiſt. Ep. 5. acriter reprehendit Galenum, & de diebus Decretorijs Lunæ adſcriptam ſententiam redarguit; Quem ſecutus eſt Thomas Eraſtus lib. 1. Epiſt. de Diuinat. Aſtrologic. Ep. 1. Maginus verò comment. in lib. 3. Galeni de diebus Decretorijs conatur aliqua ex parte ipſum defendere, & interpretans Galeni dictum de Luna triduo deliteſcente ſub Sole, oſtendit mentem Galeni eſſe non ipſam ſemper per triduum Solis radijs occultari, quando propter varias cauſas ab ipſo allatas cap. 2. Luna à coitu, modò poſt vnum diem, modò poſt duos, modò poſt tres, & etiam quattuor à coitu cum Sole dies poſſit apparere; Ideo, inquit Maginus, Galenum longiſſimos occultationes limites exprimere voluiſſe, adeò vt in to-

Triplex lunæ menſis.

Menſis medicinalis Galeni.

ta

ta temporis latitudine, in congressu cum Sole possit Luna triduo delitescere, cum reuera occultatio possit esse nonnumquã vnius diei, sæpius duorum, & perratò quattuor.

Galeni figmentũ inane.

Sed quoniam Galenus in suo mense Medicinali constituendo grauiter est hallucinatus, etiam ipsius doctrina de diebus Decretorijs ad Lunam relatis nõ est consona veritati, & sanè superuacaneum fuit ipsi ad vigesimum diem Criticũ statuendum, suum illum mensem fictitium inuehere, quando ex motu periodico Lunæ pateat vigesimum, & vigesimum primum esse Criticos. Siquidem ille motus persoluitur, vt diximus diebus 27. & horis 8. qui dies, & horæ si in quatuor diuidantur partes, quælibet pars constabit ex diebus 6. & horis 20. quæ horæ si triplicantur, faciunt dies 20. & horas 12. Vnde dies vigesimus potest dici Criticus, & per horas 12. quæ sunt partes vigesimi primi, etiam vigesimus primus est Criticus.

Dissensio inter Medicos circa diem 20. & 21.

Cæterum, his prætermissis, indico controuersiam esse inter Medicos, quisnam dies sit magis Decretorius, nimirum vigesimus, an vigesimus primus; Nam Celsus lib. 3. cap. 4. vigesimum primum facit Criticum, quia constat tribus septenarijs perfectis, vt vigesimus imperfectis, imò Hippocrates 1. Epid. 4. Aphorism. 36. & lib. de dieb. Decret. & de morbis vulgarib. sect. 3. & lib. de septimestri partu, vigesimum primum Criticum declarauit; Ego tamen sequor opinionem Iulij Cæsaris Claudini Bononiensis lib. de Dieb. Criticis sect. 3. cap. 1. vigesimum diem verè, & magis propriè Decretorium statuentis; Quod probat allatis multis Hippocratis testimonijs, & ratione adducta à motu naturali, qui est velocior in fine, ex Arist. 8. Phys. text. 5. Ideò cum Crisis sit motus naturalis, & natura in expellendo, primos septenarios compleuerit, per coctionem, & secretionem, celeriùs properans ad finem, tertium septenarium non complet, & Crisim in vigesimo celebrat. Quibus omnibus præiactis, hãc aduersus Astrologos conficio Argumentationem; Ille est dies Criticus, qui vel est vigesimus, vel participat de vigesimo: sed dies vigesimus secundus, in quo die, ex Magino, lib. de dieb. Decret. cap. 9. incidere potest secunda quadratura Lunæ, est Criticus per Astrologorum decreta, & non participat de vigesimo, ergo vel falsa sunt dogmata Medica, vel Astrologica.

Animaduersò etiam, quod eò minus dies sexta dicitur dies Decretorius, quia Medicorum axioma est diem septimum Criticum esse diem septimum completè, adeò vt enumerandi sint dies septem integri, ab initio morbi: Verum quidem est, quod cum Crisis non fiat in instanti, sed in sensibili temporis spatio, potest incipere aliquot horis ante diem septimum completum, & extendi in octauum, sed non fit in die octaua, ita vt illa dies critica censeatur; simili ratione dies vigesima prima potest esse dies Critica, & de facto sæpè est, sed motus criticus non potest ita differri, vt ad vigesimum secundum diem extendatur, atque dies vigesima secunda dies verè critica appelletur, quamuis in ipsa possit perseuerare aliqua commotio facta in die antecedenti verè Critico. Ex quibus omnibus colligo, dari Quadraturam Lunæ in vigesima secunda die, & tamen ipsam verè, & propriè non esse criticam, iuxta Medicæ artis dogmata; Quibus, tamquam veris regulis, atq; experientia comprobatis Astrologica pronunciata consona esse deberent.

Consideratio habitudinis Lunæ ad signa Zodiaci, & ad se ipsam.

Age porrò consideremus habitudines Lunæ ad Signa Zodiaci, & ad seipsam. Exempli g. Aliquis ægrotat existente Luna in Tauro, continget Quadrata irradiatio Lunæ die septima, quando ipsa perueniet ad signum Leonis, & compleuerit nonaginta gradus Zodiaci, ex qua distantia consurgit aspectus tetragonus, qui malus ab Astrologis censetur, vt potè constitutus ex signis diuersæ qualitatis, & naturæ; Quare cum Luna percurrit signum Leonis, habens qualitates contrarias Horoscopo, nimirum Tauro, in quo morbus incepit, natura ab aspectu quadrato, & à qualitate contraria signi Leonis excitata, aduersus morbum insurgit; Si valida est natura, & præualens humoribus noxijs, & morbo, fit bona Crisis, & mutatio ad bonum; Si verò imbecillis est natura, & viribus morbi inferior, magis vellicata in ipsa, & irritata humorum noxia qualitate, dat inditium succumbentiæ, & fit mala crisis, idest mutatio ad malum. Quod dixi de Quadrato proprio Lunę ad seipsam

seipsam constituente septimam diem criticam, idem repetendum est de aspectu diametrali, seu opposito, constituente decimam quartam criticam; Quæ quidem omnia inania sunt. Primò, quia supponitur, inter signa Zodiaci intercedere contrarietatem, quæ cum à contrarijs elementorum qualitatibus petatur, & tales in Cælo, & signis cælestibus non existant qualitates, dubio procul commentitia est in signis Zodiaci contrarietas. Sed demus Astrologis, talem extare inter Signa contrarietatem, interrogandi sunt, cur non fiat mutatio in humoribus, tertia die morbi, Luna ad Geminos perueniente; Etenim Taurus, qui est signum frigidum, & siccum, magis contrariatur signo Geminorum, quod est calidum, & humidum, quã aduersetur Leoni, quod est calidum, & siccum; Taurus enim conuenit cum Leone in qualitate passiua, nimirum siccitate, & pugnat cum Signo Geminorum in qualitate actiua, nimirum caliditate. Præterea esto Lunam facere mutationem in corpore ægri, cũ peruenit ad oppositum aspectum, scilicet ad Scorpium in die decima quarta; cur non agitat etiam humores in die duodecima, & decimatertia cum ad Libram peruenit? quæ magis aduersatur Tauro, quam Scorpius, qui conuenit cum Tauro in frigiditate, & Libra dissentit à Tauro in caliditate, & humiditate. Imò cur in decima quinta die, percurrente Luna Sagittarium, non fit maior humorum commotio? quando Sagittarius, signum igneum, magis pugnat cum Tauro de trigesimo terreo, quam Scorpius de trigono aqueo. Quæro rursus ecquid causæ sit, cur morbus non confirmetur in vndecima; Nam quemadmodum tetragoni aspectus discordant, ita trigoni concordant; Si igitur, quando Luna est, vel in quadrato, vel in opposito aspectu excitat humores, & facit dies criticos, quanam de causa, Luna conficiente trigonum in vndecima die, morbus non inualescit, non confirmatur, non augetur, quando trigonus habet congruentiã cum signo, in quo morbus incepit, & tamen communi Medicorum consensu decretũ est, diem vndecimam non esse noxiam, sed decimæ quartæ indicatoriam, in qua si fit aliqua commotio, indicans qualitatẽ diei decimæ quartæ, non ea tamen est, qualem exigit vis aspectus Trigoni: Tandem percunctabor ab Astrologis, si concordantia Signa concordes operantur actiones, & effectus, cur contraria Signa contrarios non efficiunt euentus? Si diametralis aspectus ex signis cõtrarijs conficitur, Luna perueniente ad opqositum signum illi Signo, in quo morbus inuasit naturam, non soluitur morbus? Itaque in maximas angustias coniecti Astrologi sibi quærunt perfugium, negantes, aliquã fieri in corpore à Luna mutationem, nisi quando reperitur in signis, quæ habent collegationẽ, seu configurationem cum illo signo, in quo morbus incepit; Quæ colligatio, cum fiat tantum in exagono, tetragono, trigono, & diametro, nulla est colligatio Tauri cum Geminis, vel eiusdem Tauri cum Libra, itaut in illis diebus, in quibus Luna percurrit ea signa non colligata cum signo, quod fuit morbi principium, nulla excitatur à Luna in humoribus ægri agitatio.

Rationes astrologicæ reijciuntur.

Astrologi hoc asserentes, proprijs se iugulant gladijs; Etenim commotio in humoribus, quæ fit in quadratura, & in oppositione Lunæ ad horoscopum morbi, vel prouenit à cõtrarietate signorum, vel à figura aspectus; si primum dicatur, sequitur, quod quotiescunque Luna percurrit signa contraria signo horoscopante, quod præstat, dum in tertia die peruenit ad signum Geminorum, & in vndecima ad Libram, efficiet mutationes in humoribus; Si verò secundum affirmetur, cum aspectus nihil aliud sint, quam relationes figuratæ distantiæ inter signa, sequitur, quod nullius sint efficaciæ, quoniam relatio, vt vulgatissimum axioma est philosophicum, ex sua natura nõ est actiua, sed sterilis; Figura verò exagona, quadrata, trigona, diametralis est species quantitatis, ex Arist. cui quantitati, & figuræ nulla conceditur actio; Igitur aspectus illi quocumq; modò considerati, sunt inefficaces, nullamq; valent in humoribus facere mutationem, & consequenter nequeunt dies criticos constituere. Igitur hucusque constat, Lunam, neq; per configurationes ad Solem, neque ad seipsam dierum criticorũ causam esse dicendam; & vtroq; puncto absoluto, tertium aggrediamur.

Astrologorum cõtradictiones.

PUNCTUM TERTIUM.

Luna configurata Planetis, præter Solem, dies criticos non producit.

RAdix, ex qua Astrologorum egerminat assertio, qua statuunt, dies criticos produci à Luna, præter Solem, cæteris configurata Planetis, hæc est. Arbitrantur ipsi, Planetas humani corporis humoribus præsidere. Iactant enim Saturnum excitare atram bilem, cui præest; Iouem commouere sanguinem, cui dominatur, Martem flauam bilem, cui imperat, & Lunam tandem pituitam, in quam præcipuè suas exerit vires. Commenta hæc sunt, nullis fulta rationibus; Enimverò si humores à Planetis dependerent, vtiq; eorum commotio eorumdem Planetarum motus consequi, atq; imitari deberet, & iuxta Planetarum tarditatem, aut velocitatem in motibus, citiùs, & tardiùs humores essent commouendi. Experientia tamen contrarium apparet; nam sanguis, cui dominatur Iuppiter, statim putrescit, vel si febris accendatur in spiritibus, quæ sunt partes puriores sanguinis, & Esimira est, breui tempore transit, & tamen Iouis motus, excepto Saturno, tardior est cæteris Planetis, duodecim enim annorum curriculo absoluitur; flaua bilis, quæ si sincera sit, & accendatur, constituit febrem tertianam, paucis horis deferuescit, & comparata flauæ bilis inflammatio ad atram bilem, quæ pariter inflammatur, & facit febrem quartanam à Saturno productam, parum distat tempore ab inflammatione atræ bilis, & tamen Martis motus velocissimus appellari potest, vt potè, qui duobus completur annis, respectu Saturni, qui triginta annorum vertigine circumrotatur. Quid dicam de quotidiana febri? in qua putrescit pituita, quam dicunt Lunam suscitare. Hæc febris plerumque horis quadraginta octo terminatur, & tertiana horis triginta sex, & tamen Luna, vt supra diximus, cursu periodico mouetur diebus 27. & horis 8. & Mars duobus annis. Igitur febris ex pituita citissimè terminare deberet, propter motum Lunæ, cæteris Planetis velociorem; constantissimum siquidem est Astrologorum axioma, quod tardiores Planetæ diuturnas efficiũt operationes, velociores minus diuturnas, & magis breues. Quapropter, cum humorum commotio nullam videatur habere cum Planetarum motibus connexionem, iam futile, & inconstans Astrologorum apparet fundamentum.

Planetarũ in humores prædominium reijcitur.

Motũ humorum planetarũ motum non imitari.

Accedat, quod si motiones humorum Planetis attribuantur, oportet etiam assignare causas, respectu Planetarum, ob quas periodi, seu paroxysmi in febribus statutis temporibus occurrant, adeò vt in pituitosis fiant recursus singulis diebus, in tertianis, alternis diebus, in quartanis, quarto quoque die; Et quamuis Petrus Aponensis, conciliator appellatus Different. 88. huiusmodi ordinem circuituum in astra referat; cui sententiæ videtur adhærere Daniel Sennertus tract. de febr. intermitt. cap. de caus. periodorum in febribus; Tamen existimo, febrium periodos petendos esse à fermento putredinali humorum, quod fermentum, iuxta copiam, & qualitatem vel tenuem, vel crassam, densam, calidam, vel frigidam diuersi fiat cursus, & periodos febrium, quæ rursus efferuescunt, quando materia, quæ antea in suo, quasi foco coercita quiescebat, rursus surgit, & exardescit, ex se tetricum vaporem diffundens. Cur autem statis diebus id fiat, non est facilè Medicis statuere, neq; huius loci est disputare.

Febrium periodi vnde proueniant.

Placeat autem pro huius rei validiori euersione considerare illa, quæ tradita sunt à Manardo lib. 15. Epist. Ep. 1. vbi hæc habet expressa verba. Ex hoc enim plerumq; euenit, vt laudati ab Hippocrate dies maligni sint, & quos ipse vituperat, boni. Declaro hoc dictum. Euenit, vt initio morbi, Luna sit copulata cum malefico Planeta, Marte, vel Saturno, & in quarta die eueniit etiã, vt eadẽ Luna faciat aspectum malum, puta quadratum, vel oppositũ cum malefico, certè, cum dies quarta sit indicatoria septimę, præsagiendum est diem septimam futuram esse malam; Cõtingit autem die septima bonus aspectus Lunæ cum benefico Planeta, Ioue, vel Venere, ergo tunc dies septimus, qui malus esse deberet, ita indicatus à die quarta, fit bonus, & dies quarta, quæ erat mala, & indicabat malum, fit bona. Hic est vnus ex sensibus Manardi, vt ego interpretor. Ex quo sensu apparet, quam in-

Manardi sententia.

Manardi censura in Astrologos. inconstans, & incerta sit indicatio diei quartæ, & quam facilè permutetur conditio diei septimæ, quæ iuxta regulam Medicam, deberet esse mala. Præterea est alter sensus Manardi, scilicet diem sextum malignum ab Hippocrate, & Galeno prædicari; Si autem die sexta morbi contingat aliquis aspectus bonus Lunæ cum benefico, dies sexta, quæ est maligna, fiet bona; & si in die septima, quæ ramquam Critica, laudatur ab Hippocrate, contingat malus aspectus Lunæ cum malefico, dies septima erit mala. Itaq; sapientissimè scripsit Manardus, quod, admissis Astrologis pronunciatis de diebus Decretorijs, pendentibus à configuratione Lunæ cum Planetis, dies ab Hippocrate laudati erunt maligni, & quos ipse vituperat, erunt boni.

Magini responsio ad Manardum. Maginus comment. in lib. 3. Galeni de dieb. decret. cap. 6. affert textum Manardi in prænotata Epistola, & conatur ipsius obiectis occurrere, quamuis, tanti viri pace dixerim, non satis eneruet à Manardo propositas difficultates; Quin aliqua tradidit, quæ neq; veritati Medicæ, neq; Astrologicæ doctrinæ vndequaque consentanea videntur. Ait vir præstantissimus, Lunaris circuitus dies à cælestibus causis nequaquam impediri, atq; ita loquitur. Non semper Lunæ congressus cum maleficis dies infelices efficit; nam si Luna à malefico aliquo impedita morbum concitauit, dum eadem deinde cum alio malefico alterius ab illo naturæ congreditur, non auget morbum, nec immutat, sed in eodem relinquit statu. Sit ex. g. ægritudo biliosa, qualis à Marte excitatur, iam verò dum Luna Saturno pituitosos humores fouenti copulatur, non sentiet ægrotus alterationem, sicq; etiam contra decumbens pituirosa ægritudine, Saturnina scilicet, Luna accedente ad Martem, non sentiet ille mutationem in peius; nam qua ratione Mars igneus pituitosas fouebit ægritudines? Hucusque

Responsio Magini expenditur. Maginus; Cuius dicta libet æqua veritatis trutina pensitare. Certissimum, & notissimum est in tertianis febribus sinceris solam bilem, in quotidianis solam pituitam, in quartanis solam melancholiã, vel inflammari, vel putrescere; In his febrium typis non obseruantur dies critici, sed in febribus continuis, vel intermittentibus, vel non, in quibus dicendum est, quod, cum humores in venis sint mixti, vno putrescente, alter quoque vel putrescere, vel saltem inflammari; Quare ille, qui decumbit febre cõtinua à Marte excitata, propter materiam calidam inflammatam putrescentem, quando Luna, quæ initio morbi erat copulata Marti, perueniet ad quadratum Saturni, æger persentiet damnum, & incommodum, propter humores frigidos, à Saturni aspectu excitatos, qui permixti cum materia calida puta cum bile, augent morbum; Igitur falsum videtur illud, quod asserit Maginus, Saturnum, pituitosos humores fouentem, non alterare ægrotantem ex humore calido accenso, & putrescente. Addo, quod quemadmodum aspectus boni Saturni, vt exagonus, & trigonus non iuuant corpora, sed minus nocent, quia Saturnus est suaptè natura maleficus, ita quicumq; malus aspectus, vel Saturni, vel Martis cum Luna, quantumuis Saturnus non præsit humori causanti febrim, tempore, quo Luna malè affecta excitauit morbum, tamen semper est noxius humano corpori, & præsertim ægro, in quo humores concutiuntur, & agitantur. Quæ cum ita sint, patet, Astrologos non satis tueri criticos dies proficisci à Luna configurata cum Planetis. Remanet igitur quartum à nobis propositum, quod est verum, & germanam crisis causam explicare. *Saturnus semper maleficus.*

PVNCTVM QVARTVM.

Aperitur vera causa Crisis.

In initio Disputationis protestatus sum meum non esse consilium integram de diebus Criticis pãgere tractationem. Idcircò prætermittam hìc refellere opiniones eorum, qui varias de diebus Criticis causas attulere; aliqui enim Pythagoricam doctrinam sectãtes, causam numeris adscripserunt, inter quos septenarius primum obtinet locum, & hanc opinionem Hippocratem amplexatum esse, aliqui ex Medicis opinantur. Amatus Lusitanus consonantiæ, & dissonantiæ dierum causam critici motus attribuit. Hieronymus Fracastorius, vir omni litterarum genere excultissimus, humori me- *Variæ opiniones de causis Crisium.*

lancholico, qui de quarto in quartum mouetur, causam crisis assignauit; Quæ opiniones, quoniam recensentur, & ad examen reuocantur à Claudino tract. de diebus decretor. ideircò, illis omissis, breuiter statuo, causam criticorum dierum immediatam, & proximã esse facultatem expultricem, conantem noxia expellere, præcedente humoris concoctione, quæ, cum aliquod temporis spatium requirat, euenit, vt talis stimulus naturæ incidat in dies illos, qui critici, idest iudicatorij appellantur, quia in illis natura dat materiam iudicandi, qualis sit ipsius conatus in expellendo noxium humorem. Propterea, si valida sit virtus expultrix, & regulata concoctio, bona fit crisis; si verò facultas expultrix humorũ copia, & contumacia obruta, deficit, vnaque facultas concoquendi suum non obeat munus, mala fit crisis. Ratio verò, ob quam natura statis diebus criticis nõ semper moueat, sed aliquando, vel ante, vel post, attribuenda est materiæ inordinatis motibus commotæ, quæ propter suam subtilitatem, furentem, & concitatam naturam antecedit diem septimum in morbis acutis, vel propter crassitiem, & lentorem tardius mouetur. Quare, cum natura irritata à varijs causis tum externis, vt à victus ratione, ab animi accidentibus, tum internis, vt à causa morbi, modò sit velocior, modò tardior in expellendo, facit in diebus criticis varietatem. Quamobrem satis mirari nequeo Claudinum lib. de diebus criticis cap. 4. vbi propriam de hac re profitetur explicare sententiam, afferre causam principalem criticorum dicrum Lunam, causam verò, fine qua non, naturam, & accessionem, seu paroxismum excitantem, & irritantem naturam, quæ profectò non promeretur nomen causæ accessoriæ, & vt ipse loquitur, causæ sine qua non, cum ipsa sit causa principalis omnium mutationum naturalium in corpore, iuxta pronũciatum Hippocratis. Naturæ sunt morborum medicatrices, Medicus autem minister Naturæ; Miror etiam ipsum secutum fuisse opinionem adscribentium crises motui Lunæ, tum quia hoc numquam probatum fuit Hippocrati, qui de diebus criticis disputans, de motu Lunę nullam fecit mentionem, tum quia hæc non fuit vera sententia Galeni, qui lib. 3. de diebus decret. cap. 10. testatur, à se ipso inuito sententiam de motu Lunæ in criticos dies fuisse explicatam. Ita enim loquitur. Nos quidem hæc paucis planè ijsq; inuitos scripsisse affirmamus; Vos, ò Dij immortales, nouistis, vos in testimonium voco, Hæc me amicorum quorumdam precibus vehementer adactum scriptis mandasse. Ex quibus verbis patet, Galenum agnouisse vanitatem Astrologicæ opinionis, quæ etiam eo tempore vigebat, de motu Lunæ, criticos dies producente. Quoniam verò adhuc multa de mutationibus in morbis tum Soli, tum Lunæ adscribuntur, ne aliqua animis Lectorum insideat de hac materia dubitatio, non erit ab re ipsa recensere, & germana Interpretatione explicare.

Vera causa Crisis.

Causa variationis dierum criticorum.

Censura in Claudinũ.

Galeni doctrina contra suam ipsius mentem.

PVNCTVM QVINTVM.

Aliqua Soli, & Lunæ adscripta ad ægritudines spectantia explicantur.

ANdreas Argolus, vir nostræ ætatis Astrologica, & Astronomica doctrina spectatissimus lib. 1. de Diebus criticis, & ægrotorum decubitu cap. vltimo, affert causam morbi cronici ipsi Soli, à cuius motu tales morbi alterantur, quemadmodum valetudines istæ, ac subitaneæ à Lunæ motu dependent; idcò, inquit ipse, in longioribus morbis obseruandum esse ipsum Solem, cum ad suas peruenit quadraturas, vel ad oppositos aspectus in Zodiaco. Propterea cum ad aspectum quadratum à loco, in quo initio morbi radiauerat, peruenit, diem constituit criticum, eodem modo, quando ad oppositum, similiter, quando ad quadratum secundum, ac sinistrum à loco radicali ægritudinis labitur, alios decretorios dies demonstrat, & tandem, quando ad epocham primam, ac locum radicalem ab initio remeat, facit mutationem in morbis annum non excedentibus.

Argoli sententia de causa morbi Cronici.

Id totum Argolo cæterisq; Astrologis libenter est dandum, non quia Sol habeat aliquam peculiarem influentiam in morbos cronicos, sed quia suo accessu, & recessu causat temporum mutationes, propter quas in morbis etiam mutationes cõtingunt. Ex. g. Aliquis decumbit, Sole Li-

Vera causa morborum cronicorum.

Libram lustrāte, & primam Autumni partem constituente; Idem Sol ad primum gradum Capricorni peruenit, & quadratum sinistrum constituit, & brumale affert tempus; tunc ægrotus vel peius, vel melius se habebit, si exigui sit caloris, quales sunt senes, ab ingressu Solis in Capricornum dicitur lædi ab Astrologis, at non à Sole recipit læsionem, sed ab hyberno tempore, & à frigore ingruente, Sole Capricornum percurrente, adeò vt exiguus calor à frigore facilè in ægrotante sene, vel maciato corpore extinguatur, & æger pereat. Porrò si iuuenis initio Libræ ęgrotauerit, Sole Capricornum ingrediente, sentiet in ægritudine mutationem, & forsitan liberabitur à morbo, quia calor natiuus vegetus in iuuene propter frigus circumobstans augetur, & superat morbi reliquias. Idem dicendum est de Sole ad suum oppositum perueniente, nempè ad primum gradum Arietis, quia tunc, florēte Vere, propter accessum Solis, humores alterantur, vel ad bonum, vel ad malum exitum, iuxta qualitatem morbi, complexionem, siue temperamentum ægroti, nō quia Sol faciat mutationem in ægro, propter aliquam influentiam, quam habet in primum gradum Arietis, tamquam oppositum primo gradui Libræ, in quo inchoauerat morbus, sed quia, vt dixi, per suum accessum ad nostrū verticem, seu Zenith, facit in aere, & in corporibus animatis mutationes; Atque, iuxta hanc interpretationem, intelligenda sunt verba Hippocratis supra allata; æstiuæ ægritudines hyeme terminantur, hyemales æstate.

Cur ortus, & occasus Stellarum in morbis obseruandi.

Iuxta hunc sensum Antiqui, & præsertim Hippocrates monebant exortum, & occasum Stellarum insignium obseruandum esse, non quia in Stellis fixis aliqua sit virtus mutans hæc inferiora, sed quia præcipuus ortus, & occasus illarum Stellarum, quas ipsi obseruabant, erat cōiunctus cum quattuor anni temporibus; Et quemadmodum nos quattuor anni tempora ducimus ab ingressu Solis in quattuor puncta cardinalia, æquinoctialia, & tropica; ita ipsi ducebant ab ortu, & occasu Stellarū. Siquidem hyemem inchoabant à Vergiliarum, seu Pleiadum occasu matutino, vsque ad æquinoctium vernale; Ver autem ab æquinoctio, vsque ad exortum Pleiadum matutinum; Aestatem inchoabant ab exortu Pleiadum, vsq; ad Arcturi matutinam apparitionem, & tandem Autumnum ab hoc termino vsq; ad Pleiadum occasum matutinum. Quare, sicuti & nos fatemur, ingressum Solis in quattuor pūcta cardinalia facere in Mundo inferiori mutationem, non propter influentiam, quam habeat in illa puncta, vel quod ex illis punctis aliquam hauriat virtutem, sed simpliciter propter accessum, & recessum à nobis, ita concedimus in exortu, & occasu Stellarum fixarum multas fieri mutationes, non quia ipsæ sint talium mutationum causæ, sed potius signa indicantia illa tempora, in quibus, Sole accedente, vel recedēte, mutationes contingunt. Quibus ita explicatis, compertissimum est, Solem non habere peculiarem influxum in morbis cronicis, vt opinatur Argolus, & cum eo tota Astrologorum caterua.

Quatuor anni tempora quomodo antiquitus definita.

Lunā non imitari Solis effectus in anni ætatibus.

Idem dicēdum est de Luna; propterea non approbo pronunciatum Astrologicum, cui videtur consentire Arist. lib. 4. de Gener. Animal. cap. 2. & Galenus lib. 3. de dieb. Decret. scilicet Lunā suo cursu hyemem, & æstatem facere, non aliter quam Sol per annuum motum; Vnde iactant Astrologi, primum Lunæ quadrantem esse hyemalem frigidum, & siccum; secundam quadraturam, quæ est oppositio, esse vernalem, calidam, & humidam; tertiam à Plenilunio ad secūdam quadraturam, æstiualem esse, calidam, & siccam, & ab hac quadratura ad Interlunium, Autumnale esse tempus frigidum, & humidum; Etenim nimis breuis est motus Lunę in suis quatuor quadraturis, vt nequeat mutationes parere, aliqua ex parte respōdētes mutationibus, quæ fiunt in quatuor solis quadraturis supra relatis. Addo experientiam sæpè sæpius contrarium indicare, quādo vel in duabus Lunæ quadraturis idem ferè temporis tenor seruetur, vel primus quadrans aliquando sit calidus, & serenus, referens Aestatem, secundus frigidus, & humidus, referens Autumnum. Quare cum omninò inconstans, & varia sit temporum conditio in Lunæ quadraturis, nulla ratione sunt cōparandæ Solis quadrantibus, in quibus stabiles, & diuturnæ fiunt mutationes. Hæc indicasse volui, vt demonstrem, Lunā in mense, suo cursu nō habere illam efficaciam,

quam

quam habet Sol suo motu annuo, adeò vt, quemadmodum Sol in diuersis quadrantibus consideratus facit mutationem in morbis, ita etiam possit facere Luna, cui tamen, vt mox subdam, aliqua cōcedenda est vis, & facultas humores mutandi.

Cur luminariū coniunctio sit noxia.

Assertum Astrologicum est, quod Solis, & Lunæ coniunctio semper noxia est, & præsertim partilis, vel si Luna combusta à Sole nō distet plus gradibus sex, aut dimidio suæ lucis orbe; Ideò si aliquis ægrotat in cōiunctione Luminarium, morbus lethalis censetur. Id aliquando visum est verum, & euentu comprobatum. Causa verò non est Astrologica, sed Physica; Etenim lumen Solis, & lumē Lunæ, quamquam sint duo lumina, vnum tamen est putandum, scilicet lumen Solis Lunæ mutuatum; Itaq; lumē Lunæ est Solis lumen ingeminatum; Luna igitur silēte, vel cum Sole coeunte, tellus est priuata illo lumine Solis, quod à Luna in ipsam deriuatur. Hinc materia frigida, & humida exorbitat, exultat, & dominatur. Hinc, Luna silente, maiores fiunt mutationes in aere, & maria turbantur, non propter aliquam vim occultam insitam coniunctioni luminarium in Elementa descendentem, sed quia Elementa, aer, aqua, & terra non tantam in se recipiunt Solaris caloris virtutem, quanta requiritur ad reprimendam materiam humidam exurgentem. Quare propter nimiam humiditatem in coitu Lunæ cum Sole dominantem, in ægrotis fit mutatio, & propter hanc eamdem causam fortasse verū est, quod iactant Astrologi, natum in coniūctione Luminarium, vel in Nouilunio morbis esse obnoxium, & rarò vitalem.

Nati in luminariū coitu cur morbosi, aut breuis vitæ.

Similiter dicendum est de Plenilunio, seu de oppositione Lunæ ad Solem, quo tempore in ægris corporibus sentiuntur mutationes, & efficaciores esse deberent; tamen minus efficaces sunt, quia breuius est tempus oppositionis, quam nouilunij, quod ante, & post coniunctionem operatur, cum Luna delitescat sub Sole, etiam post coniunctionē. Causa verò mutationis diuersa est; nam Luna plena lumine excitat humiditatē in corporibus, ipsamq; trahit à centro ad circumferentiam, quam cū non possit præ sui caloris imbecillitate superare, ipsa humiditas commota nouam affert ægroto; Idcircò traditum est, Lunaticos magis vexari tempore Plenilunij, & nomine Lunatici comprehēduntur etiam Epileptici, vt habetur apud D. Matthæum cap. 4. & 17. & sunt illi, qui morbo comitiali laborant, qui morbus magis sæuit, tempore Plenilunij, quia tunc à pleniore lumine Lunæ crebri humiditas magis commouetur, quoniam illud lumen est tale, vt non possit sua imbecillitate humiditatem siccare; Et hæc est communis, & vera Philosophorum doctrina, tradita à Vallesio de sacra Philosophia cap. 7. à Delrio lib. 3. Disquis. Magic. 1. p. Quæst. 4. sect. 5. à Conimb. lib. 1. de Cælo, cap. 3. Quæst. 8. art. 2. ab Hurtado tom. 3. disput. 2. sect. 6. Non est igitur, quòd occultis Lunæ viribus mutationes in morbis adscribamus, quando compertissimum sit, tales mutationes fieri à lumine Lunæ, Sole ipsi communicato, & contingere propter maiorem, vel minorem participationem caloris à Lunæ lumine prodeuntis.

Causa mutationū in plenilunio.

Mutationes à lumine, non ab occultis qualitatib.

Dum agimus de Luna aliquis fortasse desiderabit hic Disputationem de fluxu, & refluxu maris, Lunæ occultis qualitatibus à multis adscripto, vt docet Scotus in 2. dist. 14. quæst. 3. & videtur commune placitum Philosophorum, ita attestante Conimb. lib. 2. de Cælo cap. 3. quæst. 3. art. 2. vbi obseruat fluxum sæpè fieri non lucente Luna in nostro hemisphærio, atq; adeò putat hunc effectum per aliam vim occultam, quàm per lucē fieri; Quoniam verò hæc tractatio transcendit limites Disputationis de dieb. criticis; Atq; de Maris æstu, & reciprocatione agendum à nobis est in 2. Tomo, in tract. de Mari, ab hac Disputatione hoc tēpore supersedimus, & huic Disputationi finem imponimus; animaduertentes, quod si critici dies in ægritudinibus microcosmi, qui est homo, non producuntur ab occultis qualitatibus vel Solis, vel Lunæ configuratæ cū Sole, vel per aspectus ad seipsam, siue Lunæ configuratæ cum Planetis, à quibus morbi nullatenus dependent, etiam affirmandum est, postremam, & vniuersam Mundi crisim, in qua ipsius continget Interitus, nullatenus, aut à Sole, aut à Luna, aut à Planetis dependere.

Argumentum à simili.

SE-

SECTIO SEPTIMA.

Disputatur de Magnetica virtute, qua conuertitur ad polos, & ferrum rapit; primum de prima proprietate, mox de secunda.

Disputationis occasio. Defensores occultarum in cælestibus orbibus qualitatum magnum sibi in Magnetico lapide condiderunt asylum, & quasi Magneticam arcem, quo se reciperent, construxerunt; putarunt siquidem duas præcipuas Indici lapidis operationes, scilicet conuersionem ad Polum, & ferri raptum ab occultis astrorum virtutibus descendere, atq; hoc lapide Herculeo difficultatum monstra superasse crediderunt; Mihi verò cum hoc Hercule lapideo suscipiendum est certamen, ac demonstrandum, vtramque admirandum Magnetis actionem Cælum causam peculiarem non agnoscere.

PVNCTVM PRIMVM.

De Conuersione Magnetis ad Polum.

Magnetica hæc proprietas cui causa tribuatur. Primò igitur loco disserendum à nobis est de admiranda, & quæ diù Philosophorum ingenia defatigauit, Magnetis ad polos cõuersione; Circa quam vulgatissimum est Pilosophorũ, & Astrologorum effatum Directionem Magnetis ad polos Septentrionalem, & Australem à cælestibus influentijs vires, & motum recipere; Ideò putant, polos Magnetis, de quibus infrà dicam, ad polos cæli dirigi, vt ad sibi similes; quin arbitrantur, in toto magnete adesse partes respondentes toti cælo, quod cum motu continuo agitetur, non possunt partes magnetis ita ad eas partes cæli determinata vertigine, & positione dirigi, vt diriguntur ad polos cæli, qui stabiles sunt. *Marsilij, & Cardani sententia.* Hinc Marsilius Ficinus lib. 3. de vita cælitus comparanda putauit, à Stellis minoris Vrsæ, vel à cynosura prouocari magnetem ad inspectionem poli. Quam opinionem adamauit Cardanus lib. 3. de subtil. existimans magnetem trahi ad polum à cauda minoris Vrsæ; quem refellit, & deridet Scaliger exercit. 131. appellans hoc vetus somnium.

Magnetē non prouocari à Cynosura. Et sanè hoc pronunciatum nullo fulcitur fundamento; Etenim afferenda est ratio, propter quã facies Septentrionalis in magnete potius respiciat Vrsam, quã facies meridionalis. Addo, quod illa Stella Vrsę perpetuò circa verum Mundi polum rotat, cum nulla sit Stella, quæ præcisè, & exactè teneat polum; imò quę maximè accedit polo, distat ab ipso per tres gradus circiter ex doctrina Tychonis. Quare si Stellam sequi debet magnes, debet etiam semper in declinatione variari, quoniam illa Stella perpetua vertigine agitata, modò supra, modò infrà polum reuoluitur. Præterea terminos magnetici motus non esse in Cælo inde patet, quod facies magnetica respiciens Septentrionem non eleuatur, sed descendit, & tamen deberet eleuari supra Orizontem, quanta est exaltatio poli, & nihilominus videmus tum magnetem, tum ferrum magnete excitum deprimi infrà Orizontem, igitur hoc nobis argumento esse debet, magnetem non sequi polum. Tandem animaduertit Scaliger loco prænallegato, quod cum fixæ effectionis fixam quoque oporteat esse causam, & Stella polaris Arctica nullatenus fixa sit, & immobilis, non potest esse causa fixæ, & eodem modo se habentis effectionis; Et hæc est prima, & magis celebris opinio de magnetica ad polum conuersione, cuius falsitas ex dicendis clarius apparebit.

Agricolæ sententia. Georgius Agricola lib. 5. de nat. fossilium putauit non dirigi magnetem ad polos, quia ipsos amet, sed vt se restituat ad illum statum, quem in fodinis obtineba. Vnde supponit hic Author, magnetem in fodinis ita à natura efformatum esse, vt vtrumq; polum respiciat; Cæterum hic author debuisset afferre rationem, cur alij lapides, vel metalla non ita se moueant, vt se restituant ad suum statum; quoniam fautores huius sententiæ admit-

admittunt venas terræ, præsertim in montibus excurrere à polo ad polum, & explicare deberent, quænam sit hæc virtus, à qua mouetur magnes, & ad suum se dirigit statum.

Fracastorij sententia reyeitur. Fracastorius, qui, vt testatur Scaliger, in omni Philosophiæ, studiorumq; humanorum iudicio superioris sęculi facilè est princeps, lib. de symp. & antipat. cap. septimo videtur, tamquam bonus Homerus, dormitasse, adscribens causam magneticæ conuersionis ad polum fictis montibus magneticis hyperboreis, quibus ait, tantam vim inesse trahendi ferrum, vt prætereuntes naues, aut sistant, aut vi auulsis ferramentis resoluāt. Quod certè figmentum est cachinno dignum, & miror, virum cæteroquin eruditissimum hæc fabulamenta approbasse; Etenim si id proueniret ab illis mētibus ferreis, certè, quò magis magnes ab illis distat, minus illuc raperetur; At videmus pyxides nauticas circa æquatorem pari celeritate ad Septentrionem moueri, néc minori efficacia dirigitur in partibus Australibus. Verum magnetem à magneticis, vel ferreis montibus non acquirere verticitatem illud clarissimè demonstrat, quod versoriū, siue nautica pyxidula nullam facit peculiarem inclinationem versus Iluam, insulam positam in mari Tyrrheno, quando propè ipsam nauigia feruntur, cum tamen ipsa insula magnetum ferax sit. Quare cum naues, dum eidem insulæ se applicant, dum in anchoris stāt, dum discedunt, nullam sentiant in pyxide mutationem, & ferrum à syderitide illius loci tractum non ad insula, sed ad polum conuertatur, conuincitur euidentissimè, magneticam verticitatem à ferreis montibus, vel fodinis non dependere. Respondent aliqui, magnetem Iluanum in sua fodina, ac matrice, non habere vires; sed nulla est responsio, quoniam res maioribus viribus pollet in suo natiuo, quam in peregrino situ. Propterea Scaliger exercit. præcit. subsannauit hanc opinionem, & propriam explicans ait, terrarum omnium omnes substantias, facies, vires, à simili cæli pendere vultu; ideò potentia Sideritica dependet ab illa cæli parte, quæ septentrionali imminet puncto, & hic author, qui Astrologicam supra relatam rejecit opinionem, tādem in eam incautus labitur, asserendo hanc virtutem à cæli parte proficisci.

Scaligeri sententia refellitur.


Thaletis Milesij opinio. Superuacaneum existimo, refellere opinionem Thaletis Milesij, existimantis magnetem esse animatum, vt refert Aristoteles 1. de anima; Siquidem Thales, Heraclides, Plato, Platonici omnes, seniores Græci, Aegyptij, & Chaldæi Mundum anima præditum constituerunt; Aristoteles solos cælestes globos animatos putauit, non autem Elementa, & consequenter tellurem inanimem posuit. Cardanus in libris de subtilit. considerans cælestia corpora ex sententia Platonis, & Aristotelis esse animata, putauit animam non esse denegandam telluri, in qua tot animata producuntur; Nam, inquit ipse, si plantis, quæ filiæ terræ sunt, conceditur anima, cur matri negatur? Neq; officit, quod terra sit corpus homogeneum, organis carens, quæ organa, ex sententia Aristotelis requiruntur ad animam ab ipso definitam, actus corporis organici; nam ad omne animatum talia instrumenta non sunt necessaria, neq; in astris, quæ animata sunt, ex Aristotele, & viuūt, organa reperiuntur; quin in stirpibus quibusdam, ac vegetabilibus vix organa percipiuntur. Non est igitur, inquiunt authores huius opinionis, philosophicæ rationi dissonum asserere, tellurem esse animatam, & terrellam, seu magnetem globosum, habere verticitatem ad polos, tamquam partem attractam, à vigore emanente à tota tellure, cuiusuis, & anima præsertim in polis ipsius residet, tamquam in punctis, & extremitatibus, in quibus residet virtus vnita telluris.

Terrā non esse animatam. Hæc opinio veræ Philosophiæ, & Christianæ religioni non cohæret, quoniam si anima informatur tellus, facilè infertur ab anima moueri motu locali circumrotationis, qui omninò repugnat sacrę Scripturæ, & Sanctæ Ecclesiæ decretis; Addo, quod quemadmodum attribuunt animæ telluris conuersionem terrellæ, seu magnetis ad polum, ita etiam eidem animæ adscribunt tractationem ferri; Quare magnes esset animatus, ipsius anima nobilior esset anima hominis, cuius anima non agit extra corpus, & tamen magnes ageret extra, trahendo ferrum; quæ fuit animaduersio Scalig. exercit. 102.

Guilelmus Gilbertus Anglus tract. de ma-

magnete lib.3.cap.1.& lib.2.cap.2. nouam inuexit opinionem, scilicet, quod tellus vniuersa est magnus magnes, & quod telluris situatio est à polo ad polum. Quare cum magnes sit primigenia pars telluris, & terra sit coagmentata, & quasi composita per ordinem ad polos, Mundi, fit, vt eadem dispositio communicetur à tota forma terræ particulæ eius magneticæ, quandoquidem pars recipit suam virtutem à forma totius, cuius est pars; & quemadmodum si ex Luna, vel Sole extraheretur frustulum Lunæ, vel Solis, illud frustulum se disponeret eo modo, quo totus globus Lunæ, vel Solis se habet; sic frustulum telluris, quod est magnes, eo modo se habet, quo tota tellus, magnus magnes, qui cum suum ordinem habeat ad polos, eumdem ordinem participat lapidi magnetico.

Difficultates contra naturã terre magneticam. Hæc sententia multis fœta est difficultatibus; Etenim si tellus esset magnus magnes, numquam ferrum manibus teneremus, sed semper tellus sua magnetica virtute illud à nobis eriperet, & ab ædificijs extraheret. Præterea versorium pyxidis, non tam ad polos, quã ad quamcumque telluris partem se conuerteret, atq; vt ad polos se dirigeret, oporteret pyxidem è tellure remouere, & versorium ad concauum Lunæ deferre, ne à tota tellure attractum, à polis diuerteret, sed ad illos dirigeretur. Addo, tellurem non esse magnum magnetem, inde patere, quod tellus non est lapidosa, vt magnes, sed multis in locis argillosa, & haberet etiam virtutem magneticam in superficie, quam tamen vel nullam, vel sanè imperceptibilem non sentimus. Et quamuis concedendum sit ferramenta longo annorum tractu recipere verticitatem à terra, & hanc quidem non à partibus eiusdem internis, sed externis; attamen hoc non arguit totam tellurem esse magnetem, sed quidem virtutẽ magneticam inesse telluri, quod à nobis demonstrandum erit.



PVNCTVM SECVNDVM.

In quo rationibus, & experimentis demonstratur virtus magnetica in tellure, & vera causa magnetica directionis ad polos explicatur.

Fundamentum præcipuum directionis magnetis ad polos, est vniuersum terræ globum vim magneticam obtinere, idest habere virtutem, qua ex se totum, & omnes suas partes, quibus integratur, dirigat ad polum, qui sunt naturales totius terreni globi termini; Quare si per impossibile terra moueretur violenter à suo loco, non solum rediret ad proprium locum, idest ad centrum Vniuersi, sed se disponeret ad polos eo modo, quo nunc est disposita; Ita partes, quę sunt sub polis, non essent sub æquatore, sed redirent ad eosdem polos. Quare quemadmodum terra reuerteretur ad suum locum per suam naturalem grauitatem, ita se disponeret ad polos per virtutem magneticam, quam inesse telluri pluribus rationibus ostendit Gilbertus lib.1.cap.vltimo, quas superuacaneum est referre, cum apud ipsum spectari possint, Non sunt tamen prætermittendæ aliquæ rationes, quæ in re tam ardua, & obscura non leuis esse momenti videntur. *Directionis magnetica fundamentum.*

1 Et primò quidem terram virtutem habere magneticam probatur ex eo, quod ipsam communicat cancellis ferreis, quibus fenestræ muniuntur; Vnde bacilla ferrea in longum erecta, quæ manserunt perpendiculariter ad terram, vel fuerint fixa sub linea meridiana, vel non, dummodo ibi permanserint spatio quindecim, aut viginti annorum, prædita esse virtute magnetica experientia ipsa demonstrat; Siquidem pars inferior bacilli ferrei, respiciens terram, sua cuspide trahit partem meridionalem versorij, & fugit oppositam, pars verò superior, quæ respicit cælum, trahit partem septentrionalem versorij, & oppositam propulsat, quod P. Nicolaus Cabeus è Societate Iesu Conciuis meus, & dilectus amicus lib.1.de Philosophia magnetica cap.17. testatur se experientia comprobasse, vbi addit, quod in ignis instrumentis id manifestum fit; Nam si adhibeantur instrumenta domestica, quibus ignem sollici- *Virtus terre magnetica comprobatur.*

tamus, vt sunt bides, batillum, forcipes, apparet eam partem inferiorem, qua sollicitatur ignis, trahere partem versorij australem, manubrium verò, & partem superiorem trahere partem versorij septentrionalem.

Ratio magnetica virtutis in terra. Ratio verò potissima, qua prædictus author existimat; virtutem magneticam inesse terræ, conficitur ab ipso lib. 1. cap. 18. ad quam astruendam præmittit primò terram medium Mundi, siue centrum ipsius Mundi obtinere, & per centrum Mundi intelligitur illud punctum, quod se habet æqualiter ad omnes Mundi partes, quemadmodum centrum grauitatis est illud punctum, à quo ad partes oppositas æqualia sunt pondera. Terra igitur in medio Mundi collocatur, ob hanc potissimam causam, vt ipsam æqualiter circumamblat Cælum, & æqualiter ipsi communicet influentias; Etenim si in medio non consisteret, adeò vt vna pars ipsius propinquior esset cælo, quam altera, illa, quæ propinquior esset, magis à cælo afficeretur, minus autem illa, quæ longius distaret; Et quamuis hoc eueniat in terra, in qua vna pars magis participat influentias cæli, quam altera, id tamen non contingit propter maiorem propinquitatem ipsius terræ cælo, sed propter maiorem distantiam Solis ab illis partibus, qui non per medium Cælum suum peragit iter, sed per obliquum tramitem Zodiaci intra duos Tropicos, à quibus cum partes polares remotæ sint, minus afficiuntur cæli influentia, & minus productiuæ sunt. Natura igitur ita comparatum est, vt tellus ex se ad Cæli influentias æqualiter recipiendas in medio sit collocata, vbi detinetur à propria grauitate, ne scilicet fluctuet, & exeat, extra locum, & centrum proprium; Grauitas siquidem æqualiter conueniens toti terræ globo efficit, vt non magis moueatur ad vnam partem, quam ad aliam, sed vt cecinit ille, Ponderibus librata suis in medio conquiescat.

Motum fluctuationis terræ non competere. Hinc deridenda est eorum sententia, de qua latius dicam in secundo Tomo agens de terræ statu post finem Mundi, qui putant, terram habere quemdam motum fluctuationis, quem acquirit, si aliquod graue alicui parti terræ superimponatur, & qua fluctuatione euenit, vt continuò terræ centrum mutetur, & centrum grauitatis in centro Vniuersi semper idem non consistat; Nam huic fluctuationi ab ipsis confictæ non solum repugnat grauitas naturalis globi terreni, sed repugnat etiam resistentia aeris ex illa parte, in quam terra fluctuaret. Enim verò quemadmodum si alicui naui onerariæ aliquod pondus ex aliqua parte ponatur non magnæ grauitatis, videmus nauem illam non fluctuare, neq; moueri resistente non solum grauitate nauis, sed etiam obsistente aqua, in qua est nauis, quæ aqua ab illo pondere debet superari; Ita necesse est, quod si terra fluctuare debet, propter aliquod pondus in aliqua sui parte positum, illud pondus non solum habeat virtutem superandi totam grauitatem terræ, sed etiam superandi resistentiam aeris circumambientis terram; Vtrumq; autem est impossibile; idcircò terra propter grauitatem suam naturalem, neq; dimoueri potest loco, neq; in se ipsa fluctuare.

Motũ verticitatis terræ non competere. Præterea negandus est alius motus terræ, qui dicitur motus verticitatis, & circumrotationis in seipsam, vel circa proprium centrum; Contrarium enim philosophandum est de terra, ac de Sole; Nam quemadmodum Sol expers omnis grauitatis, vt de cælesti corpore demonstrat Aristoteles lib. 1. de Cælo, ab Oriente ad Occidentem, à primo mobili circumuoluitur viginti quatuor horarum spatio, & proprio motu ab Occidente in Orientem annuo cursu reuertitur, ita circumuoluitur in seipsum, & vno anno circa suum centrum decies, & ter circumuertitur, vt subtilissimè edisserit Christophorus Scheiner Rosa Vrsina lib. 4. part. 2. cap. 10. & putat spatio viginti septem dierum circumuolutionem in seipsum, & supra proprium axem cõficere; Quod sanè concedẽdum est Soli, propter suam naturam leuitatis, & grauitatis expertem; Verum terra à propria grauitate naturali habet, quod neque moueatur à suo loco, neq; in seipsum circumuoluatur; Negationem autem huius secundi motus putat P. Cabeus prouenire à virtute magnetica terræ, qua ita se disponit ad polos Mundi, vt numquam partes polares terræ vertantur ad Orientem, vel ad Occidentem, sicuti verterentur, si tellus in

Motus verticitatis Solis.

seip-

Cabei sententia de virtute magnetica terræ reijcitur.

seipsam circumrotaretur; Virtus igitur, qua terra se in tali continet situ, ab ipso virtus magnetica appellatur, adeò vt quemadmodum data est terræ grauitas ad impediendum motũ, extra proprium locum, nec non motum fluctuationis, ita data est magnetica vis eidem telluri, ad impediendum motum rotationis in seipsam. Fateor equidem hanc subtilem esse speculationem, sed satis non percipio, quomodo ex ipsa virtus magnetica in tellure colligatur, quoniam negatio terræ motus in seipsam adscribenda est eidem grauitati, propter quam tellus in proprio loco immobilis manet, cũ enim maior sit motus, qua terra extra suam sedem moueretur, quam sit motus, quo ipsa in seipsam circumduceretur, si primus motus negatur telluri propter natiuam ipsius grauitatem, cur etiam eadem grauitas secundo motui non repugnat, & ipsum impedire non potest? Accedat, quod resistentia aeris circumambientis terram, & eminentiæ montium, grauitatesque ipsorum impediunt naturaliter volutationem terræ in seipsam, quæ fortasse non impediretur, si tellus esset in vacuo, & esset sphæra mathematica, non physica, habens partes inæquales. Quare hæc ratio, quam magnifacit P. Cabeus, & quæ est ipsius Achilles, pro defensione magneticæ virtutis in terra, mihi, pace eruditissimi viri dixerim, non satis constans, & firma videtur.

Virtus terræ magnetica quæ?

Et quamuis allata ratio non cõuincat, asserendum tamen est cum Gilberto, & eodem Cabeo, virtutem magneticã conuenire terræ, & secundum totum, & secundum partes, adeout terra dirigat seipsam, & suas partes, ad polos, non Cæli, sed ipsius telluris; Quare, cum tercella, siue magnes, sit pars terræ, maternam virtutem imitando, quam à sinu matris recepit, ad polos terræ dirigitur; Non est tamen putandum, terminos, seu polos terræ, ad quos dirigitur magnes, omninò fixos, & stabiles esse, quoniam, vt infra dicemus, magnetes motum variant, & declinant à polis; Quod certè ostendit non esse in terra fixos omninò terminos, ad quos collineent; Etenim, vt obseruatum est à Nauigantibus, in Meridiana fortunatarum Magnetica pyxis in polum verum directè collimat, inde procedens

Declinatio magnetica.

ad Occidentem, pariter versoriũ ad Occidentalem plagam deflectit; Imò obseruatum est, quod in Meridiano Azorico non congruit perpetuo versorium cum meridiano vero, sed propè regionẽ Brasiliam deflectit versus Occidentem; igitur termini magnetici motus non sunt puncta fixa in Vniuerso, idest in tellure, ad quæ nullo errore vbiq; gentium conuertantur magnetica; Ideò asserendum est, tellurem habere suos polos cum aliqua latitudine, idest habere extrema, quę non sunt mathematica puncta, sed physicè sunt accipienda, itaut si pyxis nautica declinet, vt diximus, vel ad Occidẽtem, vel ad Orientem, non ob id dicenda sit non respicere polum, quamuis huiusce variationis alia à nobis subtilior causa, & verior infra sit afferenda.

Telluris polos latitudinem habere.

Sicut igitur terra habet polos, ita ipsos habet magneticus lapis, cuius poli sunt puncta terminãtia axem lapidis, qui si perforetur in medio, polos habet virtutis in partibus circumfusis, & hi poli vocantur facies magnetis, quorum altera in Septentrionem dirigitur, altera in Austrum, vel potius vnica est virtus in lapide ad disponendi ad meridionalem lineam, quod præstat per faciem, vel partem vergentem ad Septẽtrionem, & per aliam partem vergentem ad Meridiem, vel Austrum; Quare cum in magnete per medium ipsius excurrat linea, quę appellatur axis, ad quam lineam reliquæ lapidis partes suam virtutem dirigunt, extrema huius lineæ, poli lapidis dicuntur, in quibus præcipua virtus magnetica consistit.

Facies magnetis.

Axis magneticus.

Confirmatur experientia, nam si suspendatur magnes iusto æquilibrio, statim vnam faciem ad Septentrionem, alteram ad Austrum dirigit, sequens nimirũ polos telluris, cuius magnes est pars. Hãc eamdem verticitatem communicat magnes ferramentis, quæ à magnete excita ad polos diriguntur, & hac arte instruuntur pyxides nauticæ, & versoria horologiorum Solarium. Præcipuam autem virtutem magnetis inesse polis conuincitur experientia, qua si magnes ferreo puluere, vel scobe aspergatur, videmus scobem, vel ramentũ in medijs partibus magnetis, quasi prostratum iacere, in extremitatibus verò, scilicet in polis

Experimẽta magnetica.

erigi, & extendi, instar pilorum, qui præ timore in hominibus aliquando inhorrescunt; Quod certè nobis ostendit, ibi polos adesse.

Illud verò admirabile à Gilberto lib. 1. cap. 5. obseruatum est, & profitetur à seipso inuentum, & antea ignoratum, quod facies in magnete meridionalis polum meridionalem refugit, & facies septentrionalis refugit septentrionalē; Hinc magnes, qui in terra, vel minera conuersam partem habebat in austrum, dum est separatus à terra, illam conuertit in septentrionem, si liber suspensus pendeat; Itaq; magnes, qui ferro cōmunicat vim conuertendi se ad polos terræ, extremitatem, quam tangit, semper dirigit in oppositum polum ab eo, qui respicitur ab ea extremitate sui, secundum quam tangit extremitatem ferri, atq; ita contrarij poli contrarios alliciunt, & septentrionalis polus in magnete fugat septentrionalem polū in versorio, & allicit meridionalem, & è contra meridionalis polus in magnete fugat meridionalem in versorio, & allicit septentrionalem; & tandem experientia compertum fit facies cōtrarias in magneticis corporibus se mutuò coniungere; similes verò semper se fugere. Cuius admirabilis operationis causa à nobis quærenda est, ne hic admiratione dignus effectus in occultas cælorum qualitates referatur, vt imperiti mirabilia plerumq; solent referre.

Facierum magneticarū determinatio.

Contrariarum faciem coniunctio.

PVNCTVM TERTIVM.

Explicatur vera causa, ob quam in magneticis corporibus contraria facies se iungant, & similes se fugiant.

AD hanc rem explicādam inter omnia naturæ arcana difficillimam, sciendum est virtutem, vt sic dixerim, radiosam magneticam, effluētem à polo B, qui in magnete est polus septentrionalis, non solum esse virtutem dirigendi polum septentrionalem magnetis, vel polū septentrionalem in versorio à magnete excito ad polum septentrionalem terræ, sed etiam esse virtutem dirigendi ad polum australem, quoniam tota virtus residet in toto lapide, & excurrit vicissim à polo ad polum, non tamquam ad punctū virtuosum, & actiuum, quod sit principium virtutis, & actionis magneticæ, sed tamquam ad terminum radiationis, ac propagationis totius virtutis in toto lapide residētis, atque ita omnes radij, qui ab A polo australi in magnete propagantur ad B; & effluunt ab ipso B, non solum sunt radij dirigentes ad septentrionem, sed etiam dirigentes ad austrum, quia à polo austro etiam proueniūt, & simul vniti, ex B, tamquam ex cōmuni ostio prodeunt, & quod dico de B, polo septentrionali in magnete, idem repetendū est de A polo australi.

Virtus radiosa magnetis.

Hoc explicato, offeratur polus septentrionalis versorij polò septentrionali magnetis, videmus illicò versorij polū septentrionalem fugere septētrionalem polum magnetis, & polo septentrionali magnetis versorium suum vertere polum, seu faciem australem; Vnde hoc admirabile, & inter secreta naturalia omninò prodigiosum? Forsitan ab occultis astrorum qualitatibus id prouenit? Apage hoc asylum hominum imperitorū, qui rerum causas ignorantes, ad Cælorum arcana, ab ipsis pariter ignorata confugiunt.

P. Cabeus ex Soc. Iesu, qui sua magnetica Philosophia in sui admiratione eruditissimorum hominum trahit ingenia lib. 4. cap. 2. subtilissimè huius effectus causam rimatur, atq; hanc putat esse his verbis expressam. Magnetica se inuicem disponunt; & per motum se tali ratione cōformant, vt accommodent suam qualitatem, quam iam habent in se illi, quæ in medium diffusa est, vt iuuent se inuicem potius, quam ab inuicem patiantur; Quibus verbis explicat qualitatem, seu virtutem tum septentrionalem, tum australem à polo verbi gr. B deriuare, & in medio propagari, ac diffundi, cum hoc tamen discrimine, quod radius in remotiori parte ab ipso B propagatus, & diffusus, faciem habeat septentrionalem, radius verò diffusus in parte aeris propinquioris polo, faciem habeat australem, quia videlicet qualitas, quæ est in medio, recedendo à B, polo septentrionali, respicit septētrionalem; qualitas verò, quæ accedit ab A, polo australi ad B, polum septentrionalem respicit Austrum. Ideò cum facies septentrionalis versorij applicatur polo septentrionali magnetis, refugit, & ipsi vertit faciem australem, quia intendit se ac-

Cabei ratio.

accommodare illi Virtuti septentrionali, quæ diffusa est per aerem in parte magis remota à polo B, quando virtus australis est magis propinqua eidem polo per aerem pariter diffusa.

Cabeus refutatur. Hæc, vt verè fatear, subtilissima speculatio duo supponit, quæ indigeret aliqua probatione; Alterum est qualitatem, seu virtutem septentrionalem longius à polo septentrionali diffundi, quam australem, quod ab Authore est gratis dictum. Imò cum polus ille sit septentrionalis, magis congruum videtur, quod virtus septentrionalis ipsi polo sit propinquior. Propterea putauit ipse, quod versorium vertat, & accommodet faciem australem illi polo, & obuertat septentrionalem, quærendo qualitatem septētrionalem in parte aeris remotiore à polo septentrionali magnetis. Alterum, quod supponit est, quod illę duę virtutes sint quodammodo diuisæ, ac separatæ in medio, ita vt septētrionalis sit remota à polo septentrionali, australis verò ipsi polo septētrionali proxima; quod gratis pronunciatur; Nam si tota virtus est in toto lapide, & ab ipso excurrit per B, tamquam per ostiū commune, ipso authore fatente, nulla est ratio, cur vna propagetur, & spargatur longius, altera verò remotius; & quod vna ab altera, quasi in eodem medio separetur. Itaq; fas sit in te, tam obscura, & difficili aliam proferre sententiam.

Proprietas? Puto, quod virtus magnetica in facie septentrionali versorij impressa cupit naturaliter se conseruare, & naturaliter fugit illud, quod sibi est contrarium, ac noxium, & quod potest eamdem faciem impressam septentrionalem lædere, atq; destruere. Propterea, cum à polo B, ex suppositis, effluat non tantum virtus radiosa septentrionalis, quantum australis, si polus septētrionalis versorij applicatur polo septētrionali magnetis sentit virtutem sibi contrariam, scilicet australem ab eodem polo prodire, & timens ne talis virtus suam natiuam qualitatem septentrionalem lædat, refugit, & faciem austrinam illi offert.

Obiectio. Dubitabis, si facies septētrionalis versorij fugit faciem septentrionalē magnetis, quia timet, ne virtus septentrionalis magnetica impressa in facie septentrionali versorij lędatur à virtute magnetica australi effluente ab eodem polo septētrionali, igitur pari ratione facies australis versorij fugiet faciem septentrionalē magnetis, ne à virtute septentrionali virtus australis impressa in facie australi versorij destruatur, militat enim vtrobique eadem ratio; nihilominus dicendum est diuersam esse rationem, quia virtus septentrionalis in polo septentrionali magnetis debilior est, quam virtus australis in eodem polo; Et ratio est, quia virtus septentrionalis educitur à magnete à polo septentrionali terræ, maiori impetu, & maiori copia, quam exeat virtus australis, quæ hāc non patitur passionem à polo septentrionali terræ. Ideò virtus septentrionalis magnetis non est valida ad lædendam virtutem australem impressam in ferro, aut versorio, quemadmodum virtus australis exiēs ab eodem polo valida, vtpotè nō educta vehementer, & dissipata à polo septētrionali terræ, valet conseruare virtutem australem in versorio impressam. *Solutio.* Quare si magnes vim habet attractiuam, mirū non est, si humana trahat ingenia, & in diuersas rapiat meditationes, quæ non tāquam demonstratiuæ, sed tamquam probabiles sunt excipiendæ.

Maneat igitur ex dictis firmum, & inconcussum, non esse polum septentrionalem lapidis magnetici, qui vergit ad septentrionem, sed meridionalem, & vergētem ad meridiem esse septentrionalem, recurrunt namque à positione contraria, itaut si septentrionalem septētrionali, aut meridionalem meridionali apponas, lapis lapidem fugat. *Faciem meridionalem ad septentrionalem polum conuerti, & è contra.* Admirabilem tamen effectum supra explicandū, illud semper memoria retinendū est, quod virtus magnetica est tota in toto, & tota in qualibet parte, instar animæ, quod præbuit materiam Thaleti, & Cardano appellandi magnetem animatam; Itaque duplex virtus septentrionalis, & australis non ita diuiditur per lapidem, vt facies septentrionalis occupet mediam partem lapidis, & facies australis alteram partem, sed tota virtus, tum septentrionalis, tum australis est diffusa per totum magnetem, ita tamen disposita, vt altera ipsius pars, seu facies, respiciat septentrionem, altera austrum; neq; hæc virtus est in superficie magne- *Magnetis analogia ad animā.*

tis,

tis, sed totam ipsius peruadit substantiam, adeò vt si resecabis superficies, ex facie vertente se ad austrum, reperies totam substantiam magnetis in ea parte ad austrum conuerti.

Quibus ita explicatis statuendum est magneticum lapidem obtinere verticitatem erga polos à polis telluris, quæ cum sit sphærica, habet & ipsa suos polos, & cum virtutem habeat magneticam, vt demonstratum est, hanc virtutem exercet potissimum in suis polis, à quibus tale effluuium, seu virtus exit, quæ habet facultatem trahendi lapidem magneticum ad polos, non quia terra sit magnus magnes, vt putauit Gilbertus, & propterea magnes, tamquam pars, moueatur, vt suo toti iungatur, sed quia re vera in polis terræ residet efficaciore virtus magnetica, qua lapis trahitur; Quem non trahi à polo cæli septentrionali, hinc euidentissimè constat, quod si ferrum magnete excitum polum cæli septentrionalem sequeretur, tantum in suo motu eleuaretur supra Orizontem, quanta est poli exaltatio; At videmus potius ferrum magnete excitum de primi infra Orizontem, & obseruat P. Cabeus lib. 1. cap. 15. ita ferrum descendere, atq; ita ad polos terræ collimare, vt cum Orizonte faciat angulum graduum circiter sexaginta.

Verticitatem magneticam peruenire à polis telluris.

Non trahi à polo Cæli.

Satius igitur est asserere, magnetem moueri à polis terræ, quam dicere cum Luca Gaurico Episcopo Ciuitatẽsi, caudæ Vrsæ maioris subesse lapidem magneticem, qui magnetem trahit, vel affirmare cum Francisco Maurolyco, magnetem verticitatem acquirere ab Insula magnetica, vel à montibus magneticis, vt arbitratus est Fracastorius.

Gaurici ridicula sententia.

Compertissimum verò est, magnetem hanc verticitatem ad vtrumque polum ferro communicare, vt patet in versorijs; Imò ferrum verticitatem acquirit à terra, vt supra dixi de ferreis fenestrarum cancellis, quamuis requiratur longissimus temporum decursus, vt terra verticitatem cælo communicet, experientia tamen comprobatum est, ferramẽta non corrosa, sed integra, neq; aliqua ex parte læsa, quantumuis vetusta, ad aliquam distantiam versorium pyxidis de suo statu deturbare; Verum quidem est, quod ferrum, dum est ignitum, amittit verticitatem, quod à tellure recepit, vt etiam amittit, quod à magnete trahatur, quia, vt inquit Cardanus, ferrum ignitum non est propriè ferrum, & confusam habet formam, ac perturbatam, quando verò post ignitionẽ suam recuperat formam, tunc vim antea acquisitam recuperat ad differentiam magnetis, qui si diù in igne perseueret, omnem amittit virtutem, & ratio est, quia ferrum in igne magis purgatur, & fit perfectius, magnes autem in igne læditur, & deformatur; Causa verò, ob quam magnes Soli ferro non rubigine confecto, vel alio defectu deformato verticitatem communicet, & non auro, non argento, non alteri metallo est, quia vt ex Alchymistis probari potest, ferrum inter omnia metalla est maximè terreum, tam in suo sulphure, quam in mercurio, & terra proximè ad naturam ferri accedit, vt indicat eius durities, & nigredo, non tamen vera est opinio Cardani, quod ferrum sit vera terra; Quare terra verticitatem soli ferro confert, vt eidem communicat magnes, & hæc communicata virtus à terra ipsi ferro, quamuis sit in tota substantia terrę, & consequenter in superficie eiusdem terræ, attamen ita exigua est in superficie vt non sentiatur, vel quia est communicata toti, & non partibus; Atq; adeò verum est effluuium magneticum à terra potissimum recipi in ferro, vt etiam recipiatur in lapidibus quibusdam ferrignis in fornacibus decoctis, ferri colorem præseferentibus, qui lapides, si à nimia humiditate sub dio positi, non sint deprauati, qualitatem habent magneticam.

Ferrum verticitatem à Terra acquirere.

Ferrum ignitũ verticitatem amittit.

Cur non alijs metallis verticitatem communicetur.

Lapides qualitatẽ magneticam consequitur.

PVNCTVM QVARTVM.

De variatione versorij, seu declinatione à polis.

Illud aduersus ea, quæ hucusq; disputauimus, plurimum facessit negotij, quod videmus versorium magnete excitum à polis terræ declinare, vnde oritur variatio versorij, quæ est mutatio, seu perturbatio diuersionis, siue quidem cõuersionis error. Igitur magnes non habet virtutem à polis telluris, quoniam illa,

Obiectio.

la,

la, quæ communicat versorio, à telluris polis diuertit. Propterea variatio magnetis in septentrionalibus terræ regionibus fit à septentrione in Occasum; In Australis verò regionibus fit ab Austro versus Orientem, & etiam versus Occidentem, & naucleri obseruarunt, quod in regionibus australibus, & in mari longo interuallo ab æquatore versus polum Antarcticum frequentes sunt, & amplæ variationes; & Gilbertus lib. 4. cap. 14. per multa capita demonstrat variationes magnetici ferri in mari Aethiopico, & Americano, vltra æquatorem; ostendit variationem in noua Zembla, in mari de Zur, & in mari Mediterraneo. Vnde, qui in nouissimis nauigationibus Indicis peragrant orbem, obseruant in vnaquaque poli eleuatione inclinare magnetica; Ideò referunt magnetica semper minus, ac minus se vergere in septentrionem, quò magis accedunt ad æquinoctiũ. Quin animaduertit Gilbertus in æquinoctiali versorium mansisse Orizonti paralellum, atque vltra æquatorem descendisse, partem vergentem ad austrum, semper magis, ac magis. Propterea in nonnullis locis versorium prorsus congruit meridiano, nihilq; declinat ad vllam partem; vt in meridiano Azorico, & circa caput Bonæ spei, in alijs verò locis declinat modo plus, modo minus, modo ad Orientem, modo ad Occidentem.

Differentia declinationis magnetica.

Causa igitur tantæ variationis est inæqualitas terræ, quæ cum vna cum aqua conficiat vnum globum, non est æqualiter rotunda propter ingentia maria, & propter ingentes montium eminentias; Quamobrem versorium declinabit ad eam partem, in qua est plus terræ, & recedit ab ea parte, in qua est plus maris. Hinc, quia in Anglia ex parte orientali est tota Europa, & Asia, & ex parte occidentali habet ea Insula ingentia maria, versorium in Anglia magis vergit ad Orientem, vbi reperit maiorem terræ partem; Quare, si ex parte Orientis non tanta adesset portio terræ directè se verteret versorium ad septentrionem, sed à vi magnetica, quæ est in parte terræ orientali attrahitur versorium, & cogitur nonnihil vertere ad orientem.

Causa variationis declinationis magnetica.

Terminus igitur præcipuus, ad quem mouetur magnes, est meridianum verum terræ, & telluris poli, tota scilicet promouente tellure, non puncto polari trahente; Quod si terra æqualiter esset fusa, & vbiq; in omni meridiano, vtrimq; æqualiter iaceret, dubio procul magnetica ad meridianum duntaxat se disponerent; Cæterum, quia sæpè contingit, vt plus terræ sit, ex vna parte meridiani, quam ex alia, euenit, vt in illo meridiano versorium declinet ad illam partem, in qua est plus terræ, quæ suo latissimo, & maximo tractu cõrinet virtutem magneticam; Hac de causa in hoc nostro Hemisphærio septentrionali versorium vergit ad Orientem, quia in Gallia nostra Cisalpina, quam nos colimus, maior pars terræ est versus Orientem, & quò magis proceditur ad Orientem, eò magis versorium deflectit; Quoniam autem in meridiano Azorico tellus est veluti æqualiter ab Oriente, & Occidente constituta, ibi versorium non declinat, sed eidem conformatur, & congruit meridiano; Naucleri autem obseruant ipsum incipere declinare, eum accedsit ad Mexicum, & illi, qui nauigant ad Caput Bonæ spei, vident versorium declinare magnopere ad Orientem, ex ea videlicet parte Africa promouente, iuxta verò Brasiliam versorium declinat ad Occidẽtem, promouente Peruuio. Causa igitur declinationis magneticorum sunt magni telluris tractus, qui ex vna parte versorij longè maiores sunt, quam ex alia, qui tractus maiorem, & minorem habent vim cogendi ad se versorium: ex quibus omnibus infertur, quod virtus magnetica residens in tota tellure mouet magnetica, & cum potissimum resideat in polis, magnetica excitat versus polos, quando alio non distrahuntur à maiori parte terræ, ex qua prodiens effluuium magneticum efficax, diuertit aliquantulum versorium à polis; atq; ita, ni fallor, arbitror respondendum esse propositæ dubitationi, qua superata, superest, vt de altera magnetica virtute attrahendi ferrum, breuiter disputemus.

Terminus quem respicit magnes.



PUNCTUM QUINTUM.

Recensentur diversæ sententiæ de accursu ferri ad magnetem; eadem refelluntur; Vera traditur causa; & occultæ Cælorum qualitates magis reyciuntur.

Marsilius Ficinus lib. de Vita cælitus comparanda, fabulosa potius quam vera, sed qualitatibus Cælorum occultis, & Astrologiæ consona de magnete pronunciauit; Siquidem putauit magnetem, & ferrum ab Vrsa minori dependere, & vegetari; ac ferè cælesti semine animari; Verum existimauit astra erga magnetem suam magis ostentare liberalitatem, quam erga ferrum. Propterea ferrum ad magnetem, tamquam egenum ad diuitem trahi; Ita fabulando arbitrabatur, quod si duo dependerent à Sole, ille cui Sol clarius luceret, dominaretur illi, cui luceret obscurius. Idem asserit de duobus à Marte dependētibus, quorum ille est inferior, & obtemperat alteri, cui Mars magis feliciter dominatur. Hæc deliramenta à nobis subsannantur, tamquam Astrologicis somnijs innixa, & in his immorari superuacaneum existimo; Ideò explosis viribus, quas magnes, vel in verticitate ad polos, vel in raptu ferri exercet, à cælestibus orbibus dependentibus, à nobis vera indaganda est causa, qua magnes magnetē, vel qua idem magnes ferrum trahit.

Magnetis à minori Vrsa depēdere.

Io. Baptista Porta in lib. de Magia naturali, existimat magnetem esse mixtum, ex ferro, & lapide, & vel ferrum lapidem, vel lapidosum ferrum esse; Idcircò ferrum accurrit ad magnetem, vt sibi adiungat illas ferri partes, quæ sunt in magnete, & si aliquando magnes magnetem attrahit, non attrahit ob lapidem, sed ob ferrum lapidi inclusum. Sed quid dicet hic author de ferro à sideritide excito, trahente alterum ferrum? Non enim quærit partes ferri, quas in se ipso habet.

Porta opinio.

Gilbertus putat lapidem magneticum esse de natura ferri, & venam ferri à magnetica non differre, nisi quatenus vna est perfectior altera. Ideò sideritis, & ferrum conueniunt in colore, & ambo ammittunt virtutes in igne, scilicet verticitatem ad polos, & vim trahendi ferrum; Propterea putat Gilbertus, magnetem in ferro sopitam formam excitare effluēte virtute ex magnete, non quidem quæ sit aliquod corpusculum, quod ferrum peruadat, sed actu quodam immateriali, & incorporeo agit in ferrum, & illud attrahit.

Gilberti sententia.

Hieronymus Fracastorius lib. 1. de Sympath. & antipath. cap. 5. summa ingenij subtilitate, & doctrina acumine hanc materiam pertractans, multa protulit, quæ strauere viam Gilberto, & P. Cabeo, ad inueniendam veram causam magneticæ attractionis, quæ omnia breui verborum gyro comprehendam.

Sed illud maximè mirandum est, quod diuinissimum D. Thomæ ingenium comment. in 7. lib. Physicorum primus ante alios de hac materia scriptores statuit fundamentum, super quo vera de magnete pronunciata condita fuerunt. Alio, inquit, modo potest dici aliquid trahere, quia mouet ad se ipsum, alterando aliqualiter, ex qua alteratione contingit, quod alteratum moueatur secundum locum, & hoc modo dicitur magnes trahere ferrū; Sicut enim generans mouet grauia, & leuia in quantum ijs dat formam, per quam mouentur ad locum, ita, & magnes dat aliquam qualitatem ferro, per quam mouetur ad ipsum. Hæc D. Thomas; Quibus indicat, prouenire à magnete aliquid, vt sic dixerim, ipsius satellitium, quod imprimitur in ferro; Sed quid sit hoc effluuium, quod per medium à magnete effusum, ad ferrum pertingit, quamuis corpus aliquod interponatur, non est facilè explicare, nisi nobis præstet subsidium doctissimus Fracastorius loco citato; Qui primum obseruat id, quod fuit in physicis demonstratum, nullam actionem fieri posse, nisi per contactum. Quoniam autem aliquando corpora non se tangunt, & tamen vniuntur, & vnum ad aliud mouetur, vt euenit in magnete, & ferro, necesse est demitti aliquid ab vno ad aliud, quod proximè tangat, & eius applicationi sit principium. Hoc autem non est aliquod corpusculum, vel non sunt effluxiones corporum, quas athomos veteres appellabant, vt putarunt Empedocles, Democritus, Leucippus, Epicurus, quos secutus est Lucretius Poeta, magis Philosophus, quam Poeta; Nam eonc ipi non

D. Thomæ sententia.

Contactus ad agēdum requisitus.

po-

potest corpuscula tenuissima emanantia ex lapide ferrum durissimũ inter metalla peruadere; Quin ipse lapis magneticus tanta corpusculorum effluxione intimè exinaniretur; Et quoniam experientia compertum est, magnetem turbare versorium, etiam durissimo interiecto corpore, scilicet, quando magnes capsula inclusus est, id certè prouenire nõ potest ex communicatione athomorum effluẽtium è magnete, quando ab interiecto corpore impedirentur. Itaq; dicendum est cum Fracastorio, quod à corporibus effluunt formæ simplices, scilicet qualitates spirituales eiusdem rationis cum formis, quarum sunt species, nec ab ijs differentes, nisi modo subsistendi; Atq; cum ingenitum sit formis omnibus se se, quò magis possunt propagare, istæ formæ spirituales per quamdam momento generationẽ partis post partem momento factam, propagantur, non cũ motu locali, qui proprius est corporum, sed per quamdam spiritualem propagationem similem lumini, & radio; Ideò propter ipsarum tenuitatem, & quod momento gignuntur spirituales dicuntur, eiusdem tamen rationis, & naturæ cum formis crassis, & materialibus, ex quibus emanant. Quare tale accidens non transit de subiecto in subiectum, sed per medium propagatur, & in ipso medio producitur ab ipso magnete per totam sphæram suæ actiuitatis, adeò vt ferrum trahat, si ipsum ferrum sit intra sphæram actiuitatis magneticæ; Quæ virtus diffusa agit vniformiter difformiter, & quò magis ferrum est propinquum magneti, magis ipsius magnetis virtutem sentit, quia robustiores sunt vires magnetis in minori distantia; Propterea asserẽdum est cum Fracastorio magnetem trahere alterum magnetem, & ferrum magnete excitum alterũ rapere ferrum propter motus sympathicos, quæ sympathia oritur ex similitudine virtutis diffusæ à magnete, vel cum natura alterius magnetis, vel cum substantia ferri conuenientis.

Qualitates spirituales è corporib. emanãtes.

Virtus ferrum attrahendi sympathica.

Sed dices cur lignum non trahit lignum, argentum argentum, vel aurum ipsummet aurum? quamuis Porta in sua Magia asserat, se vidisse argentum trahere argentum, quod etiam testatur Fracastorius lib. prællegato cap. 7. Imò asserit se valdè miratum fuisse, dum vidit magnetem argentum trahere. Sed fides sit apud authores. Ego interea affirmo magnetem trahere ferrum, quia hanc virtutem primò, & principaliter accipiunt à tellure, quæ magneti, & ferro communicat verticitatem, vt supra diximus, & similiter communicat magneti virtutem actiuam, qua attrahat ferrum, & ferro passiuam, qua ducatur ad magnetem; Tales autem qualitates tellus cæteris non confert metallis, quia quamuis sint halitus terræ, vt ad mentem Aristotelis supra retulimus, tamen non participant tantum de terra, quantum magnes, & ferrum, quæ cum terra simul conueniunt in colore, & pondere, & ambo, sideritis nimirum, & ferrum rubigine contabescunt, & nimia humiditate labefactantur, & vt dixi, ex placito Chymicorum, eodem ferè constant sulphure, & mercurio.

Cur alia corpora se mutuò non attrahant.

Hinc non est approbanda opinio Scaligeri exercit. 102. nu. 6. statuentis magnetem non trahere ferrum, cum ab ipso non possit perfici, sed potius ferrum accurrere ad magnetem, tamquam ad matricem suam, cuius abditis principijs perficiatur; Hæc opinio longè distat à veritate, quia motus non apparet in magnete, sed in ferro, ergo est assignanda distincta à ferro causa mouens, qua moueatur, nihil enim mouet seipsum, nisi animal, ex Arist. 1. de Cælo cap. 7. igitur eum ferrum nequeat seipsum mouere, asserendum est, virtutem motricem effluere à magnete, modo iam explicato; Quã qualitatem conseruat magnes, donec aliqua externa causa, vel nimia vetustate corrumpatur; falsum enim est, magnetem allio illitum non amplius trahere ferrum, sed in debita distantia, & intra suæ sphæræ orbitam suam semper exerit virtutem.

Licet autem magnes cõnaturalius validiorem virtutem obtineat in se, quam ferro communicet, attamen affectus, seu armatus ferro, dum ferrum tangit, multò plus ponderis ferri retinet, quam faciat inermis. Ratio est, quia propagatur virtus, seu radius magneticus in ferro, & sunt duo agentia, quæ in vnum coalescũt ad retinendum pondus; Ideò etiam in minori distantia armatus trahit, quam inermis magnes. Illud quidem obseruandum est, quod si pagina, vel quodcumq;

Magnetis armati vis maior.

Kk aliud

aliud corpus interponatur, inter magnetem armatum, & ferri pondus, immunuitur virtus radiosa magnetica; Nam cum radij deberent rectà ferri ad pondus ferri, refrangũtur in illo corpore intermedio, & disiecti, decussati, & diuaricati debiliores perueniunt ad ferrum, eo prorsus modo, quo Solis radius refractus non eò peruenit, quò rectus perueniret.

Forma spiritales magnetica. Amplector igitur in hac parte sententiam Fracastorij, quod formas spiritales admitto effluentes è magnete, sed non approbo id, quod ab ipso affirmatur, scilicet ex forma ferri spiritali, & forma pariter spiritali magnetis fieri vnum, atque adeò ferrum accurrere ad magnetem, tamquam partem ad suum totum; nam hoc modo dicendum est, omnia corpora se inuicem sequi, vel saltem alterum ad alterum accurrere, quando ex omnibus corporibus similes effluunt species, quæ ex Fracastorio vnum efficiunt.

Alexandri opinio refutatur. Nullo modo accipienda est sententia Alex. Aphrodis. lib. 2. quæst. nat. cap. 23. statuentis ferrum à magnete trahi eo modo, quo animata à re appetibili trahuntur, vel ab alimento alliciuntur; Idcircò putat ferrum potius sua interna virtute moueri ad magnetem, quam magnetem extrinseca virtute ferro communicata ipsum trahere. Cæterum si ferrum moueretur ad magnetem, certè tunc moueretur tamquam ad appetibile, & proprium bonum, quando magis indiget perfectione, quod eueniret, quando rubigine exesum est, & tamen experientia constat, tunc ferrum nullatenus ad magnetem accurrere. Præterea ferrum motibus contrarijs moueretur, quandoquidem si magnes ponatur, vel supra, vel infra ferrum, ipsum motibus contrarijs modo sursum, modo deorsum moueretur; & tamen, vt demonstrat Arist. 1. de Cælo ab vna, & eadem forma, vel ab vno, eodemq; principio contrarij motus prouenire non possunt. Addo, quod ferrum moueretur à seipso, quod solum conuenit animalibus, ex eodem Aristotele, & cum mouens debeat esse diuisum ab eo, quod mouetur 8. Physic. text. 30. improbabilis omninò est opinio Alexand. censentis, ferrum moueri à se ipso ad magnetem.

Plutarchi opinio refellitur. Nec minus probabilis est opinio Plutarchi lib. de Quæstion. Platonicis, vbi de magnetica attractione ferri interpretans placitum Platonis in Timæo, existimat halitus graues emissos à lapide herculeo ita impellere aerem, vt detur aliquod vacuum, aere verò recurrente ad pristinum locum, ad implendũ vacuum, secum trahere ferrum; quæ omnia falsa sunt, & inania, quandoquidem effluuium illud halituum ex lapide prodeuntium est, vt dixi, spiritale, penetrat aerem, neq; in aere datur vacuum, adeò vt ad implẽdum vacuum debeat ferrum trahi. Adijcio, aerem suaptè natura tanto robore non pollere, vt in suo recursu secum rapiat ferrum. Statuamus igitur hanc attractionem, vel magnetis ad magnetem, vel ferri magnete exciti ad aliud ferrum fieri per sympathiam, & per similia, scilicet per similes effluxiones, similitudinem habentes cum ferro, vel magnete moto. *Attractionem magneticam per sympathiam fieri.* Idcircò Fracastorius lib. 1. de sympat. & antip. cap. 7, testatur, se vidisse, quod frustrũ magnetis per vnam faciem magnetem attrahebat, non ferrum, per aliam ferrum, & non magnetẽ, per aliam vtrumque; Quod inde proueniebat, quia in vna parte est plus magnetis, in vna plus ferri, in altera vtrumque æqualiter, quod certè nobis indicat, id fieri per similitudinem.

Electrica facultas. Sed antequam huic virtuti attractrici postremam operam nauemus, nonnulla breuiter subdenda sunt de viribus, quibus electrica trahunt; Electrum, vulgò Ambra, à Latinis succinũ dicitur, & creditur gumma, siue lachrima ex arboribus pinei generis profluens, & de ipsius natali laborant authores, alij asserentes oriri ad Padum fluuium ex populeis arboribus; sed hodie notissimum est, electrum oriri in Insula maris Germanici, non procul à littoribus Prussiæ. Ideò hæc materia primùm est liquidà, & est bituminis genus; Ideò cum primum sit mollis, & viscosa, videmus in ipsa muscas, vermiculos, formicas, quasi in nobili sepulchro, tumulatas. Porrò maris, aerisq; frigiditate in eam, quam videmus duritiem concrescit; Succinum autem festucas, & paleas trahit, quod etiam præstat adamas, sapphyrus, carbũculus, iris gemma, amethistus, berillus, & alia, quæ recensentur à Gilberto, & à Cabeo lib. 2. cap. 17. In-

ter quos attrahendi modos, & magneticos hoc primum intercedit discrimen, quod electra non communicant suam virtutem alijs corporibus, vt facit magnes, qui tangendo anulum, communicat per ipsum anulum virtutem alijs anulis, ab ipso pendentibus. Praeterea magnes solum trahit ferrum, electrum verò non solum paleas, pilos, festucas, & quaecumque arida corpuscula trahit, sed etiam dicitur trahere metalla, aliqui tradunt oleum etiam, & aquam trahere. Insuper discrimen est, quod magnetica ad trahendum nulla egent praeparatione, Electrum verò debet aliqua frictione incalescere, antequam trahat, & ratio est, quia ab electricis emanat effluuium siccum, quo corpuscula ad se alliciunt, humido verò obturante porros electri, tale effluuium prodire non potest. Alij dixerunt ab electro emanare effluuium siccum, & calidum, & propter connaturalem similitudinem cum aere, qui est calidus, ipsum mouere, & quodammodo rarefacere, aer verò rursus se congregans, reuertens ad electrum, secum illa corpuscula leuissima, vt paleas, & festucas, in medio positas defert; ideò necesse est, vt electrum sit tersum, nitidum, non obnubilatum, vt aer possit ipsi adhaerere, & simul cum aere corpuscula ab ipso delata.

Discrimen inter vim magneticā & electricam.

His ita explicatis, satis arbitror compertum esse, virtutem magneticam, vel virtutem electricam non esse attribuendam arcanis caelorum virtutibus, quae vt ait Fracastorius, sunt imperitorum hominum perfugium; hi enim admirabiles effectus causis iam traditis adscribuntur, & sapientis est, non ad Sidera confugere, sed in terris versari, & terrenas causas perscrutari. Remanent adhuc quaedam receptacula, quò occultarum qualitatum fautores se recipiunt, euertenda.

Neutram virtutē ab arcanis caeli virtutibus proficisci.

PVNCTVM SEXTVM.

Demonstratur vim attractiuam medicamētorum à caelo non pendere, & de medicamentis electuis, & alexipharmacis breuiter disseritur.

Celebris est inter Medicos disceptatio, an medicamenta per sympathiam, vel per antipathiam purgent, & hinc inde sunt rationum momenta. Ego tamen, qui solum animo proposui occultas e liminare qualitates Caelorum, hanc materiam paucis complectar; & statuam medicamenta trahere, atque mouere humores, potius per antipathiam, quam per sympathiam. Etenim si per similitudinem purgarent, ea quae magis naturae familiaria sunt, magis purgarent, vt sinae folia, & eius folliculi, & myrabolani, & tamen experientia demonstrat, scammonium elleborum, aut colocynthim, & deliteria medicamenta valdè purgantia, quae venenosam sapiunt qualitatem, ita naturae aduersari, vt fiat purgatio ingenti cum molestia, & naturae incommodo, Quod si medicamentum per similitudinem traheret humores, certè ipsi accurrerent ad medicamentum, vbi reperitur, Vnde omnes ferè euacuationes fierent per os, quoniam medicamenta aliquo tempore in ventriculo commorantur. Quare asserendum est virtutem expultricem à medicamento incitari, & irritari, quod dum ventriculo continetur, seu vapore ab ipso eleuato, seu vi aliter cōmunicata maioribus venae portae ramis, humores persequitur, & expellit. Hinc clysteres, qui, teste Galeno, vix ad intestinum ieiunum ascendunt, expultricem tamen vim sollicitant, dum venarum mesaraicarum ora in ipso transitu titillant. Quare ita natura à medicamento irritatur, vt si exhibeatur medicamentum ad melancholicum humorem purgandum, etiam caeteri purgantur humores à natura tali medicamento irritata, & maximè illi euacuantur humores, qui magis parati sunt; Etenim natura, morborum medicatrix, nouit, quid agendum sit, & sublatis à Medico impedimentis, certo cum delectu humores noxios reijcit. Itaq; Medici potissimum munus est medicamento irritare naturam, vt ipsa humore, quo praegrauatur, exonerata, strenuè agat in id, quod remanet; Quamuis eruditi Medici opus est plura miscere medicamenta, plures humores purgantia, vt non solum vno purgato, sed caeteris etiam euacuatis felicius subleuetur natura. Constanter igitur asseramus, medicamenta cathartica, non attrahere humores, sed tantum *deterrabola* expellere. Quod cer-

Medicamenta per antipathiā trahere.

Clysterum vis.

tè inde cognoscitur, quod si medicamentum non reperit in corpore humorem sibi aduersantem, grauem noxam, & maximos cruciatus concitat in ipso corpore. Vnde illud Hippocratis pronunciatum: Sana corpora non facilè ferunt medicamenta.

Qualitates occultas in rehobarbaro & Agarico nō esse.

Non sunt igitur audiendi Medici, asserentes facultatem purgantem in rehobarbaro ab occulta prouenire qualitate, atq; idem dicunt de Agarico purgante pituitam; nam, vel dicendum est, rehobarbarum habere qualitatem aduersantem bili, quam primum purgat, & secundariò purgat pituitam, vel melius asserendum est ipsum irritare naturam, ad expellendos illos humores, quæ sibi sunt noxij.

Maior difficultas est de medicamentis, quç alexipharmaca dicuntur, quorum qualitates venenis obstant, quamuis Galenus lib. 1. de facultat. nat. cap. 4. putet, à quibusdam alexiterijs trahi potius venena, quam fugari. Equidem puto, alexipharmaca agere per antipathiam aduersus venena, & hoc ab omnibus Medicis receptissimum est; sed difficultatis cardo in hoc vertitur, quod putant Medici id agere alexipharmaca, per occultas qualitates, quas tandem referunt in arcanas cælorum virtutes. Ita asserunt operari balsamum, quod nascitur spatio quadraginta stadiorū inter Syriam, Palæstinam, & Aegyptum. Idem dicūt de cornu Vnicornis venenis contrario, imò cuicumq; veneno aduersanti, quod animal in remotissimis regionibus, & ferè apud Antipodas generatur, non est enim Vnicornis idem cum Rhinocerote. Etenim Romæ in ludis Amphitheatri, præsertim imperante Domitiano, Rhinocerotes cum alijs Feris pugnauerunt, vt Martialis testatus est carminibus de Rhinocerotum pugna compositis, & tamen Romæ numquam visus est Vnicornis; Idem referunt de lapide Bezohars, qui generatur in ventre cuiusdam ceruicapri, vel ceruæcapræ in India, vel in Peruana regione. Idem asserunt de lapide Lazuli, de bolo Armenico, de auro potabili, de gemmis, & margaritis, de corallis, de cornu Cerui præparato, & de ebore similiter præparato. Siquidem putant Medici, hæc omnia agere aduersus venena occultis qualitatibus, quæ suas accipiunt vires ab occultis cælorum afflatibus. Augetur ab ipsis difficultas, quia putant, dari quædam alexipharmaca pugnantia contra quodcumq; venenum, quod certè asserunt, id prouenire non posse, nisi ab occulta qualitate. Equidem nolo hic disputare, an tale antidotum dari possit, quod valeat aduersus omnia venena; id enim olim ab antiquis Medicis, referente Galeno, disputatum fuit; Nam vt de aliquo singulari præsidio, seu alexipharmaco loquar, v. g. de cornu Vnicornis, dico aduersus omne venenum vim non babere; Nam aut operatur per qualitatem manifestam, aut per occultam; Si per manifestam, v. g. quia sit calidum, ergo operabitur contra venenum frigidum, aut quia sit frigidum, aget contra calidum; Si ab occulta qualitate operatur, id præstat, vel per antipathiam; vel per sympathiam, atq; ita habet, vel conuenientiam, vel disconuenientiam cum aliquo veneno peculiari. Dicitur tamen cornu Vnicornis agere aduersus omnia venena, quia ipsum corroborat virtutes cordis, illudq; magis validum reddit, ad resistendum veneno. Hinc theriaca, quç primum fuit composita ab Andromacho celeberrimo Medico, imperante Nerone, vim habet contra omnia venena, quia eius propria virtus est virtutem cordis corroborare; atque idem dicendum est de cæteris alexipharmacis, quæ exhibentur à Medicis in febribus malignis, & pestilētialibus. Sed vndenam talia medicamenta suas desumunt vires? Ab occultis, asserunt Medici, qualitatibus; & cum assumunt explicare tales virtutes, eò tandem adigūtur vt ipsas, tamquam primis principijs, arcanis Stellarum virtutibus ferant acceptas.

Alexipharmaca per antipathiā agere.

Alexipharmaca quomodo operentur.

Ad quam rem accuratius explicandam diuersa ratione philosophandum est de medicamentis purgantibus, & de alexipharmacis; Etenim Galen. lib. de acuti victus ratione cap. 12. docet, purgantium medicamentorum contrariam esse naturam naturis corporum, quæ expurgantur; Vnde 6. Epidē. tradidit, pharmaca purgantia notabili dose exhibita lethalia esse; Quare hoc intercedit discrimen inter pharmaca purgantia, & alexipharmaca, quod illa sunt contraria

Pharmacorum, & alexipharmacorũ diſcrimen.

corporis quod purgant, quod etiam docuit Ariſt. 1. Problem. 12. aſſerens, talia medicamenta vincere calorem animalium, ideſt perdere, & corrumpere. Hinc videmus ipſa tranſmutare in ſui naturam humores, eoſq; putrefacere, cuius putrefactionis ſigna ſunt colliquatio, & fœtor in euacuationibus; Hæc verò, nimirum alexipharmaca, ſunt ſimilia corpori animalis, cui maximum afferunt iuuamen, & in ipſis eſt ea ſimilitudo, præſertim cum humano corpore, quam mox ſubiungam.

Obiectio ex Galeno.

Obijcies plura Galeni loca, quibus indicare videtur etiam ſimilitudinem reperiri inter medicamentum, & humores; Ideò 5. de ſimpl. med. facult. cap. 8. aſſerit purgantia cum humoribus familiaritatem habere, ipſos attrahendo; Quod repetit tertio eiuſdem voluminis cap. 24. & lib. de ratione curandi per ſanguinis miſſionem cap. 1. affirmat attractionem eſſe familiarium; Quæ teſtimonia Galeni torquent ingenia illorum, qui purgationem fieri per antipathiã medicamentorum tuentur. Ego tamen cenſeo, vel Galenum, quod ipſi ſæpè contingit, hac in re ſibi diſcordem eſſe, cum ſupra ex relatis eiuſdem teſtimonijs contrarium conſtet, vel dicendum eſt cum Andrea Cæſalpino 1. Quæſt. medic. lib. per hanc familiaritatem non intelligere Galenum affinitatem formarum, ſed conformitatem in materia, ideſt in accidentibus externis, quibus aliqua medicamenta humoribus ſimilia videntur.

Alexipharmacorum cum humano temperamento conuenientia.

Hæc verò ſimilitudo diuerſa eſt ab illa, quam habent alexipharmaca cum humano temperamento, quod vt in philoſophica Diſputatione à nobis indicatum fuit, eſt cæteris temperamentis nobilius, & præſtantius, & quamuis, vt ibi à nobis oſtenſum eſt, non detur corpus animatũm, quod habeat temperamẽtum æquale ad pondus, ſed quidem datum fuit, & dari poſſit, temperamentum æquale ad iuſtitiam, tamen dixi, quod nullum eſt inconueniens, in re inanimata dari temperamentum æquale ad pondus, ad quod alexipharmaca propius accedunt, quam cætera mixta, quoniam in ipſis primæ qualitates ita ſunt temperatæ, vt ſi non ſint æquales in pondere, & menſura, altera tamen alteram parum vincat, & excedat. Idcircò eum qualitate calida noxiam temperant frigiditatem, cum frigida calidam imminuunt, cum ſicca humiditatem coercent, cum humida ſiccam compeſcunt; Et quemadmodum ſi daretur temperamentum in animali æquale ad pondus, illud animal, vel homo nunquam ægrotaret, ita hæc qualitatum temperies, vel illa, quæ proxima eſt tali temperiei, qualis reperitur in alexipharmacis, eſt contraria venenis, & febribus peſtilentialibus ex ſummo humorum inſultu, & putredine prouenientibus. Quemadmodum igitur temperamentum humanum eſt magis propinquũ temperamento perfectiſſimo, quod dicitur æquale ad pondus; ita alexipharmaca perfectiſſima prædita temperie maximè iuuant humanum temperamentum, vt potè ipſi quam maximè conſona, & ſimilia. Animaduertendum tamen eſt cum Galen. 3. de ſimpl. medic. facult. cap. 26. alexipharmaca duplicem habere facultatem, nimirum euertendi vires veneni, & confirmandi calorem animalis; ideò ab ipſo appellantur media inter venena, & corpora animantia. Quare temperamentum alexipharmaci non debet, vt colligitur ex eodem Galeno, ita eſſe inſtitutum, vt ſit in exceſſu contra venenum, ſed quidem ipſi contrarium, neq; adeò ſimile eſt temperamento humani corporis, vt ſi illud notabili doſe ſumatur, non lædat plurimum corpus humanum. Quare cum, ex doctrina Galeni, alexipharmaca ſint expulſioni venenorum accõmodata, aliqua ex ipſis per inſenſibilem tranſpirationem euacuant; pleraque verò ſunt etiam alimenta, & alterant ſuis manifeſtis qualitatibus; à tota verò ſubſtantia vincunt venena, ipſa non educendo è corpore, ſed robur addendo ſpiritibus animalium, quos ſubſtantia nutrimentaria ſibi inſita fouent, corroborant, & armant aduerſus venena. Ex quibus patet, alexipharmaca, non ab influxu cælorũ, ſed à propria ſubſtantia, & forma admirabiles illos edere effectus, quos aliqui occultis qualitatibus mixtorum, vel arcanis ſiderum virtutibus attribuunt.

Duplex alexipharmacorũ facultas.

Concluſio.

PVNCTVM SEPTIMVM.

Recensentur alia, quæ occultis Cœlorum influentijs adscribuntur, atq; eorum vera causa inuestigatur.

MVlta sunt admirãda in rerum natura, quæ proprias, & naturales habent causas sensibus ipsis subiectas, & quę plerumq; à rerum consensu, vel sympathia proficiscuntur, quæ tamen ab hominum imperitia in occultas cęlorum vices referuntur, vt de vnisono aliud vnisonum commouẽte proditum est; Quandoquidem, si cythara æqualiter temperata pulsetur, & sonum edat, altera cythara vnisona, & æqualiter accommodata ad sonum, quamuis non pulsata, sonum emittit. Fracastorius lib. 1. de sympath. cap. 11. refert causam, ex sympathia prouenientem, non quidem ex occulta similitudine, sed manifesta; Id enim oritur, quia sonus fit cum vibratione, seu motione aeris, in quo fit tremor per pulsatam chordam, & quia corda tensa ad vnisonum concentum est apta tremere simili aeris incitatione, vel vndatione, idcircò aer ille tremens excitat chordam non pulsatam. Quod si fides similiter tentæ non sint, similes aeris vndationes recipere non sunt natæ, atq; adeò similibus aeris circulationibus non mouentur.

Vnisonum aliud vnisonũ commouens.

Rursus asserunt aliqui, quod propensio ad concentus, & musicam prouenit ab occultis astrorum qualitatibus, quod tamen à principijs humanæ naturæ proficiscitur; quandoquidem ratio, propter quã sensus auditus displicentiam recipit, aut voluptatem à sono, dependet à soni qualitate; etenim soni nimis acuti, nimis graues, asperi, confusi, insoliti, ignoti, pariunt molestiam, & cõtrarij voluptatem; & ratio est, quia in sonis iniucundis virtus sensitiua laborat, vim patitur organũ, & ingens sonus nimis commouet organum, propter ingẽtes aeris circulationes virtutem organi ferè dissoluentes, & animam confundentes, & terrentes. Hinc in acuto valdè, & stridulo sono applicatio vim patitur, quasi in angustum redacta, & membrana auditus, quasi icta percutitur, & offenditur; Vnde membrana illa in acuto sono contrahitur. Addo, quod asper sonus est ille, qui fertur per inæqualem superficiem; Ideò non solum circulationes aeris confundit, sed speciem quasi fractam ad sensorium defert, vnde sensatio fit confusa, & cum molestia; Vniformis autem sonus molestiam parit, quia nihil noui per ipsum addiscit anima. Cur autem soni musici delectent, si benè sint temperati, non prouenit à numeris, qui sunt species quantitatis, cui nulla danda est actio, neq; ab Anima, quoniã sit conflata numeris, vt asserit Plato in Timeo, quod est poeticè dictum, ad indicandum solam animã maximis rerum perfectionibus constare. Sed dicitur sonus suauis delectare, propter ordinem, & distinctionem, quam habet, quippè distinctionem, & ordinem anima humana naturaliter quærit, & amat. Cur autem alter magis, alter minus musicis delectetur sonis, est, quia vnus alio habet magis virtutem organicam dispositam ad recipiendum ordinem, & distinctionem soni, & musicæ, & quia etiam vnus magis, ac minus applicat altero; Quamobrem non est, cur ad sidera cõfugiamus, & delectationem, seu voluptatem in musicis, & sonis attribuamus occultis Veneris influẽtijs, quæ, vt asserunt Astrologi, efficiunt Pictores, Musicos, & Poetas.

Propensio ad musicã.

Anima vt constet ex numeris.

Admirabile etiam est illud, quod de pisce Echeneide, vulgò Remora, memoriæ proditum est, ab Arist. lib. 2. de hist. Anim. cap. 14. à Plinio lib. 32. cap. 1. à Plutarcho lib. 2. sympos. quæst. 7. ab Æliano lib. 8. cap 17. Nimirũ hunc piscem remorari nauigium, & Caij Imperatoris quinque reme tenuisse, ac etiam tenuisse nauem, qua ferebantur legati missi à Periandro de pueris nobilibus castrandis, referente Plinio. Plutarchus huiusce effectus affert causam, quod madida alga adhærens naui, fluctus ictum reddat obtusiorem, & subinde carinam retardet. Quare cum inter muscũ, & algam remora adhærens naui reperta fuerit, credita fuit causa tarditatis; sed hæc nõ est ratio, ob quam remora sistat nauem, vt asserit Plinius, sed tantum vt retardet, non quidem per se, sed per accidens.

Remora proprietas.

Fracastorius lib. præallegato aliã molitus est causam, imò duplicem, inanem vtramque, & nulla fide dignã; Altera est, quia ex scopulis, in quibus degunt hi pisces, species quædam ad nauigia mittuntur,

Fracastorij comentum.

tur, quæ habent facultatem firmandi nauigia, vel ipsa attrahendi eo modo, quo ferunt montes sub polis attrahunt magnetem, sed quemadmodum istos montes supra derisimus, ita subsannādæ sunt species ex scopulis prodeuntes, habentes vim sistendi nauigia. Alia causa ab ipso allata est, quod Echeneis arctissimè affigitur nauigio, à quo euelli non potest, nisi multa vi, quoniam verò si euelleretur, daretur vacuum, quod semper abhorret Natura, fit, vt nauis firmetur, aut saltem retardetur; Quod certè rejciendum est, quia cum talis piscis, ex Aristotelis testimonio, sit exiguus propter ipsius cum naui connexionem, tam parua nauis particula occcupatur, vt ad ipsius auulsionem statim succedat aqua, & statim vacuum impleat. Quamobrem cum scriptores differant in describenda ipsius piscis quantitate, & nullam de hoc admirabili effectu afferant causam, libenter in hanc venio opinionem, quod hoc inuentum sit fabulosum, & philosophicam non requirat indaginem.

Torpedinis vis. Secus de Torpedine pisce dicendum est, quæ tantam vim stupefaciendi habet, vt è longinquo capta, fuscinam, hamum, arundinem contingendo, Piscatoris manus, & artus obtorpescant, & pisces ipsos stupore afficiat, capiti tamen admota, dolorem leniat, & compescat; Etenim huiusce stupefactionis causa attribuenda est summæ frigiditati huius piscis, cum frigoris vehementis sit stuporem inducere, spiritus animales quodammodo cohibēdo, ne solito motu per animalis membra labantur, & cum dolor capitis aliquando ex immodico calore proueniat, cuius caloris est dilatare, & cerebri mēbranas extendere, si piscis frigiditas admoueatur capiti, dolorem lenit.

Longum esset singulos Naturæ admirabiles recensere effectus, quorum causę ignorantur, & de quibus longam, & iucundam contexit narrationem Io. Baptista Porta in sua Magia natur. à cap. 8. vsq; ad cap. 11. apud quem multa digna scitu leguntur, & quorum causæ prorsus occultæ sunt; Fateor enim multa esse in naturæ penetralibus occulta, quorum causas indagare humanæ mentis imbecillitas non valet, & quæ admirari potius, quā scire fas est; Vnde aiebat Teophrastus; Qui de omnibus rationem quæritat, simul cum ratione sciētiam tollit, & Alexandri Aphrodis. effatum est, multa esse, quorū nulla ratio reddi potest; Sed causam ignotam non refero cum Astrologis in occultas cælorum virtutes, sed in occultas qualitates illius mixti, ex quo mirabiles prodeunt effectus. Ita assero peoniam collo appēsam comitiales morbos curare; polipodium atram bilem purgare; corallum pellere timorem, ex proprijs occultis qualitatibus, & ex propria forma, quam ignoramus; Ideo ego quoque occultas admitto rerum proprietates, easque plurimi facio, sed puto illas prouenire à tota substantia, & forma mixti, emergente ex tali temperie quatuor primarum qualitatum elemētarium, vt rerum admirabilium sit causa productrix; Et quemadmodū ab Alex. Aphrodis. quamuis impiè, & detestando in nostram fidem flagitio, constitutum fuit, humanam animam substantiam prorsus admirabilem ex temperamento elementorum educi, quod omninò hæreticum est, & abominādum, ità minus inconueniens est asserere, multa admirabilia naturæ opera, non ex remotissimis arcanis cælorum afflatibus, sed ex propria mixtorum forma humanis abdita ingenijs proficisci.

Multas causas in natura nos latere.

Occultæ qualitates in tota rerum substantia.

Sed antequam huic Tractationi postremam manum admoueam, operæ pretium esse iudico, aliud præsidium euertere, quo occultarum in astris qualitatum defensores tuentur cælorum virtutes occultas magicis operationibus prodesse.

PVNCTVM OCTAVVM.

Demonstratur occultas Cælorum virtutes præsto non esse Magicæ arti in operationibus magicis edendis.

MVlta sunt à Magis flagitiosè perpetrata, quibus cælestes influentias tribuere vires, ab Astrologis, & Negromāticis firmatum est. Tales sunt motus, & loquelæ, quæ rebus inanimatis aliquando ab ipsis Magis tribuuntur, vt locutiones statuæ, & responsa ab ipsa reddita interrogantibus. Quocirca Hermes Trismegistus, referente D. Augustino 8. de Ciu. Dei, putabat, quod quemadmodum

Operationes magicæ.

dum

dum summus Iuppiter cælestes efformauit Deos, ita homines sub tali siderum positu effingere possint statuas, quæ instar terrenorum Deorum se moueant, & loquantur. Hinc apud Gentiles erant oracula, quæ responsa dabant, & huc referuntur incãtationes ad varia prodigiosa cõmittenda. Idcircò censent Magi, quod si condantur annuli, vel fabricentur figuræ ex auro, vel argento, vel cera, sub tali constellatione, valeant, vel ad hostes vincendos, vel ad morbos depellendos, vel ad gratiam Principis, vel amasiæ conciliandam, vel ad reddendum hominem inuisibilem, vti de Gige Lydorum Rege monumentis consignatum est habuisse annulum, in quo erat lapis è Draconis capite exemptus, quo inaspectabilem se reddebat; imò addunt, quod si verba sub talibus Stellarum Sygizijs proferantur, possint mirabiles producere effectus, vti fluxum sanguinis compescere, feras reserare, homines allicere, vel ipsos, & animalia obstupefacere, aliaque multa à Negromanticis enarrantur, quibus cælestia corpora suis arcanis virtutibus opem ferre arbitrantur; Quamobrem nos rationum, & veritatis pondere ita hanc falsitatem opprimemus, vt compertum fiat nullas habere vires, quibus assurgat, & inualescat.

Oracula.

Annuli, & figuræ magicæ.

Et in primis manifestum est, quod ex corporeis principijs aliquid intellectuale causari non potest, quoniam intellectus est virtus immaterialis, & organo non alligata; Constat autem quædam Magorum opera esse creaturæ rationalis opera, vt sunt locutiones, & responsa, quæ indicant potentiam rationalem, à qua producuntur. Igitur prouenire non possunt à corporeis cælorum principijs.

Magorum opera à potentijs rationalibus.

Neque aliquis dicat huiusmodi locutiones à statuis emissas non esse veras voces, & locutiones, secundum exteriorem sensum auditus, sed tantum secundum imaginationem, quæ ipsas vti voces significatiuas concipiat; Etenim formæ imaginatæ nõ possunt alicui se tamquam veras exhibere, nisi in illo contingat alienatio ab exterioribus sensibus, vt patet in somnijs, in quibus imagines ab imaginatione excitatas, tamquam veras apprehendimus, dum somniamur. Cæterum cum homines audiũt voces à statua prolatas, non habēt ligatum naturalem sensum iudicij, atq; vtuntur liberè sensibus exterioribus; Ideò non sunt collocationes imaginatæ, sed veræ, quæ indicant potentiam discursiuam, & quæ propterea non possunt à corporea virtute orbium cælestium causari.

Obiectio.

Præterea illa, quæ virtute cælestium corporum fiunt, sunt effectus naturales; vt potè producti à causa naturali, quale est Cælum. Itaq; id, quod alicui rei non potest esse naturale, nequit à corporum cælestium virtute produci; Talia sunt responsa statuarum, vel quod ipsæ moueantur, vel quod aliquis inuisibilis efficiatur. Etenim si statua mouetur à se ipsa, ergo est animata anima sensitiua, siquidem animalium proprium est mouere seipsa; impossibile autem est, corpora cælestia sensitiuam animam producere, ergo impossibile est ab ipsis statuas motũ recipere.

Non me præterit, viuentia perfecta generari ex semine, & ex virtute cælesti, iuxta pronunciatum Arist. 2. physic. Sol, & homo generant hominem; Cæterum Sol, causa generationis efficiens, agit in materiam dispositam, & aptam ad concipiendam animam, quæ virtualiter in semine continetur, atq; hoc modo generantur animalia ex putredine virtute cælesti, scilicet ex materia virtualiter animam continente. Verum statua lignea, vel ænea nullam habet potentiam, neq; proximam, neq; remotam ad animam sensitiuam suscipiendam, & ad vitæ munia obeunda, quæ proueniunt à forma substantiali ex Arist. 2. de Anima asserente, Viuere est esse viuentibus; Et quomodo in statua duplex potest esse forma substantialis, nimirum forma ligni, qua conflatu est, statua, & forma animæ sensitiuæ, qua statua seipsam mouet? Quandoquidem receptissimum Philosophorum est pronunciatum, subiectum duplici forma substantiali completa præditum esse non posse.

Quomodo Sol ad generationes concurrat.

Accedat, quod si in statua, virtute cælesti, tale vitæ principium produci posset, oporteret vt haberet sensum, quoniam motus sensum, vel intellectum sequitur, sensus verò non est, vbi non est tactus, nec tactus est sine organo mediè temperato, talis autem temperies non reperitur in lapidea statua, vel cerea,

vel

vel signea, igitur Cælum occultis virtutibus nullo modo potest concurrere ad sensum, ad motum, ad locutionem statuę.

Ferrariensis comment. in cap. 104. 3. contra Gent. docet, quod si Magi efficiant imagines, quibus prædictos producant effectus, id non habere imagines ex aliqua virtute, sibi à corporibus cælestibus indita, & impressa, vt asserunt Magi, quia formæ, quæ à corporibus cælestibus in his interioribus producuntur, non sunt formæ artificiales ab arte productæ, sed naturales de potentia materiæ eductæ, atq; hæ solæ formæ in virtute cælestium corporum continentur.

Peculiaris imago magica. Non minori reprehensione digna sunt illa, quæ à nonnullis scriptoribus traduntur, quod nimirum figura Scorpionis, v.g. impressa in cera, vel lapide, sub tali constellatione valeat ad Scorpionis morsus sanandos, atq; ita figuram Canis ad rabidos morsus canis, quia videlicet tales imagines habẽt similitudinem cum imaginibus cælestibus Scorpionis, & Canis; Quis enim ignorat imagines, quas in cælo comminiscuntur Astrologi esse fictitias? neq; ibi esse Scorpionem, neque Canem, & rerum fictarum nullam esse efficientiam. Prætermitto non esse commune Astrologorum placitum, tales imagines cælo affulgere; *Varij stellarum notandarum modi.* Arabes enim humanas imagines in cælo non figurant; Hebræi non imagines, sed litterarum elementa cælo attribuunt, aliter Persæ, aliter Indi, imagines, & asterismos efformant, Chaldæi ex libra, & Scorpione vnam conficiunt imaginem, Ptolomæus Hipparchi imagines mutauit; Quamobrem perperam asserunt Magi ab imaginibus cælestibus ipsos deducere virtutem, qua operationes magicas efficiunt. Propterea docet D. Augustinus lib. 10. de Ciuit. cap. 11. Magos euulgasse, figuras ab ipsis efformatas ad figuram Leonis, vel alterius figuræ Signiferi, validas esse ad magica opera, vt indicarent, aliquid numinis inesse Stellis, & homines ad Stellas adorãdas excitarent. Quocirca affirmandum est, Dæmones esse illos, qui huiusmodi effectus operantur, *Operũ magicarũ causæ.* imagines verò, & characteres in materia impressos nullam efficaciam agendi habere, sed tantum esse signa ad aliquem intellectum, vel potestatem, nimirum ad Dæmonem, cui aut expressè, aut tacitè per huiusmodi signa supplicatur.

Conclusio. Maneat igitur ratum, & firmum, nullam materiam, & nullas imagines ab occultis cælorum afflatibus eas recipere vires, quæ suppetias ferre possint flagitiosis Magorum operationibus; Propterea Albertus Magnus lib. 2. Mineral. agens de lapide heliotropio, quem dicunt hominem inuisibilem reddere, asserit, lapidem virtutem hanc neque ex se, neque à Cælo habere, sed ipsum sacrandum esse, & quibusdam characteribus exornandum, quod sanè argumentum est, illam virtutem, neque à natura, neque a virtute cælesti inditam fuisse.

Obiectio. Neq; aliquis obijciat, cælum mouere voluntatem hominis imprimentis figuram in cera, vel in auro, & quemadmodum cælum communicat peculiares influxus, eo tempore, hominis voluntati, ita easdem virtutes conferre imagini efformatæ ab homine à cælo moto, & excitato; Quandoquidem verum est, omnem motum naturalẽ dependere à cælo, tamquam à primo mouente, sed falsum est motus voluntarios, quales sunt motus artificiales ab homine prodeuntes à cælo causari; quod, vt supra demonstratum est, non agit nisi indirectè, & remotè in hominis voluntatem; Quare si cælum nihil confert humanæ volũtati, nihil etiam conferet imagini ab homine liberè, & voluntariè efformatæ; Igitur ex dictis satis patet, nullam imaginem, vel figuræ inesse virtutem, ab occultis cælorum qualitatibus communicatam.

Ferrariẽsis consideratio. Maius facessit negotium illud, quod traditum fuit à meo Ferrariensi loco cit. §. Ad huius euidentiam, vbi considerat, quod in imaginibus à Negromanticis sub tali siderum situ constructis duo spectanda sunt, scilicet materia naturalis, ex qua fiunt, & forma artificialis, qua constant, & quæ ipsis est accidens. Si consideretur forma, aut figura artificialis, asserit hanc nullam virtutem ex corporum cælestium impressione sortiri, vt clarissimè docet D. Thom. 2.2. Quæst. 96. art. 2. & Quodlib. 12. art. 14. quoniam forma artificialis nihil aliud est, quam compositio, ordo, & figura, quæ ex 1. Physic. text. 63. nullius actionis, aut passionis principium esse potest, & compertum

est, figuram ad quartam speciem quantitatis spectare, ex Arist. in prædicamentis, cui quantitati nulla conceditur actio. Quamobrem id, quod non habet naturaliter ex se figura, scilicet principium agendi, nec etiam à Cælo potest obtinere. Si verò spectetur materia, ex qua tales imagines conficiuntur, puta aurum, vel argentum, vel lignum, non inconuenit, inquit Ferrarien. aliquam virtutem habere imaginem ex hoc, quod sub tali siderum positione materia imaginis, transmutatur, & alteratur; Vndè certo quodam, ac determinato modo acquirit virtutem cælestem, quam non habet aliud indiuiduum, puta aliud aurum, vel argentum eiusdem speciei. Quare si aurum perfusionem, & liquefactionem sub aliqua siderum positione in talem figuram redigatur, existimat Ferrarien. quod aliquid habeat virtutis, ad producendos effectus tali virtuti cælesti proportionatos, adeò vt quamuis illud aurum talem figuram non haberet à Mago impressam, eadem tamen virtutem à Stellis nancisceretur. Putat verò talem virtutem cælestem in materia, sic dixerim, per se, & in imaginibus per accidens impressam, non esse perpetuam in materia, vel imagine, sed tanto tempore durare, quanto durat influxus illius cælestis impressionis, ex qua fuit causata.

Ferrarien. sis opinio de imaginibus magicis.

Fateor, me valde admirari virum sapientissimum, & grauissimum tantæ rerum leuitati fidem aliquam adhibuisse; Etenim illa virtus cælestis, quæ, ipso referente, imprimitur in auro liquefacto, vel cera, vel est corporea, vel incorporea; Si corporea asseratur, ergo materialis, cum nullum corpus, nisi mathematicum datur absq; materia; si verò virtus corporea materialis à cælo infunditur auro, vel argento, ergo aurum, vel argẽtum post talem impressionem grauius erit; quod certè est absurdum, & experientiæ contrarium; nam penderetur aurum ante liquefactionem, & post liquefactionem factam sub quocumq; siderum positu, rursus ad trutinam pendatur, eiusdem ponderis inuenietur, ergo nulla addita est res corporea materialis; si verò talis virtus cælestis impressa in auro, est spiritalis, incorporea, & intentionalis, quomodo fieri potest, vt in materia corporea, nimirum in auro, tamquam in carcere perstringatur, & detineatur res spiritalis, & incorporea, quæ cum sua natura perfectione, & potentia rem corpoream antecellat, non potest à corporea materia captiuari, vt statim non effugiat, & euanescat; quod si illicò, vt Ferrariensis admittere videtur, talis virtus euadit in auras, sequitur, quod tales imagines à Magis confectæ non sint validæ, & efficaces, ratione virtutis è cælo effluxæ, nisi in eo puncto, & sub ea siderum positione, sub qua efformantur; Contrarium tamen persuadent Magi, scilicet tales imagines diù retentas, eosdem effectus producere; Quare nulla ratione defendi potest, materiam imaginum, quas effingunt Magi, talem virtutem ab astris recipere, qualis opem ferat effectibus, quos flagitiosè Magi moliuntur.

Ferrarien. sis confutatur.

Quoniam verò demonstratum hactenus est, occultos Orbium cælestium influxus ad magica crimina perpetranda nihil conferre, & viros magicæ arti mancipatos à Dæmonum potestate vires suscipere ad opera super naturæ mores efficienda, Ecclesiastici Doctoris, qualem ago, munus est impia Petri Pomponatij dogmata euertere. Hic Peripateticæ Philosophiæ professor cum multa egregia ad mentem Aristotelis disputasset, suam doctrinam lib. de Incantationibus edito labefactauit, quo in opere ostẽdere contendit, ea, quæ naturæ limites excedunt, & naturalem superãt potestatem, produci à cælestibus orbibus, quatenus sunt instrumenta ab Intelligentijs mota; Quod argumentum, cum sit proximum materiæ, de qua superius disseruimus, sequenti Puncto Pomponatij dicta falsitatis, atque impietatis accusabimus, atq; damnabimus.

Disputationis sequentis occasio.

PVNCTVM NONVM.

Admirabiles effectus supra vires Naturæ non producuntur à cælestibus orbibus motis ab Intelligentijs. Neq; species intentionales humana insidentes phãtasiã possunt ope cælestium orbium imagines reales in aere efficere, neq; homo potest ab afflatibus calorum talem recipere proprietatem, vt miracula operetur, neq; in homine, paruo Mundo, comprehenduntur virtutes

tates integræ, & explicitæ, quæ in magno Mundo continentur. Errata Pomponatij, quæ refelluntur.

HOc loco ad Tribunal veritatis, non tantum Philosophicæ, sed etiam Christianæ prouocanda est falsa, & impia opinio Petri Pompanatij Lib. de Incantationibus; In quo ad mentem Aristotelis demonstrare contendit, nullos esse Dæmones, & cunctos effectus mirabiles referendos esse in Intelligentias, non eas quidem, quas nostra approbat Religio, & Theologica doctrina quandoquidem putat sufficere numerum ab Aristotelem constitutum, sed in Intelligentias mouentes Cælorum Orbes, quorum motu, & lumine, tamquam instrumento ipsemet Intelligētię mirabilia in hoc inferiori Mundo producunt; Ideò miracula, quæ Dei omnipotentis voluntate, & efficaci Angelorū ministerio fieri nostra docet Religio, & sacra tradunt monumenta, corporibus cælestibus, vt Instrumentis Intelligentiarum ipsos mouentium, nonminus flagitiosè, quam falsò ab homine nimis audaci adscribuntur. Hinc Auguria, Incantationes, Locutiones puerorum recens natorum, Prophetiæ, & huius notæ admiranda, in Corpora Cælestia, vt Organa Intelligentiarum ab ipso referuntur. Atq; inter cætera ipsius deliramenta, dum refert Beatum Petrum Cælestinum Aquilanæ Vrbis Patronum in aere Aquilanis apparuisse, ad fugandos imbres, & procellas expellēdas, quibus ea Ciuitas vexabatur, existimat figuram illam, & faciem D. Cęlestini ab Aquilanis clarissimè visam, ab Intelligentijs, & Corporibus Cælestibus in aere fuisse productam. Existimat enim species Intentionales producere posse aliquid reale, nempè id, cuius sunt species, sicut faciunt Ideæ in Mēte Diuina. Itaq; ex Pomponatij sententia D. Petri species impressa imaginationibus Aquilanorum, potuit ope Intelligentiarum, & adiumento Corporum Cælestium illam speciem excitantium producere in aere formam realem D. Petri. Quid ineptius, siue vt verius loquar, quid magis detestandum in Philosopho Christiano dici, vel fingi potest? Quis enim vnquā somniabitur, speciem intentionalem equi in Imaginatione humana impressam equum realem in aere posse producere? Ita enim cogitationes hominis, de auro efformando, iam aurum produxissent; Quod est ridiculum asserere. Neque par est ratio speciei in phantasia, & Ideæ in Mente Diuina, in qua Ideę non distinguuntur realiter à Diuina essentia, & sunt substantiæ, & non accidentia, quales sunt species; & in infinitum perfectione excedūt species omnes intentionales, quarum natura est non effectiua, sed solum repræsentatiua rerum, quarum sunt imagines. Hinc apparet insania Pomponatij putantis, acies in aere visas, buccinarum sonitus exauditos, equos armatos insilientes, vt Machabæorum Libris proditum est, fuisse imagines ab Intelligentijs, medijs cælestibus orbibus, in aere productas, vel emanantes ab humanis imaginationibus illarum rerum imagines potuisse realia Corpora in aere efformare.

Pomponatij errores.

D. Petri Celestini apparitio.

Sed vt breuiter hæc errata castigem, quì fieri potest, vt cælestia corpora, causę vniuersales agentes solo motu, & lumine tot peculiares effectus mirabiles producant? Cur potius in vno, quam in altero loco, cum indifferenter ad omnia loca suos diffundant influxus? Cur potius in aere Aquilanæ Vrbis, quam alibi D. Petri Cælestini imaginem efformant? Et quomodo, obsecro, producunt? Forsitan, educendo species intentionales ab imaginationibus Aquilanorum, quibus D. Petri forma repræsētabatur? Esto, tales species, quod tamen insanum est, per aerem euagari, nunquid sunt aptæ ad reales formas producendas? Iam diximus, hanc cachinno dignissimam esse ineptiam; forsitan condensabunt aerem ad illud Corpus repræsentandum? At simplex aeris condensatio non sufficit, ad talem imaginem efformandam, fortassè vnient, & congregabunt species sensibiles effluentes à Corpore D. Cælestini per aerem effusas? Eo prorsus modo, quo obiecta remotissima speculo ingentis magnitudinis opposita possunt humanis oculis repræsentari. Verum cum D. Petrus, de quo loquimur, non habeat corpus suæ animæ beatæ coniunctum in Cælo Empyreo, sed solum ibi adsit ipsius beata anima soluta corpore, non potest sui imaginem sensibilem per aerem

Figmētorū Pomponatij confutatio.

diffundere; Ita vt in aere, tamquam in speculo, virtute intelligentiarum, & Orbium cælestium illa imago colligatur, & ad oculos reflectatur. Sed demus etiam, corpora gloriosa è Cælo Empyreo suas species in inferiorem Mundum eiaculari, tanta tamen est distantia ab eo Cælo ad aerem nostratem, vt in via dispergantur, euanescant, & ipsorum Cælorum motu disijciantur, & deleantur.

Neque obstat id, quod asseritur à Pomponatio, scilicet imagines obiectorum imprimi in aere, quamuis difficilius, eo prorsus modo, quo imprimũtur in phantasia. Nam similitudines, quæ humanis inuruntur imaginationibus, ab externis obiectis prosiliunt ad ipsas, & in spiritibus animalibus imprimuntur. At, quanam ratione simulacra Diuorum, imagines exercitus pugnantis, Equi discurrentes, Buccinarum sonitus, & alia admirabilia sunt in aere imprimenda, cum neque in illo aere, neq; in proximo extiterunt antecedenter talia obiecta sensibilia, à quibus huiusmodi imagines effluxerint, & ad aerem peruenerint? Præterea, Potentiam cognoscentem, vel cognitione intellectiua, vel sensitiua, esse illam, quæ intentionales colligit imagines, easq; vnit, & componit, in aere autem non adest talis vis percipiens, atque vniens imagines. Igitur nulla est par ratio, & æqualitas inter aerem recipientem simulacra, & phantasiam, siue hominum, siue brutorum.

Non sicu impressiones obiectorũ in aere.

Asserere autem, à proprietatibus peculiaribus hominum proficisci virtutem efficiendi miracula, hasque proprietates haurire homines à corporum cælestium afflatibus, & constitutionibus, vt affirmat Pomponatius, adeò falsum, & impium est, vt suæ impietatis pondere ruat, & nullam aliam requirat castigationem. Illud tamen admonebo, quod cum cælestes orbes sint Causæ vniuersales agẽtes per modum naturæ, vt supra demonstratum est, nequeunt in hominibus peculiares producere proprietates, maximè illas, quæ humanas excedunt vires, & rerum supranaturalium sunt effectiuæ.

Pomponatij impietas.

Quod igitur Boues voce humana locuti sint, & dixerint, Caue tibi Roma, vt terrorem Romanorum animis incuterẽt; quod puer recens natus, vt refert Haly, locutus fuerit, quod edita sint apud Gentiles vaticinia; quod alia mirabilia ab hominibus perpetrata sint, vel falsa sunt illa, quæ ab Historicis de his euentibus enarrantur, vel certè non sunt referenda in operas intelligentiarum, quæ reuoluunt orbes Cælestes, vt opinatus est Pomponatius; Quæ etiam aliena sunt ab Aristotelis, quam ipse profitetur, doctrina; Etenim vaticinia hominum, Sybillarum, & Oraculorum ab Aristotele attribuunt habitui melancholico, vt videre est in Problem. 1. sect. 30. Qua de re fusè locuti sumus in Disputatione de Temperamento ingenij humani.

Mirabilia perpetrata non esse à Cælo.

Decipitur etiam Pomponatius, dum existimat in homine, qui Græcè dicitur Microcosmos, omnes rerum proprietates contineri, eò quia, vt paruus Mundus omnia comprehendat, perindè ac si in homine sint illæ mirabiles lapidum proprietates, de quibus mirãda potius quam vera, & fabulosè potius, quam philosophicè verba facit Albertus; adeò vt si reperiatur lapis potens talem sanare languorem, vel tali resistere morbo, & reperiantur similiter herbæ potentes edere mirabiles effectus, eadem quoque virtus in homine, tamquam in paruo Mundo reperiatur; Nam demus, vera esse, quæ de lapidibus, & herbis ab Alberto Magno proprio ingenio magnæ ex parte inuenta fuere, asserendum tamen est, proprietates lapidum, & herbarum integras in homine non reperiri; & propterea in ipso huiusmodi mirabiles virtutes nequaquam comprehendi. Etenim, si Scammoneæ datum est purgare bilem, hoc non dandum est homini, qui possit suo temperamento, & virtute alterius choleram purgare; Proprietates enim, & virtutes herbis, & lapidibus attributæ, ex ipsorum oritur temperamento, & à tota substantia proficiscuntur, quæ cum sit ab humana substantia diuersa, consequitur animam humanam aliud toto genere diuersum nactam temperamentum, hisce qualitatibus præditam non esse, iuxta pronunciatum Aristoteles 2. de Anim. Text. 53. scilicet vnumquodq; propriam habere formam, & speciem, & clarius 2. De Gener. Anim. cap. 3. ita loquitur; Sed omnis Animæ siue virtus, siue potentia corpus aliud participare videtur, idque ma-

Pomponatij, & Alberti figmẽta.

magis Diuinum, quam ea, quæ elementa appellantur. Hæc sunt præcipua, quibus Pomponatius Peripateticã Doctrinam, de qua cæteroquin est optimè meritus, labefactauit; In quibus conuellendis non est, quod diutius nostra defatigetur industria, cum Antonius Bern rdus Mirandulanus Episcopus Casertanus Lib. 29. De euersione singularis Certaminis sect. 4. & per reliquas sectiones Pomponatij falsa dogmata euertere doctissimè studuerit rerum mirabilium effectus, non in intelligentias mouentes orbes, non in cælestia corpora, sed in Dei Potentiam, & in Angelorum, vel Beatorum, vel Damnatorũ opera Theologico referens calculo; Atq; de Pomponatij erratis hæc dicta sint satis.

PVNCTVM DECIMVM.

Explicantur sacræ scripturæ testimonia, quorum germana interpretatio occultas Cælorum admittit virtutes.

PRo arcanis cęlorum viribus hęc primo loco à vitis imperitis in arenam adducitur ratio; quam ego ipse fateor à plebecula sæpius audiuisse. Si stellæ fixę, & errantes nulla præter lucem virtutem haberent, quoniam hæc Soli, tamquam fonti, & primo naturali inest principio, superuacanea, & inutilia cætera sidera essent, quæ cum ab Opifice supremo tanta pulchritudine instructa, tanta varietate motus, tanto ordine distributa sint, vt in admirationem humanos rapiant obrutus, dubio procul asserendum est, Stel as tum errantes, tum fixas, non fuisse à Deo productas, vt solum nostris oculis spectandas se præbeant, & quasi otio correptæ nihil efficiant, sed vt summa actiuitate medijs proprijs virtutibus, & influentijs hunc inferiorem Mundum administrarent. Quare cum improbabile prorsus sit tam speciosam cohortem stellarum nihil aliud quam illuminationem prætendere, quæ satis à Sole omnium stellarum duce completur, peculiares stellarum influxus admittendi videntur.

Obiectio à causa finali stellarũ.

Hæc ratio facilè dirimitur, si verba Moysis spectentur cap. 1. Moysis, hæc de sideribus à Deo creatis verba facientis. Dixit autem Deus; Fiant luminaria in firmamento Cæli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, & luceant in Firmamento Cæli, & illuminent terram, & factum est ita; fecitq; Deus duo luminaria, luminare maius, vt præesset diei, & luminare minus, vt præesset nocti, & stellas, & posuit eas in firmamento Cæli, vt lucerent super terram, & præessent diei, ac nocti, & diuiderent lucem à tenebris; Hactenus Moyses. Quibus apertissimè indicat diuersos fines, propter quos summus rerum Opifex sidera errantia, & inerrantia creauit; Etenim primus finis est, vt diuidant diem, & noctem, ideò subiungit, Deum fecisse luminare maius, nimirum Solem, vt præesset diei, & luminare minus, scilicet Lunã, vt præesset nocti; & adnotandum est verbum additum à Moyse (& stellas) vt significaret sidera fixa à Deo creata fuisse, vt etiam ipsa simul cum minore luminari nati præesset.

Solutio.

Siderum causa finalis.

Secundus finis creationis stellarũ explicatur illis verbis (& sint in signa, & tẽpora, & dies, & annos) quorum verborum sensum supra fusè explicauimus in 1. cap. huius Disputationis Astrologicæ, atq; ostendimus, sidera non esse signa denorantia humanas actiones, sed esse signa effectuum naturaliũ, vt si Luna area quadam subpallida circumambiatur, futuram indicat pluuiam, vel si Sol vespertinus inter nubes, vel inter rubros occidat vapores, modò imbres, modò ventos præsagire videtur; Præterea subdit Moyses (& tempora, & dies, & annos) ad significandum circumlationibus, tum Solis, tum Lunæ constituenda esse tempora sacra, festiua, & cæremonialia ab Hebræis in lege obseruanda, & dies quosdam solemni ritu esse colẽdi; Porrò anni producendi erant, non solum à cursu Solis, sed etiam à Lunæ circumrotatione; quoniam ex Lunæ cursu efformandus erat annus ab Hebræis obseruandus, minor Solari vndecim diebus.

Quomodo stella sint signa.

Cum igitur ex sacro eloquio Moysis pateãt fines, ob quos producta sunt sidera, inter quos præcipuus est, vt loquitur Moyses, lucere super terrã, cur mens humana, in stellarum nitore cæcutiens, imperitiæ caligine inuoluta alios quæritat, & somniatur fines? Non reticebo aliũ à Diuino Psalte stellarum finem his verbis expli-

plicatum. Cæli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annūciat firmamentum. Voluit siquidem Creator Deus rectè digesta stellarum serie, copiosa siderum phalange, specioso tot stellarum vultu sui ipsius sapientiam, potentiam, pulchritudinem patefacere. Decipiuntur igitur mortales arbitrantes purissima illa, ac lucidissima corpora ad solius telluris commodum, ad solum hominis beneficium fuisse producta; quando ad Dei gloriam enarrandam, tamquam aurei codices explicati fuerint, & tamquā igneæ linguæ amore Dei inflammatæ diuina celebrant præconia. Si igitur de innumeris stellis in firmamēto emicātibus Moyses testatur, ipsa à Deo conditas fuisse, vt nocti præessent, vt nocturnas vmbras illustrarent, vt recedente Sole vna cum Luna vicem gererent ipsius Solis, vt illuni nocte terram illuminarent, cur hominum ingenia alios fines confingunt? Idem dicendum est de Saturno, Ioue, Marte, Venere, & Mercurio, de quibus expressam non facit Moyses mētionem, quoniam hi Planetæ sub nomine stellarum comprehenduntur, atq; ipsis conuenit illud, quod à Moyse assertum est, scilicet Deum in firmamento Cæli luminaria collocasse, quia nomine firmamenti non solū in sacro textu intelligitur Aplanes, seu octauus orbis, sed intelligitur etiam expansio illius spatij, quod intercedit à superficie terræ vsque ad octauam sphæram, hebraicè enim firmamentum sonat Raquha, quod verbum significat expansionem, vt animaduertit Pererius, exponens præfata sacri Codicis verba. Itaque, cum Planetæ in tali expansione, seu spatio, à Deo creati sint, & constituti, de ipsis etiam implicitam facit Moyses mentionem; de luminaribus autem Sole, & Luna, potissimum verba facit; quia sunt sidera cæteris notiora, & illorum actiones in his inferioribus efficaciores sunt magisq; perspicuæ. Vt igitur paucis rem complectar, assero, siderum illos dumtaxat spectandos esse fines, quos veritatis magistra, sacra indicat scriptura, non illos, quos humana ingenia nimio ausu, & temeritate commenta sunt.

Stellæ non ad solum luminis cō modū producta.

Firmamēti nomen quid importet.

Cęterum magnum difficultatis nodum ad fauorem occultæ in Cælo virtutis cōponere videntur verba, quæ habentur in lib. Iudicum cap. quinto; ita enim loquitur sacra scriptura. De Cælo dimicatum est contra eos; Stellæ manentes in ordine, & cursu suo, aduersus Sisaram pugnauerunt; Quorum verborum litteralis sensus est, aduersus Chananæos, quorum dux erat Sisara, cælum decertasse, & suis stellis, quasi instructo ordinatim exercitu, contra Sisaram dimicasse, qui in ea pugna vna cum exercitu in fugam coniectus est, & gloriosa exercitus Israelitica victoria superatus; Igitur Stellæ in illum triumphum suis conspirasse afflatibus videntur. Ergo hoc testimonium sacræ paginæ arcanis cælorū influētijs suffragatur.

Auctoritas ex lib. Iudicum.

Multę à sacris Scriptoribus afferuntur ad hæc verba interpretationes. Prima est Stellas adeò Chananæos inflammasse, adeòq; lutum accendisse, vt equorum vngulæ de pedibus caderent propter flāmas in luto impressas, & à pedibus equorum vngues extorquentes; Quæ expositio reijcitur, quia ibidem traditur causa, propter quam vngues ceciderunt, quia scilicet equi discurrebant per loca petrosa, & abrupta, ita vt de altissimis in præceps caderēt; præterquam quod non tantus esse potest stellarū æstus, nec tanta luti inflammatio, vt vngues equis adimere valeant.

Interpretatio prima pradicta auctoritatis.

Alij interpretati sunt, Stellas adeò Chananæos calefecisse, vt coacti fuerint, seipsos ingurgitare in torrente Cison, in quo nimirum refrigerati perierunt, vel ipso torrente obruti fuere. Neq; ista probatur expositio; nam si propter torrentem Cison, scilicet propter eius frigiditatem, vel quia in ipso extincti fuerunt Chananæi, dicitur cælum aduersus ipsos pugnasse, perperam dicitur, quoniam non Cælum, aut stellæ, sed ipse torrens aduersus hostes, & Sisaram dimicasset.

Secunda interpretatio.

Neque admittenda est alia explicatio, nempè, quod Deus præsidens Cælo, & Stellis, in fauorem Israelitici populi pugnauerit, idcircò dicantur Stellæ aduersus inimicos Chananæos bellige rasse, etenim, cum Deus præsit non solum cælo, & stellis, sed elementis, ac omnibus rebus creatis, eadem ratione dicendum erat elementa, & cætera creata aduersus Sisaram decertasse, quandoquidem contra ipsum bellauit ille Deus, qui omnibus dominatur.

Tertia expositio.

Neq;

Neq; consona sacræ Scripturæ verbis est expositio allata de Cometis, ac de ignitis meteorologicis impressionibus, quæ instar stellarum de cælo, idest de suprema aeris regione, in qua elucebant ceciderunt, vt maximum timorem Chananæis incuterent, adeout præcipites se agerent, & semetipsos neci committerent; Etenim verba hæc; Stellæ manentes in ordine, & cursu suo, non conueniunt inflammatis impressionibus, de cælo cadentibus, quæ cum nullum habeant à natura, aut ordinem, aut cursum, tumultuariè decidunt è Cælo; Neq; id aptatur Cometis, quorum fulgor, vel Chananæorum oculos perstringeret, vel timore afficeret, & in fugam impelleret; siquidem Cometæ non habent ordinem, licet habere possint cursum, idest motum, quo ab Oriente ad Occidentem, vel à Septentrione ad Meridiem mouentur. Præterea, cum Scriptura numero plurali de stellis loquatur, non solēt plures Cometæ, vno, & eodem tempore, cælo coruscare, & eò magis refellenda est hæc explicatio, quia ipsi obstat translatio ex Hebræo S. Pagnini, quæ habet. De Cælo pugnauerunt stellæ, de gradibus suis pugnauerunt cum Sisara; nam gradus, quæ sunt partes excogitatæ ab Astronomis in stellis, & signis Zodiaci, quæ triginta gradibus, seu partibus constituuntur, non conueniunt aut ignitis meteoricis impressionibus, aut Cometis, quorum gradus numquam fuerunt ab Astronomis considerati. Non prætereo silentio, quod interpretatio hæc de Cometis, vel de stellis cadentibus obtinere non potest veritatem, nisi in pugna nocturna, in qua, occidente Sole, cometæ, ac stellæ cadentes in aere conspiciuntur; quare in certamine diurno, quo credibile est, acriter, & strenuissimè in Chananæos pugnatum esse, nullum auxilium, nullas suppetias stellæ attulerunt copijs Israeliticis; Quod certè non est asseuerandum.

Sacrũ textum nõ esse intelligendum de Cometis.

Vt verum fatear, nodus hic videtur Gordianus, & prorsus difficilis ad dissoluendum, & ex hoc pronunciato Diuinatores, & astrologicæ leuitatis amatores arma desumunt, ad astrologica dogmata propugnanda; Nihilominus existimo sententiam verborum, quæ supra retulimus veram, & à Spiritu Sancto traditam hanc esse. Habetur eo loco relatio ad pugnam, & bellum gloriosè confectum à Iosue, relatum in Iosue cap. 10. aduersus Gabaon, quando, vt loquitur sacra Scriptura, Iosue locutus est Domino in die, qua tradidit Amorrhæum in conspectu filiorum Israel, dixitque coram eis, Sol contra Gabaon ne mouearis, & Luna contra vallem Aialon; steteruntq; Sol, & Luna, donec vlcisceretur de inimicis suis. Stetit itaq; Sol in medio Cæli, & non festinauit occumbere spatio vnius diei, nō fuit antea, nec postea tam longa dies, obediēte Deo voci hominis, & pugnante pro Israel. Quibus verbis clarissimè apparet, Solem, & Lunam, quasi instructa suorum Luminū acie contra Hebræorum hostes dimicasse, suos cohibendo cursus, & diem in longius spatium protendendo. Vt igitur afferret sacra Scriptura in lib. Iudic. differentiam, quæ intercessit inter bellum Iosue, & pugnam habitam contra Sisaram, ne idem esset iudicium de vtroque bello, quod Sol, & Luna vtrique pugnæ eodem modo fauissent, subiungit, de Cælo quidem dimicatum esse, non quia stellæ, idest Sol, & Luna, quæ præcipuæ sunt stellæ, retardauerint suum cursum, & mutauerint ordinē eo modo, quo euenit in pugna Iosue, sed Sol, & Luna eumdem ordinem, & cursum seruantes, per gradus, & partes solitas in asterismis Zodiaci decurrētes, pugnauerunt aduersus Sisaram, non peculiari aliquo miraculo, quod euenit in bello ab ipsomet Iosue cōfecto, sed quia occultè Deus opitulatus est copijs Israeliticis aduersus Sisaram, nullo adhito externo prodigio in principalibus stellis, Sole, & Luna. Itaut illa verba, de cælo dimicatum est, significent peculiarem Dei fauorem in Israelitas; Sequentia autem verba (stellæ manentes &c.) indicent modum fuisse non insolitum, non cohibendo cursus stellarum, vt alias fecit, sed ipsasmet stellas in suo naturali ordine, & cursu relinquentes. Hanc puto veram esse illius sacri testimonij interpretationem comprobatam à Nicolao Lirano in Glossa, vbi testatur, hæc dicta fuisse ad differentiam illius victoriæ, quæ facta est à Deo per Iosue, quia tunc Sol, & Luna steterunt, in hac autem victoria non steterunt, sed in cursu suo processerunt.

Verus sensus sacrorũ verborum.

Confirmatio ex Lirano.

runt. Quare Astrologi perfricet frontem, si quam habent, & rubore maximo suffundantur, dum ex sacræ Scripturæ thesauris Astrologica sterquilinia depromere conantur.

Hæc à me toto ingenij conatu disputata sunt aduersus Planetarios, vt ipsorum inani de occultis influentijs euersa doctrina totius Astromanticæ disciplinæ concidat ædificium, atque ita fit, vt nequeant Saturnus, vel Mars, noxij Planetæ prædicati, suis maleficis qualitatibus ad Mundi exitium cooperare, atq; adeò probatissimum maneat id, quod cōtendimus demonstrare, scilicet Astrologica diuinatione Vniuersi excidium prænotari nō posse. Hac igitur quæstione completa, in qua fortasse latius, quam par erat, luxuriante materia, euagati sumus, iam diuisum nostræ Disputationis filum connectamus.

CAPVT QVINTVM.

Afferuntur varij Planetarum motus, sed solum consideratur motus in Apogæo, & Perigæo, & præsertim Solis, à quo motu non dependere mutationes Regnorum demonstratur, nullamque ex tali motu deduci posse notitiam de Mundi occasu.

Planetarũ periodi. Singuli Planetæ, præter motum Raptus, vna periodica naturali reuolutione circumrotantur, quæ in ipsis diuersa est, & diuersis absoluitur Annorũ cursibus. Hinc iuxta Systemma Cęli Ptolomaicum, circa terram, vt Centrũ, Saturnus circumuoluitur Annis 30. Iuppiter 12. Mars 2. Sol, Venus, & Mercurius vno; Quamuis iuxta Systêma Copernicæum Venus 9. mensibus, Mercurius 80. diebus reuoluantur circa Solem, vt Centrum. Non quia ita in densis orbibus moueantur, cum orbium densorum *Virtutes cælorũ motrices.* in Cælo crassities satis à recentibus obseruationibus sit exclusa, sed quia mouentur per Æther illud immensum, vel ab Intelligentia, vel ab Anima, seu propria forma, vel per scientiam motus inditam; Verum de his motibus non est sermo; Quoniam magnæ rerum mutationes, & mysteria his motibus simpliciter consideratis non adscribuntur, sed quidem verba facio de vno, aut pluribus in Cælo circuitibus, quos peragunt Planetæ pro Epicyclorum, quibus alligati sunt connexione; Et hi motus ex Astrologorum placitis ad vniuersa Mundi mysteria indaganda referuntur. Sol cæterorum *Solis motus.* Planetarum Choragus pręter maximum orbem, quo annua conficitur circumgyratio, Eccentrico cōtextus cietur, quamuis etiam Soli vna cum Cesalpino supra relato assignetur Epicyclus à Christiano Longomentano in Astronomia Danica lib. 1. Theoricorum. Ex quo Eccentrico, vel, vt alij asserunt, Epicyclo, oritur Anomalia, idest inæqualitas motus Solis. Cæteri autem Planetæ præter primarios cir- *Aliorum Planetarũ motus.* culos suos, etiam duobus, vel pluribus circellis agitantur, quorum circulorum ratione, inuentæ sunt latitudines, quibus Planetæ vltro citroque à via Solis, idest ab Ecliptica discedunt, in Capite Draconis, vel in Cauda constituti, qui appellantur Nodi, scilicet latitudines, vel Australes, vel Boreales; Quod potissimum obseruatum fuit in Luna, quæ per *Luna motus.* suos Eccentrici geminos circellos, ita ad dispositionem Solis variatur, vt in quadraturis disgressiones faciat maximas, & in locis medijs motum, modo acceleret, modo retardet, dum videlicet in Quadratura egreditur, vel dum reuertitur; Quam quidem in Nodis Anomaliam Tycho Brahe accuratissimè obseruauit. Cum igitur Planetæ in Eccentricis, & Epicyclis ascendunt, & descendunt, in Apogæo, & Perigæo, tardi, veloces, mediocres cursu, directi, stationarij, retrogradi dicuntur, & pro positus, & motus rationes vires immutant.

Cōmune autem Axioma est Astrologorum, Planetas in Apogæo puriores & feliciores existere, quia nimirum stellis fixis propinquiores sunt, & ab octaua Sphæra puritatem hauriunt, & decus.

Quo-

Planetarũ vires respectu augium. Quoniam verò à terra remotiores sunt, minorem habent efficaciam, minusq; mouent inferiora, vt propterea in opposito Augis, quamuis deteriores sint, robustiores tamen euadant. Quod quidem, excepta Luna, omnibus conuenit Planetis. Etenim cum Luna magnam habeat cum Terra cognationem, quando in Perigæo reperitur, & velocioris est cursus, & robustior, & melior, & purior etiam existit, vt colligitur ex Ptolomæo lib. 1. quadrip. cap. 7.

Mutationes absidũ quid portendant. His ita constitutis, Pronunciatum Astrologicum est, mutationes Absidum Planetarum, quibus nempè Planetæ modo sunt euecti, & à suo Centro, imò à terræ meditullio remoti, modò inclinati, & terræ propinqui; Quod nihil aliud est, quam Apogæi, & Perigæi consideratio, magnas in Mundo efficere mutationes, & præsertim mutationem Absidis Solis, cuius in terra maxima vis est, quam sequuntur Venus, & Mercurius, qui in eodem orbe cum Sole reuoluuntur; Imò quam sequitur reliquorum Planetarum mutatio in sua Eccentricitate, cum motus illorum verum motum Solis respiciant, iuxta Tychonis obseruationes, quia circa ipsum, excepta Luna, tamquam circa Centrum circumducuntur, indeq; mensurantur. Propterea circulus Eccentricus Solis, vel, vt alij loquuntur, Circellus Epicycli, Rota fortunæ appellatur, cuius circumductu Mundi monarchias mutari iactant Astrologi. *Rota fortuna.*

Mutationem autem Apogæorum Solis accuratè considerant Astronomi, vt videre est in Astronomia Danica lib. 1. Theoricorum cap. 2. vbi efformatur Tabella de Apogæi Solis loco ab initio Mundi, & diuersitate Apogæorum sub diuersis Astronomorum Ætatibus considerata, supposito, quod Sol in prima Mundi Creatione habuerit Apogæum in Ariete, & Perigæum in principio Libræ. Et obseruatum fuit, quod eum Sol positus esset tempore Hypparchi in Apogæo in grad. 5 ½. Geminorum; Obseruatum, inquam, est Apogæum locum Solis Anno Christi 1588. fuisse in grad. 5. m. 38. Cancri, nunc verò iuxta calculum Tychonicum in grad. 6. & m. 10. eiusdem signi. Hæc igitur mutatio Absidis in Sole fit in 1500 Annis, sed in cæteris Planetis fit in diuersis temporibus, vt Copernicus, & Tycho diligentissimè adnotarunt. Propterea animaduertunt Astrologi, quod hoc tempore, quo intrauit Absidis Mercurij de Scorpione in Sagittarium, cum ipsi Sagittario subiecta sit Hispania, ingenium maximè, artes, & disciplinæ, quibus præest Mercurius, apud Hispanos florcant, imò cum Hetruria, & ipsa Sagittario sit subiecta, propter Absidem eamdem Mercurij in Sagittario, arripiunt inde occasionem celebrandi nouam scientiam syderum in Hetrusco præstantissimo Astronomo Galileo. *Mutatio absidis Mercurij.*

Mutatio obliquitatis ecliptica quid portendat. Addunt, mutationem obliquitatis Zodiaci magnam quoque parere mutationem, tam in excursu Solis, quam Planetarum; Quæ tamen causa cum præcedenti consentit; Nam augetur, & minuitur obliquitas Zodiaci, cum Eccentricitate Solis, vt hac existente maxima, vel minima, illa quoque maxima, vel minima constituatur. Quamobrem Campanella lib. 2. Astrologic. Art. 2. & Origanus de effectibus parte 3. memb. 2. cap. 1. in has mutationes Absidum, & mutationem obliquitatis Zodiaci maximam rerum varietatem, & inconstantiam referunt. Ex quibus omnibus hoc confici potest argumentum. Si mutationes Absidum, & præsertim Solis maxima in Mundo producunt euenta, & præsertim Imperiorum mutationes, aliqua allequi possumus coniectura, talem aliquando propter mutatam Solis Absidem futuram in Mundo mutationem, vt ad nihilum vergat, & declinet, vel talem in Christiana Religione mutationem, seu extinctionem futuram, vt cum ipsa extinguenda, quæ tamen vsque ad consummationem sæculi perseuerare debet, extinguatur etiam Mundus necesse est. Itaque nostræ sunt partes hanc qualemcumque diluere, & euertere dubitationem.

Primũ fundamẽtum. Primum sit fundamentum; Solem imò vniuersum Cælum vniuersalem esse causam, & propterea ad producendos peculiares effectus requiri causam peculiarem, nec quicquam gigni à natura, quod præter Cælum particularem quoque in terris causam non habeat. Hinc syderei afflatus à proximis causis, & particularibus distinguũtur, & determinantur; Quare cum loquitur Aristoteles de influxu

Arist. auctoritas explicatur. superiorum Corporum in inferiora, docetque, Mundum hunc inferiorem supernis lationibus esse contiguum 1. Meteor. cap. 2. loquitur de causalitate vniuersali, quam exercent corpora cælestia in Elementis, quæ sunt Cælo contigua. Quocirca statuendum est, mutationes temporum, & varietates vtique referri in Cælum, tamquam in causam vniuersalem, sed concedendum pariter est, easdem mutationes dispositioni inferioris materiæ, vt proximæ, & particulari causæ attribuendas esse. Quamobrem cum Aestates magis, minusuè feruent, cum hyemes modò rigidiores, modò mitiores ingruũt, cum alij Æstatis dies, alijs calidiores, hyemis dies, alijs frigidiores experiuntur, referendæ sunt hæ mutationes in sublunarem materiam, quæ semper in motu versatur, & continuo quasi fluxu tumultuat; Vnde potest alicubi, concurrentibus particularibus causis, quæ variæ, & innumerabiles esse possunt, generari materia, vel producendis ventis, vel imbribus idonea, alicubi verò non reddetur talis materia apta ex defectu causæ particulari, quæ non poterit materiam præparare. Quo fit, vt eadem hyeme, vel Aestate, imò eadem die, hic calor vrgeat ibi frigus; Itaut diuersis mutationibus hæc inferioris Mundi plaga pro diuersa causarum particularium qualitate assiduè subijciatur.

Causa irregularium mutationum.

Quod si rursus vrgeas, Particulares causas hic mouentes, & alibi quiescentes, suas è Cælo assumere vires, dabo manus, & libenter concedam, à Cælo, tamquam à Causa vniuersali primas deducere vires, ac primum recipere motum, quo deindè particulari causalitate, & efficientia Causæ proximæ in ambientem agunt aerem, eumque diuersis motibus, & qualitatibus afficiunt; Cum autem appello Cælum causam vniuersalem, id potissimum defendendum est Soli, à quo veluti à Planetarum Centro, & à fontali principio communis vis illa deriuatur, non enim à particulari Syderis virtute aliquid effluit, quod à Sole non emanet.

Quomodo particulares causæ à Cælo moueantur.

Quibus ita constitutis palam fit à Sole, vel ipse in Apogæo, vel in Perigæo constituatur, morales, & Politicas Mundi mutationes, idest Regnorum, & Monarchiæ varietates neutiquam dependere; Etenim Sol est causa vniuersalis agens ad modum naturæ, quæ non potest concurrere nisi naturaliter, & eodem semper modo operari, cum causa naturalis ad vnum tantum sit determinata; Itaque remotio in Apogæo, vel propinquitas Solis in Perigæo non potest ipsius naturalem, & vniformem causalitatem mutare, & nil aliud efficiet, nisi quod Sol magis remotus minus calefaciet, propior autem maiori æstu Mundum vrgebit; Hæc verò efficientia nullatenus esse potest causa euersionis Regni, ac mutationis Monarchiæ; Nam quæ intercedit coniunctio inter caliditatẽ Solis, & Imperium? Inter causam à natura ordinatam ad generationes naturales producendas, & generationes, vt sic dixerim, politicas Regnorum, & Monarchiæ? Quare cum hæc ab alijs proximis causis, vel ab auaritia hominum, vel à libidine dominandi, vel à prætensa iustitia, vel tandem à varijs liberis hominum electionibus dependeãt non sunt Soli adscribenda. Quamuis cælestia corpora, ex Doctrina supra relata D. Thomæ, agant indirectè in humanam voluntatem, quatenus excitant passiones amoris, odij, iræ, quas non benè regulata electio sæpè numero sectatur. Attamen Cæli non sunt causæ per se, sed per accidens humanarum Electionum, prout ipsæ à superiori ratione non regulatæ excitatis à Cælo passionibus obsequuntur.

Effectus Solis quomodo se extendant.

Supponitur autem affectus humanos a cælestibus corporibus directè, & per se promoueri, quod tamen à nobis supra concessum non fuit; Ideò inficiamur bella, vel à Saturno præ auaritia, vel à Marte præ ira cieri. Nam vt loquitur Io. Frãc. Picus lib. 5. de Prænot. Aduers. Astrol Inest animis Regum, vt sic dixerim, probabile Deus, nunc bonos exercens ad virtutem, nunc puniens malos ministerio sæpè malorum, quos ille carnifices in Mundana Republica, & quasi visibiles Dæmones habet. Quapropter si hæc Cælo non sunt adscribenda, sed liberis hominum arbitrijs, & varijs humanæ voluntatis mutationibus, planè sequitur, non posse Astrologos, vel ex bellis, vel ex mutationibus Regnorum, vel ex alijs euentis, quibus humana Respublica concutitur, aliquam de fine Mundi præsentire notitiam. Si enim antecedentia à corporibus cæle-

Bella, quibus causis adscribẽda

cælestibus nullatenus deriuantur, neque etiam consequentia, nempè Mundi interitus, & excidium.

Res casu contingentes à Cælo non dependent.

Secundum sit fundamentum, Cælum non est causa rerum, quæ vel fortuna, vel casu contingunt. Ratio est, quia causa naturalis non est determinata nisi ad vnum producendum; Ideò Cælum, quod est causa naturalis non intendit in sua efficientia nisi vnum; Ens verò fortuitum non dicitur vnum per se, sed per accidens, & conflatur ex pluribus rebus, quæ nullum inter se habent ordinem, seu connexionem; Exempli gratia inuentio thesauri cum fossione terræ, quam facit Agricola, dum seminat, nullam habet coniunctionem, propterea Cælum non connectit hæc, neque ordinat ad vnum, sed hoc spectat ad causam superiorem intelligentem, vt ad Deum, vel Angelum, qui potest hæc pro sua sapientia simul vnire, & adducens Agricolam ad fodiendam terram eo loco, in quo occultatur thesaurus.

D. Thomas 1. 2. Quæst. 95. Art. 5. in Corp. idem confirmat his verbis. Ens per accidens non habet causam, & præcipuè naturale, cuiusmodi est virtus Cælestium corporum; quia quod per accidens fit neque est ens propriè, neque vnum, sicut quod lapide cadente fiat terræmotus, vel quod homine fodiente sepulcrum, inueniatur thesaurus, hæc enim, & eiusmodi non sunt simpliciter vnum, sed simpliciter multa. Hinc verum non est illud, quod aliqui iactant, scilicet fortunatum hominem esse eum, cuius imaginatio cælitus mouetur, vt propterea non prosit fortunato consilium, quo fortè distrahetur, & abducetur ab eo, ad quod impeditus syderum ipsum vocat, & trahit; Itaut statim aggredi debeat illud, ad quod promotum se sentit à Cælo. Puto enim falsum esse imaginationem à Cælo moueri, nisi quatenus Cælum agit in organa corporea, quibus alligata est Phantasia; Ideò ex mala qualitate impressa in cerebro, vt ex inflammatione, furiosæ, ac deprauatæ prodeunt Phantasiæ operationes. Verum si sumatur Phantasia eo modo, quo sumitur ab Arist. idest pro motu à sensu secundum actum facto, hoc modo non concurrit Cælum nisi vt causa vniuersalis, eadem semper operans ratione, vt propterea hominum Phantasiæ eodem modo à Cælo moueantur, & propterea omnes sint æqualiter fortunati respectu Cæli; Quocirca existimo cum Proclo Platonico in Comment. in Timæum, fortunam esse dæmonicam potestatem congregandi inuicem causas inter se diuisas, vbi per dæmonicam intelligit sapientem, & occultam vim, quæ est Dei Prouidentia, modo ad bonum, modo ad malum homines adducens, pro diuersitate finis, quem sibi proponit.

Imaginationem à Cælo non moueri.

Fortuna secundum Proclum quid sit?

Mutationes Regnorum unde.

Ex his apertè colligitur euersiones Regnorum, mutationes Imperiorum, nouos Principatus, qui ex diuersis euentis proficiscuntur, esse entia non per se, sed per accidens, nimirum Principatum ex pluribus rebus consurgere, quæ nullam inter se habent connexionem, & ordinem. Alexander cognomento Magnus veneni haustu perijt, post quem in multos translatum est Imperium. Aegyptum Ptolomæus tenuit; Macedonias Philippus Syciam Babilonem, & omnia Regna Orientis Seleucus Nicanor; Asiæ regnauit Antigonus. Interrogandi nunc sunt Astrologi, quomodo hæc diuersa Imperia in diuersos Principes dispersa ab vna causa Cælesti, quæ semper eodem modo agit, & quæ vnum semper per se intendit, emanare potuerunt. Quænam est connexio inter S. Cæsaris mortem, & vniuersæ Reipublicæ Romanæ euersionem? itaut cum Respublica, ob Cæsaris necem rursus ad Aristocraticum dominatum redire deberet, inciderit in Tyrannidem M. Antonij, quo extincto, & bello ab Octauiano superato, ipse Cæsar Augustus Imperium quinquaginta sex Annis feliciter gesserit. Quamobrem statuendum est cælestes afflatus, & defluxus non concurrere ad mutationes Regnorum, & ad Monarchias constituendas, quæ sunt entia ex pluribus entibus conflata, entia potius ad artem, quam ad naturam reducenda, neque intenta à Cælo agente secundum naturam. Itaque esto, quod destructiones Regnorum, translationes Imperiorũ aliquam de proximo fine Mundi notitiam valeant prænotare, cum tamen hæc neque à Cælo in Vniuersum, neque à motu Solis, vel in Apogæo, vel Perigæo dependeant, compertissimum est, vanum, & futile esse Cardani pronunciatum 1. Aphoris. 35. his verbis. Mutatio-

nes Absidium Regna, Regiones, & Religiones mutant. In specie verò de mutatione Absidis Solis loquitur 5. Aphoris. vbi putat, Absidem Solis ab Ariete, ad Cancerum proficiscentem inhabitabilem reddere Austrinam partem, Borealem autem habitabilem facere, cum tamen hæc non Soli sint attribuenda, sed hominum potestati, quæ maiorem, & faciliorem inuenit aditum ad Borealem, quam ad Australem Regionem. Quare si Regna, & Imperia non dependent à Sole, causa inter cælestes præstantissima, multò minus ab ipso nostra Christiana dependebit Religio, quæ instar corporis mystici à Spiritu Sancto tamquam à Corde, à Christo Domino tamquam à Capite dependet. Quare etiam si Christiana Religio in fine Mundi magnas subitura sit calamitates, tamen hæ non efficientur à Sole, vel à Planetis, sed ab Antichristo, ita Deo permittente, vt tandem ipso extincto gloriosior Christiana fides excultet, & in Cælis coronetur.

Effectus mutationis Solaris absidis.

Christiana religio à cælestibus influxibus independent.

CAPVT SEXTVM.

Ex aspectibus Planetarum finis Mundi coniectari non potest, & præsertim ex Oppositione, Quadrato, & Coniunctione. Referuntur variæ sententiæ Astrologorum finem Mundi Planetarum Coniunctionibus adscribentium, & præcipuè sententia Berosij. Agitur de Maximis Coniunctionibus, earumque inefficacia demonstratur. Perstringitur Disputatio aduersus Berosum, referentem Mundi Incendium in Coitum Planetarum in Cancro.

CVm in superiori Capite demonstratum sit, à motibus Planetarum finem Mūdi nullatenus dependere, proximum est, vt idem ex Planetarum aspectibus ostendamus; Etenim, cum plerique Astrologi in varias Planetarum Coniunctiones Mundanum retulerint Occasum, partes nostræ videntur esse, ipsorum errata patefacere, & tam falsa dogmata euertere. Quod facili non præstabimus negotio, nisi primum angustam quidem, sed accuratā de cælestibus Aspectibus tractationem cōficiamus; Ipsorum quippe ignorata natura, tota hæc Quæstio caligine quadam obrueretur. Itaque perspicuum Astrologis est Aspectum nihil aliud esse, quam Radiationem, seu luminis Planetæ, atque virtutis propagationem in alium Planetam. Atque cū requiratur in hac Radiatione aliquod interuallum in Zodiaco, fit vt Coniunctio propriè aspectus non sit appellanda, vt animaduertit Origanus p. 3. de effectibus Cap. 6. Habet tamen Coniunctio inter Aspectus maximam virtutem, quoniam corporalis Planetæ præsentia semper euidentius vel iuuat, vel affligit.

Aspectus quid sit.

Diuiditur Aspectus in Sextilem, Quadratum, Trigonum, & Oppositum relictis aliquo alijs aspectibus à Recentioribus cōsideratis, de quibus omnibus plura dicere supersedeo, cum illis, qui vel limina Astrologiæ salutarūt, ipsorum natura, & qualitas compertissima sit. Quoniam autem sæpè accidit, vt Planetæ tanto interuallo sub signifero inter se non distent, quantum requiritur ad exactam Aspectus constitutionem, diuiduntur Aspectus in Partiles, & Platicos; Etenim in Partilibus ipsa Planetarum se mutuò aspicientium corpora, & centra inter se agunt. In Platicis verò Planetæ intra quantitatem solum medietatis suorum Orbium vires communicant.

Aspectuū diuisio.

Aspectus partiles, & platici.

Non prætermittam, alios aspectus dici Dextros, alios Sinistros; Dextri appellantur, qui tendunt contra ordinem signorum, vt ex. g. ex Leone in Taurum; Sinistri, qui secundum ordinem signorum, & seriem nominantur, vt ex Tauro in Leonem; Et quamuis Ptolomeus appellet Dextros Sinistris validiores, tamen absolutè id verum non esse docet Cardanus, & Scheinerus. Nam radij, seu Aspectus Planetarum ad Domos feruntur per motum Primi mobilis, mouentis Plane-

Aspectus Dextri, & Sinistri.

tas

tas contra Signorum ordinem, & dicuntur radij dextri, & potentiores sinistris, non absolutè, sed in ordine ad Domos; Aspectus autem, siue radij Planetarum ad se ipsos, vel ad Stellas fixas fiunt per motus proprios Planetarum iuxta signorum ordinem, & dicuntur Dextris valídiores.

Antiscia. Satis mihi perspicuum est à nonnullis Astrologis inter Aspectus Antiscia enumerari, quæ sunt quicumq; gradus æquè distant à Tropicis punctis; Imò signa directè ascendentia dicuntur se se intueri, cum tortuosè ascendentibus, & Antiscia illis esse, atq; è contra, vt patet in Tabella de Antiscijs ab Astrologis composita; Inter quæ Antiscia alia sunt odiosa, alia non, Illa, quæ hostili radio, vt potè quadrato, se feriunt, odiosa sunt, vt Leo, & Taurus, Scorpius, & Aquarius.

Aspectus alij recenter introducti. Neque est, quod in præsentia disputemus, An cum priscis Mathematicis Octagonus Aspectus sit admittendus, qui efformatur, cum Luna post Coniunctionem, à Sole discedit, & in 45. grad. reperitur; Vel An admittendus sit cum nonnullis recentioribus Astrologis Aspectus duodecimus, qui continet 30. gradus, putaturq; efficax, quasi semisextilis; Vnde Campanella in suis Lib. Astrolog. Lib. 2. Cap. 10. Art. 1. existimat, vtrumque Aspectum esse efficacem, præsertim in rebus velocibus, & facilis passibilitatis. Propterea in peracutis morbis, in mutationibus aeris, & aquarum, vtrumque Aspectum censet non esse contemnendum, Imò putat innumeros esse Aspectus ab Astrologis non animaduersos. Consonat obseruatio Cardani lib. 3. de Iudicijs, Text. 38. referentis Ptolomæum putasse duodecim Signa ita in Aequatore, sicut in Zodiaco efformare Aspectus; Quod postea aliqui secuti sunt Recentiores, considerantes etiam Aspectus in Aequatore, & præsertim Maginus præstantissimus Astronomus.

Aspectus cum fixis. Notandum est, quod non considerantur Aspectus inter Stellas fixas, & Planetas, preter Aspectū Coniunctionis; Quod sanè euenit propter tardissimum motum ipsarum Stellarum fixarum, & ob eamdem rationem non obseruatur Aspectus inter Stellas fixas; Quæ tamen possunt esse corporaliter cum Planetis coniunctæ; Atq; id euenit, quando Planeta non distat à Stella fixa, nisi per 5. gradus; si autem per plures elongetur ab ipsa, non partiliter, sed platicè coniunctus dicitur. Considerant etiam Astrologi latitudinem Planetarum, vel Australem, vel Borealem, propter quam latitudinem ita aliquando Planeta distat à Stella, vt nullo modo ab ipsa afficiatur, consideratur etiam declinatio Planetæ, & circulus Positionis, propter quarum rerum diuersitatē magis distare Planeta à Stella videtur.

Silentio dissimulare nequeo grauissimum Astrologorum errorem, qui in Directionibus constituunt Aspectum Trigonum inter Venerem, & Mercurium, cum tamen hi Planetæ plus gradibus 79. circiter ab inuicem nequeant elongari. Sic Trigonum, & Sextilem inter Solem, & Venerem constituunt, licet eadem Venus vltra gradus 48. à Sole numquam possit distare, imò Mercurij cum Sole Quadratum, Trigonū, & Sextilem Aspectum admittunt, cum tamen Mercurius à Sole plus grad. 28. non expatietur. Scio Responsionem allatam ab Astrologis; quod aliud est Astrologicè, aliud Astronomicè loqui. Nam Astrologia docet, Planetas omnes à loco Radicali in Natiuitatibus, per Annum, ad gradum in Directionibus promoueri; Astronomia verò ostendit diuersos esse Planetarum motus; Quare cū Astrologia cum Astronomiæ veritate non concordet in Aspectibus Planetarum instituendis in Directionibus, patet euidenter, Astrologorum inuenta, nugas esse, & figmenta. *Astrologorum error in vsu aspectuum.*

Sed antequam demonstremus, nullum Cæli Aspectū concurrere posse ad Mundi exitium, operæ pretium esse duco Aspectus efficaciam rimari, quam aliqui putant à numeris pendere, vt Pythagorici; Alij à signorum natura, vt plurimi Mathematicorum; Quapropter boni, & felices dicuntur Aspectus, Sextilis, & Trigonus, quia ex signis eiusdem naturæ formantur; Tetragonus verò Aspectus, & oppositio praui, & infelices prædicantur, quia ex signis naturæ contrarijs constant; Alij fortasse figuræ Triangulari, vel Quadrangulari efficaciam adscripsere, & alij tandem distantiæ, seu Interuallo determinato intercedenti inter vnum, & alterum Planetam, Aspectus vim attribue- *Aspectuū efficacia.*

bue-

bucrunt; Quæ omnia absurda sunt, nulli-que consentanea Rationi; Vanissimum, inquam, est numeris aliquam vim concedere, cum numerus sit quantitas discreta, quæ suaptè natura non est Actiua, vt infra disputabimus, agentes de Numeris Annorum indicantibus Mundi finem. Improbanda postea omninò est diuersitas naturarum, seu qualitatum in signis Zodiaci, itaut ex vniformi, vel diuersa natura proficiscantur Aspectus, modò praui, modò felices; Id enim admittit qualitates varias, & noxias in cœlestibus Corporibus, quod in superioribus Capitibus fuit à nobis explosum; Neq; figuræ, diuersitas Aspectuum, & efficacia est attribuenda, quia figura ex sua natura non est Actiua, nisi ratione Corporis, cui inest, & Planetæ per Aspectus non mutant figuram Orbicularem. Præterea, quando Radij emanantes à Corporibus Cælestibus in Terra commiscentur, non seruant illas figuras, sed promiscuè vniuntur alterari, & mutati; Neque tandem vis oritur à distantia, siuè interuallo interiecto inter vnum, & alterum Planetam, quia spatium non est actiuum, & distantia est mera Relatio, quæ nullius rei est productiua: Illud sanè non satis derideri potest, quod ab Astrologis vnanimiter affirmatur, scilicet Planetas in signis propinquis nihil inter se operari, vt si Iuppiter in Ariete, & Mars in Tauro collocentur, non communicant sibi inuicem suas vires, quales communicant, dum sunt propinqui, per 60. partes Zodiaci; idest distantes per duo signa, quibus sextilis Aspectus constituitur; Tunc enim Iuppiter parum læditur à Marte, propter Aspectus bonitatem. Hoc Pronunciatum Vniuersæ reclamat Philosophiæ, docentis Causas, quo magis propinquas efficacius inter se agere; Planetæ autem in proximis signis, nihil agunt, ex sententia Astrologorum; Igitur Aspectus Planetarum nihil aliud videntur esse, quam ipsorum Astrologorũ nugamenta, qui varietates Aspectuum in Planetis deduxerunt à varijs Configurationibus, quas Luna habet ad Solem, easque varietates perperam ad cæteros Planetas transtulerunt, quoniam cæteri Planetæ præditi sunt proprio, & immutabili lumine, vt supra ostensum est, neque habent ad Solem, præsertim superiores Planetæ eas vicissitudines, quas habet Luna, quæ mutuato tantum lumine à Sole refulget.

Qualitatũ diuersitas in Zodiaco nulla.

Figura aspectuum inefficax.

Aspectuũ efficacia Philosoph. repugnant.

Sed quoniam meum nõ est consilium quodcumq; Dogma Astrologicum conuellere, versabor in inquirendo, quisnam Aspectus ex enumeratis, ad Mundi perniciem possit concurrere. Et quidem obseruandum est cum Cardano, oppositionem inter Aspectus maiorem vim obtinere, quippe quæ in Diametrali configuratione radios Planetarum constituat, qui transeunt per Centra ipsorum Planetarum, & fortius in ipsis vniuntur. Præterea animaduertendum est, commune Astrologorum esse effatum, Aspectus, qui minus manent, maiores effectus, & efficaciores producere, quam qui diu consistunt; Hinc Coniunctiones pluribus diebus manent, oppositiones verò vnica transeunt die. Propterea oppositiones, & Quadrata mortes repentinas, & subitas faciunt mutationes, quia sunt cum motu veloci. Quare si Mundi Incendium à Configurationibus Planetarum producendum est, oportet vt mali sint Aspectus, scilicet vel Oppositus, vel Quadratus, potiusquam Coniunctio. Sed talis Aspectus deberet esse Martis ad Solem, quoniam Mars, vt fabulantur Astrologi, suo genio maleficus hauriens maximam copiam caloris à Sole, vna cum Solis calore Mundum inflammabit. Verum, quoniam supra satis demonstratũ est, Solem, quamuis natura, & substantia igneum, comburere inferiora naturaliter nõ posse, consequens est, vt nec etiam id præstare possit Mars, qui longè superatur à Sole, tum magnitudine Orbis, tum efficacia caloris. Addo infinitus à Mundi primordio factos fuisse Aspectus Quadratos, & Oppositos Martis cum Sole, & tamen nullum Vniuersale hucusq; secutum esse incendium.

Oppositionis vis.

Quibus aspectib. mundi incendium tribui possit.

Vt verum fatear, Astrologi Coniunctionibus magis, quam alij Planetarum Aspectui Mundi incendium, & exitum adscribunt. Atque hæc Astrologorum opinio initium duxit à Beroso Chaldæo, de quo ita loquitur Seneca lib. 3. Nat. Quæst. cap. 29. Berosus, qui Belum interpretatus est, ait cursu ista siderum fieri, & adeò quidem affirmat, vt Conflagrationi, atque Diluuio tempus assignet. Arsura enim

Berosi sententia, de causis inundationis, & naufragationis.

enim terrena contendit, quando omnia Sidera, quæ diuersos agunt cursus, in Cancro conueniunt, sic sub eodem posita vestigio, vt recta linea exire per Vrbes omnium possint. Inundationem verò futuram, cum eadem siderum turba in Capricornum conuenerit. Illic solstitium, hic bruma conficitur; Magnę potentiæ signa, quę in ipsa mutatione Anni momenta sunt; Et istas ego receperim causas; neq; enim ex vno est tanta pernicies; Et illa, quæ in Conflagratione nostris placent, huc quoque transferenda puto, siue Anima est Mundus, siue corpus Natura gubernante; Vt arbores, vt sata, ab initio eius vsque ad exitum quicquid facere, quicquid pati debeat, inclusum est; Vt in semine omnis futuri ratio hominis cōprehensa est, & legem barbæ, & canorum nondum natus infans habet (totius enim corporis, & sequentis ætatis in paruo, occultoq; lineamenta sunt); Sic origo Mundi non minus Solem, & Lunam, & vices siderum, & Animalium ortus, quam quibus mutarentur, terrena, continuit. In his fuit Inundatio, quæ non secus quam hyems, quam æstas lege Mundi venit. Hactenus Seneca; Ex quibus patet, Berosi sententiam fuisse, Planetas omnes in Cancro coeuntes vniuersale Mundi Incēdium producturos, quemadmodum in Capricorno coniunctos Diluuium effecturos.

Astrologorum varia de Mundi fine opiniones.

Cæteri verò Astrologi à Beroso verius dixerim decepti, quam edocti maximi æstimātes Planetarum Coniunctiones in eosdem lapsi sunt errores, exitiū Mundi varijs Planetarum Coniunctionibus attribuentes. Ideò Abulensis in cap. 22. Matthæi, Quæst 231. refert, nonnullos retulisse finem Mundi in Annum à Christo nato 1148. propter Coniunctiōnem Saturni, & Iouis factā Anno 1144. Mense Iunio in fine Cancri.

Arnoldus Mundi finem retulit in Annum Christi 1355. ob Coniunctionem trium Planetarum Superiorum in Aquario. Vel in Annum Christi 1464. ob Coniunctionem Saturni, & Iouis in Piscibus.

Leouitius Bohemus Mundi Occasum retulit in Annum 1584. ob magnam Planetarum Coniunctionem in Tauro.

Ioannes Regiomōtanus, Ioannes Stoflerus, & Henricus Ranzhouius Astrologi celeberrimi affirmarunt Annum 1588. futurum fuisse fatalem Mundo, & exitialem. Huc referuntur ea, quæ de Congressionibus Planetarum afferētibus Antichristum ab Astrologis somniata fuerunt; etenim Arnoldus de Villanoua putauit Antichristum propter quemdam syderum coitum venturum anno Christi 1326. vt Sanctus Antoninus refert 3. p. summis tit. 22. cap. 1. §. 1.

Petrus Aliacus Card. & Episc. Camerariensis lib. de concord. Astronom. & hist. cap. 60. & 61. ex Astrologicis indicijs, & coniunctionibus putauit Antichristum exoriturū anno Domini 1289.

Hieronymus Cardanus lib. vniuer. cap. 2. arbitratus est ex Astrologicis coniecturis fore Antichristum anno 1800.

Superiora tempora confutauit euentus, etiam Cardani deliramentū à tempore refelletur. Quare cum Astrologi tanti faciant Coniunctiones magnas Planetarum, vt ipsis potius, quam alteri Aspectui Mundi perniciem adscribant, nostræ Disputationis ratio postulare videtur, vt de varijs speciebus Coniunctionum breuiter differamus, earumq; inefficaciam euidentissimè demonstremus.

Coniunctionis maxime, magna, media, minus.

Coniunctiones Trium Planetarum superiorum Iouis, Saturni, & Martis diuersas nanciscuntur denominationes, siquidem aliæ vocantur Maximæ, aliæ Magnę, aliæ Mediæ, seu Minores.

Appellatur Maxima Coniunctio Saturni, & Iouis, cum Martis Concursu, quando hic saltem platicè coniungitur cum ipsis intra limites decem graduum, quem terminum appellant Decanum.

Magna Coniunctio dicitur illa, qua Saturnus, & Iuppiter solum iunguntur. Media est Coniunctio Saturni, & Martis. Minor Coniunctio est Iouis cum Marte.

Hæc distinctio non approbatur à Cardano lib. 1. Aphorismorum, Aphoris. 64. neque ab Origano parte 3. de effectibus cap. 1. Ideò Coniunctiones Planetarum Maximæ, Mediæ, & Minores alio modo sunt explicandæ.

Maxima igitur Coniunctio tunc erit, quando Saturnus, & Iuppiter discedentes à Triplicitate aquea coniunguntur in signo Triplicitatis Igneæ; Hinc non approbo opinionem afferentium, tunc solum

Coniunctio maxima. lum fieri Coniunctionem Maximam, quando supradicti Planetæ, Saturnus, & Iuppiter cõiunguntur in principio Arietis, intra sex gradus, quoniam quotiescunque fiet Coniunctio horum Planetarum in aliquo signo igneo, quæ sũt Aries, Leo, & Sagittarius, dicetur Coniunctio Maxima. Non est tamen negandum, Coniunctionem eorumdem Planetarum in principio Arietis, æstimari ab Astrologis maioris roboris, & efficaciæ; Ita etiam adhæreo opinioni eorum, qui existimant, Coniunctionem Maximam tunc futuram, quando cum Ioue, & Saturno coniungetur etiam Mars in triplicitate Ignea, fortiores enim tunc producentur effectus à virtute Planetarum, quæ dubio procul maior est in tribus, quam in duobus.

Coniunctio media. Media Coniunctio erit Saturni, & Iouis, quando videlicet in ipsa Coniunctione fit mutatio Triplicitatis, vt quando transeunt ab ignea ad terream, aut ab ista ad aeream, aut ab aerea ad aqueam. Quæ Coniunctio fit, quando ijdem Planetæ successiuè coniuncti fuerunt duodecim vicibus in signis vnius Triplicitatis.

Cõiunctiones minores. Minores Coniunctiones sunt illæ, quibus Saturnus, & Iuppiter iunguntur in ijsdem signis, idest in signis eiusdem Triplicitatis. Et Coniunctiones Saturni, & Martis, vel Iouis, & Martis vocãtur Coniunctiones minimæ.

Interualla maximarũ coniunct. Coniunctiones Maximæ, iuxta opinionem Alcabitij, & Alliacensis in suo Elucidario Astronomico, fiunt spatio Annorum 960. sed eorum sententia à modernis Astronomis reprobatur, qui computantes medios motus Planetarum, asserunt, Coniunctiones Maximas euenire Annorũ cursu 794. aut 795. diebus 331. hora 15. min. 35. vt animaduertit Origanus p. 3. de effectibus Memb. 2. cap. 1. §. Quarta tandem Causa.

Interualla mediarum & minorũ. Coninnctiones Mediæ contingunt in Annis 240. quæ Media Coniunctio est replicatio Minoris Coniunctionis, per duodecim vices, ex quibus duodecim vicibus repetitis resultat numerus Annorum 240. Et minores contingunt spatio 20. Annorum, quamuis reuera non semper vniformia sint spatia temporum, quæ intercedunt inter Coniunctiones omnes supradictas, vt patet euidenter in Coniunctione Minori, quæ sequetur Anno futuro 1643. In quo deberet succedere Coniunctio Minor Saturni, & Iouis in grad. 7. & min. 4. Arietis; Et tamen eueniet in grad. 25. & min. 29. Piscis; Quæ Coniunctio variat à Coniunctione simili facta viginti ab hinc Annis, scilicet Anno 1623. quando Iuppiter, & Saturnus coniuncti fuerunt in Leone, variat, inquam, spatio, quoniam non intercedunt 20. Anni, sed tãtum Anni 19. dies 3. m. 13. Quod consonũ est doctrinæ Cardani 1. Aph. 64. asserẽtis, Minorem Coniunctionem non habere pro integro spatio cursum viginti Annorum, sed fieri singulis Annis 19. diebus 315. horis 19. Apparet etiam alia variatio in Coniunctione Minori celebrãdã in Pisce Anno sequenti 1643. quoniam talis Coniunctio fieri deberet in signo Igneo, scilicet in Ariete, & tamen fit in Aqueo. Id euenit potissimum ex inæqualitate motuum Planetarum, quæ inæqualitas prouenit à suis Eccentricis, à Retrogradationibus, & Stationibus, ideò Planetæ aliquando præcedunt, aliquando postponunt spatia temporum supradicta. Addo, quod nondum satis compertum est, An tempus harum Coniunctionum spectetur ratione, medij motus, an veri motus Planetarum. Quare si aliquis accuratè considerabit Coniunctiones Minores factas Annis præteritis, vt Coniunctionem Saturni, & Iouis in grad. 21. Piscis Anno 1583. die 8. Maij; Et Coniunctionem in grad. 9. & min. 36. Sagittarij factam Anno 1603. die 24. Decembris, & Coniũctionem in grad. 5. min. 35. Leonis factam Anno 1613. & Coniunctionem faciendam post hanc proximam Anno 1663. die 21. Octobris in grad. 13. Sagittarij, animaduertet Mutationes aliquas in temporibus interiectis euenire, Ita vt semper eadem prorsus tempora non recurrant propter Anomaliam, seu motus inæqualitatem Planetarum.

Interualla inæqualitas. *Vide Keplerum de Trigono Igneo.*

Coniunct. species dua subordin. Notandum est cum Iouiano Pontano, duas species Coniunctionnm Medias, & Minores quodammodo famulari Maximæ Coniunctioni, vt potè magis, ac magis in lucem proferentes, & confirmantes ea, quæ veluti per nebulam quamdam à Maxima Coniunctione fuerũt adumbrata, & significata.

Propterea istæ Coniunctiones, quasi ancillæ, vt dixi, deseruiunt Maximæ, quæ

fit

fit in Trigono igneo, & præsertim in Ariete primo Zodiaci Signo. Quare cum in Coniunctionibus Maximis fiat transitus ex Trigono Aqueo in igneum, quod suis qualitatibus aduersatur aqueo, hinc arripiunt occasionem Astrologi decantandi, maximas mutationes in Mundo euenturas, propter Maximas Coniunctiones, quas dicunt præsagire mutationes Regnorum, Legum, Bellorum, & aliarum rerum maximi momenti in hoc inferiori Mundo.

Contra subordinationem minimarum Coniunctionum. Atq; vt hinc exordiar fictas Coniunctionum vires refellere, assero Coniunctiones Minores non famulari, seu opitulari Coniunctionibus Medijs, & Maximis, quasi ipsarum vires conseruando, seu dispositiones iam introductas custodiendo. Nam à tempore, quo facta fuit Coniunctio Maxima, vt de hac potissimum loquar, vsque ad Annos viginti, quibus fit Coniunctio Minor, dispositiones illæ, seu effectus, qui iam erant introducti, & præparati à Maxima Coniunctione, euanescunt, & extinguuntur, quoniam eo tempore intermedio nulla est causa conseruans dispositiones introductas à Maxima, imò adest aliquando causa contraria ipsas corrompens, quemadmodum sunt Coniunctiones Martis, & Iouis, quæ fiunt singulis 27. mensibus, aut Coniunctio Solis cum Marte, quæ fit in 26. mensibus, aut Coniunctio Martis cum Saturno, quæ fit in 25. mensibus, aut Coniunctio Solis cum Ioue, quæ fit singulis 14. mensibus, aut Coniunctio Solis cum Saturno, quæ fit singulis 13. mensibus, aut Coniunctio Veneris cum Sole, quæ fit in 10. mensibus circiter, aut Coniunctio Mercurij cum Sole, quæ fit in 2. mensibus, aut Coniunctio Lunæ cum Sole, quæ fit in diebus 29. & horis 10. vt latè prosequitur Cardanus lib. 2. de Astrorum iudic. Cap. 9. Quare cum istæ Coniunctiones habeant aliquando contrarias, aliquando diuersas intentiones ab intentionibus, finibus, & effectibus intentis à Maxima, & Media Coniunctione, consequitur, vt tales Coniunctiones non conseruent, & foueant id, quod intenditur à præcedentibus Coniunctionibus Maxima, vel Media, sed potius destruant, & annihilent, aliamq; dispositionem introducãt in materia iuxta diuersitatem Causarum agentium, idest Planetarum coeuntium.

Nec coniunctiones medias maximis deseruire. Idem affirmandum est de Coniunctione Media, respectu Maximæ, adeò vt perspicuum sit ipsam nullatenus Maximæ deseruire. Etenim si Media Coniunctio fit in Trigono diuersæ qualitatis ab eo, in quo fit Maxima, quoniam fit in Trigono, vt supra dixi, vel Terreo, vel Aereo, vel Aqueo, quomodo ex. g. si fiat in Trigono Terreo frigido, & sicco conseruabit, fouebit, reparabit effectus, qui emanare debent à Coniunctione facta in Trigono igneo, calido, & sicco. Nam quamuis reperiatur simbolicitas inter Trigonum igneum, & terreum, ratione siccitatis, quæ est qualitas passiua, adest tamen inter ipsos Trigonos contrarietas ratione frigiditatis, quæ est qualitas actiua; Vnde si aliquid spectans ad Coniunctionem Maximam per Mediam conseruabitur à siccitate Trigoni, in quo erit, destruetur etiam à frigiditate eiusdem Trigoni.

Contra magnarũ Coniũctionum efficaciam. Sed Astrologi sunt interrogandi, à quonam fonte Maximæ, & supra omnes ce ebratissimæ, & eminentissimæ Coniunctiones vires obtineant. Ab Annis forsitan, ipsorumq; supradicto numero? Hoc sanè non affirmabunt, quia numerus formaliter sumptus nullam habet actiuitatem, vt alias adnotaui, cum sit species quantitatis discretæ, quæ sua natura est passiua. Non à tempore simpliciter sumpto, qui est mensura motus, secundum prius, & posterius, ex Aristotele, & est effectus motus cælestis, & præsertim motus Solis; Quare si Coniunctio acciperet vires à cursibus Solis annuis per Zodiacum repetitis, profectò Coniunctionis robur non esset in coitu Planetarum Iouis, & Saturni, sed in itineribus Solis, tot vicibus repetitis, quot requiruht Anni 795. ad Coniunctionem Maximam inducendam. Itaque remanet Coniunctionem Maximam totas haurire vires ab Arietis Asterismo, in quo potissimum celebratur. De hoc

Contra Signorum vires. autem Ariete ita philosophandum est. Aut enim sermo est de Ariete octauæ Sphæræ, aut de Ariete primi Mobilis. Si de hoc loquantur Astrologi, vel inuiti fateantur, necesse est Coniunctionem Maximam nullas inde desumere vires; Nam cum Aries in primo Mobili nihil sit aliud, quam pars immobilis illius orbis cõstituta ex 30. gradibus, seu partibus nullis prædita Stellis, eoque tantum nitens splendo-

re, qui resultat ex condensatione perspicui; quam, obsecro, influentiam communicabit pars illa non stellata, quas vires conferet Coniunctioni factæ sub ipsa lo- nis cum Saturno? Ergo superest, vt ab Asterismo Arietis Firmamenti, & Stellari Orbis robur deducat. Sed neque ab hoc potest efficaciam suscipere; Etenim in confesso est apud Astronomos Stellas Zodiaci ita moueri, vt Stellæ vnius Asterismi alterius Astra ingrediantur; Quo fit, vt Stellæ Piscium ingressæ sint Arietem, quemadmodum Stellæ Arietis ingressæ sunt Taurum. Vnde euenit, quod Coniunctio Maxima, quæ fuit facta Annis ab hinc 795. quando fiet in alio simili Annorum cursu, non inueniet easdem Stellas in Asterismo Arietis. Propterea non possunt Astrologi, tamquam aliquod Decretum firmum, & stabile constituere, quod Coniunctio Maxima trahat robur ab Ariete Stellato, quoniam idem non est semper tenor, & positus earumdem Stellarum.

Refellitur Astrologorum ratio. Non est prætermittenda, simulq; destruenda est potissima ratio, qua contendunt Astrologi demonstrare per Coniunctiones Maximas secuturas esse mutationes in Imperijs, Regnis, & Legibus, quia nimirum aiunt ipsi, in maxima Coniunctione fit transitus à Trigono Aqueo ad Igneum, qui cum sint inter se contrarij, significant contrarias mutationes à Coniunctione Maxima producendas. Hinc non minus falsò, quam impiè tradidit Cardanus, quod Religio nostra Christiana maximè affligetur, quando fiet transitus à Trigono igneo, in quo incæpit ad aqueum, perinde ac si nostra Religio, quæ solummodo summa Dei Prouidentia dependet, à fabulosis Syderum Trigonis incrementa, & decrementa suscipiat. Mahumetti verò secta, inquit idem Cardanus, destruetur, quando fiet transitus, & mutatio à Trigono aqueo, in quo incæpit, ad igneum. Ex quibus patet, totam vim mutationis producendæ a Coniunctione Maxima in Regnis, & Legibus positam esse in contrarietate duorum Elementorum Aquæ, & Ignis. Sed quemadmodum nemo sanæ mentis vnquam affirmabit, qualitates vel Ignis, vel Aquæ concurrere, vel ad construenda, vel ad destruenda Regna, & leges; ita nec etiam affirmabit

Trigonorum inefficacia.

Coniunctiones Maximas suas desumere vires à contrarijs qualitatibus Trigoni, in quo fiunt, cum scilicet fit transitus à Trigono Aqueo ad Igneum. Quapropter, cum hæc ratio ab Astrologis adducta de efficacia talis Coniunctionis sit ab Analogia petita, non est vera, & formalis, sed nullius prorsus roboris, & momenti, nisi asserant Trigonoa habere qualitates occultas, & influentias, ita vt ex qualitate occulta Trigoni ignei Coniunctio Maxima robur suscipiat. Quod tamen absque vllo fundamento dictum est, & fuit à nobis supra reiectum in Cap. de occultis proprietatibus; Itaque ex dictis patet euidenter, quam inania, & futilia sint Astrologorum commenta de Coniunctionibus, vt iure merito eorum Coryphæus Cardanus affirmauerit, Coniunctiones adeò celebratas parui esse faciendas, & Ptolomæus doceat Coniunctiones habere vires ab Eclipsibus; Idcircò idem Ptolomæus, qui omnia ferè Astrologica dogmata in libris Apotelesmatum perstrinxit, non instituit tractationem de Coniunctionibus, tamquam rem inutilem, nulloque fultam præsidio contemnes. *Cardanus, & Ptolom. contra Coniunctionum efficaciam.*

Iam verò Astrologos in proprijs aggrediamur propugnaculis, proprijsq; iaculis confodiamus. Testatissimum omnibus Astrologis est, Coniunctiones præsertim maximas ad differentiam Oppositionis, & Quadrati non statim producere, quos portendunt effectus, sed ipsos in multum temporis differre; Quapropter Albumasar in Tract. Magn. Cõiunct. Differentia prima Cap. 3. asserit, Coniunctionem Vniuersale Mundi diluuium significantem, ipsummet diluuium ducentis septuaginta nouem Annis præcessisse. Quemadmodum ipso referente, Coniunctio, quæ Moysis dominium prænunciauit, octuaginta annis antea præcessit. Hinc etiam affirmant Planetarij Stellas, quæ in Cælo proximis elapsis temporibus apparuere, & præsertim Stellam, quæ Anno 1572. visa fuit in constellatione Cassiopeæ, post multum tempus suos effectus peperisse. *Coniunctionũ ab aspectibus differentia.*

Sed percunctemur ab Astrologis causam, ob quam Coniunctiones in tam longum tempus suorũ effectuum productionem differant; Respondent, id prouenire ex materia, quæ per multas mutationes acqui-

acquirere debet illam dispositionem, quæ requiritur ad effectum, quem parere intendit constellatio Coniunctionis; Sed rursus ab ipsis quærenda est causa disponens, per multas mutationes, illam materiam. Hæc non potest esse Coniunctio, quæ iam pertransijt, & quæ cum actu non sit, non potest suam actionem in materiam continuare, præparando ipsam, & disponendo, iuxta axioma vulgatissimum philosophicum, causa non operatur, nisi quatenus est actu; Quare assignanda est alia causa proxima in hoc inferiori Mundo, quæ tales conservet dispositiones; Hæc verò causa vel recipit suam efficaciam à constellatione, vel non. Si recipit, ergo Constellatio continuat suam influentiam, & actionem; quod non est admittendum, quia Constellatio iam actu non est; Si verò non recipit vires à Constellatione, ergo operatur independenter ab ipsa; Igitur effectus, qui producetur, non erit effectus Constellationis, sed causæ proximæ agentis in materiam.

Contra coniunctiones.

Cardanus de facultate coniunctionum.

Confirmatur id totum doctrina Cardani, qui facultatem Coniunctionum Magnarum considerans, asserit, quod vel est spectanda propinquitas quædam Saturni cum Ioue, vel exacta Coniunctio. Si primum consideretur, cum talis propinquitas fiat per longum tempus, multæ variationes contingunt eo tempore, respectu Iouis, & Saturni. Si verò præcisa Coniunctio consideretur, hæc citissimè transit, & oportet, quod tunc operetur mirabilia, quæ prædicantur, & in tempotis diuturnitatem suas vires non extendat.

Obiectio soluitur.

Neque est, quod veluti in asylum se se recipiant Astrologi asserentes, dispositionem iam esse introductam à Coniunctione Siderum in materiam, ex qua deinde, temporis decursu, prodibit effectus; Etenim huiusmodi dispositio, quantumuis efficax, & valida, nisi foueatur, & conseruetur, euanescet, atque eo tempore non consistet, quod intercedit inter Coniunctionem, & effectum producendum, maximè cum ex Astrologorum placitis inter præsagientia Sydera, & effectus integra sæcula decurrant.

Præterea ab ipsis postulandum est, vbinam seruetur hæc dispositio à Coniunctione impressa; Non in Planetis sibi coniunctis, quia quando Astrologi considerant efficaciam Aspectuum, non attendunt tales vires respectu Planetarum, sed respectu nostri, & materię, in quam agunt Sydera; Ideò necesse est asserere dispositionem, seu virtutem occultam emanatam à Coniunctione conseruari in Materia Elementari, vel in causis particularibus inferioribus; Cum verò tum materia Elementaris, tum causæ inferiores in continuo fluxu, & mutatione versentur, non possunt diù talem virtutem, & Syderum influxum retinere, & conseruare. Propterea non minus falsò, quam ridiculè tradunt ipsi Astrologi, Mahumetti sectam præsignatam fuisse à Coniunctione Iouis, & Saturni cum Lunæ complexu, & Martis irradiatione in Trigono aqueo, & in signo Scorpionis Anno à creatione Mundi 4271. Quæ tamen secta sua non habuit primordia, nisi Anno Redemptionis humanæ sexcentesimo vigesimo primo. Ita testantibus Haly, & cæteris Arabibus Astrologis; Quare cum fiet transitus à Triplicitate Aquea ad Igneam, maximam perniciem, & exitium ominantur Astrologi sectæ Mahumetti. Verum quod attinet ad propositum nostrum, improbabile omninò est, Syderum phenomena tantò antea tempore in Cælo spectata, in tot Annorum sæcula suam efficaciam, & virtutem protrahere.

Coniunctiones non possunt effectum differre.

Coniunctionum significationes expenduntur.

Hic verò afferendæ vnaque singillatim sunt Coniunctiones, quæ diuersos admirandos effectus produxere. Iuppiter iunctus Saturno, aiunt Astrologi, sectam Iudaicam constituit. Ideò Hebræi maximè obseruant diem Sabbati. Quod sanè ridiculum est, & impium, cum Hebraica lex à Domino Deo emanauerit, & obseruatio Sabbati ab ipsomet Deo fuerit demandata. Sed magis impia sunt, quæ ab ipsis proferuntur de Coniunctione Syderum, quæ tulit Iesum Redemptorem nostrum, delirantes enim, & blasphemantes asserunt, Christianam legem ortam esse, vel à Coniunctione Iouis, & Saturni in Arietis parte sexta, quæ antecessit per annos sex Christi Natiuitatem, vel quæ contigit in postrema Cancri parte, quæ antegressa est supradictam Natiuitatem Annis 20. vt refert, & refellit Picus lib. 5. aduersus Astrol. Cap. 13. Hinc putauit Cardanus legem Christianam pro-

mulgatum fuisse Coniunctione Maxima facta in Ariete. Propterea existimat, eamdem Christianam legem affligendam esse à Trigonis oppositis Coniunctioni, in qua nata fuit. Quare cum Trigonus Christianæ Legis sit Aries, Leo, Sagittarius, in Trigono opposito, nimirum Aqueo, multa patietur incommoda. Addunt, quod quemadmodum Christus Dominus Saluator natus est; Sole in Libtæ horoscopo existente, quæ est domus Veneris, & exaltatio Saturni, & ob id per Saturnum notatus est Rex Iudæorum, quia Saturnus præest Iudæis, & per Libram, quæ est signum Iudicij, denotatur Iudex; Ita afferunt Antichristum nasciturum, Sole ascendente in Capricorno, domo Saturni, & exaltatione Martis, quorum Planetarum naturas participare debebit in malitia, & discordia. Aliqui verò ex ipsis retulerunt, quod Anno Domini 1345. vel 1454. ob Iouem, & Saturnum in Piscibus iunctos, vt Hebræi Messiam viderunt, ita Christianos Antichristum propter eamdem constellationem visuros, vt Picus tradidit loco citato Cap. 16.

Cōtra eos, qui ex coniunctionib. de Religionibus iudicant.

Supernaturalia ex astrologicis deducere non licere.

Et sanè quantum spectat ad Religionem tum Hebræam, tum Christianam, & ad mysteria Seruatoris Nostri Iesu Christi, flagitiosissimum est, hæc omninò supernaturalia viribus Planetarum adscribere. Etenim, esto quod aliqua naturalia, non tamen ad libertatem arbitrij spectantia, dependeant aliquo pacto à Syderibus agentibus in corpora, atque in materiam Elementarem; Tamen ea, quæ spectant ad mysteria supernaturalia nostræ Religionis, & Fidei, & Diuinæ gratiæ, lethale peccatum est, & sub anathemate prohibitum Astrologicis calculis ea demetiri. Videatur D. Thomas 2.2. Quæst. 95. Art. 5. Toletus Lib. 4. Cap 15. Pererius Lib. de Magia Cap. 4. Caietanus in eamdem Quæst. D. Thomæ, & in sua Summa, verbo; Astrorum obseruatio.

Sauenarolæ astrologicarū prædictionū refutatio.

Hieronymus Sauonarola cōciuis meus immortali potius gloria, quam immani dignus supplicio in Tract. aduersus Astrolog. Lib. 3. multa congerit mendacia Astrologiæ, quæ postea relata fuerunt à Pererio Lib. 2. in Genes. Cap. 3. vbi refert Albumasar prædixisse Christianam legem non amplius quam Annis millenis quadringentis, & sexaginta duraturam; Quod euentus reprobauit. Abram Iudæus, eodem Sauonarola referente, prænunciauit Messiam ab ipsis Iudæis expectatum vēturum post Christi ortum Anno 1464. hac deceptus ratione, quod tunc futura esset ea Stellarum Coniunctio, quæ fuit eo tempore, quo Moyses ex Aegypto populum Hebræum eduxit. Coniunctio verò erat Iouis cum Saturno in Cancro, vt adonauit Sauonarola, quod cum euentu pariter reprobatum sit, Messias enim Christus Dominus iam venit, & nullus alius Messias est expectandus, ideò non est quod pluribus hæc impia Pronunciata reijciam.

Petri Aliacensis censura.

Non dissimulabo tamen Censuram æquissimo iure inferendam in Petrum Alliacensem, qui cæteroquin Philosophicā, & Theologica doctrina præstantissimus, cum Astrologiæ operam in postremis suæ ætatis annis nauasset, composuit concordiam Astrologiæ cum Historia, in qua demonstrare contendit, nihil vmquam magni momenti in Mundo contigisse, quod à præcedentibus coniunctionibus Syderum prænotatum, & productum non fuerit. Vnde Pererius Cap. supracitato ipsius errata refert, & reprehēdit, quæ primum fusè redargueat, & evidentissimi mendacij conuicerat Picus Mirandulanus.

Cardani inane iudicium.

Eodem modo deridenda sunt, & explodenda, quæ traduntur à Cardano, Lib. 2. de Iudicijs Cap. 1. Text. 7. scilicet, quod post Annum millesimum quingentesimum octuagesimum tertium, vsque ad Annum millesimum septingētesimum octuagesimum secundum, ante medium incipiet vnius Monarchia, & omnia regentur nutu vnius, quando videlicet Coniunctiones Maximæ incipient redire ad primum Trigonum; Quæ partim præsenti experientia falsa cognoscuntur, & labentibus sæculis magis falsa, Deo dante, videbuntur.

His ità explicatis, patet, ni fallor, inefficacia, & vanitas virium Coniunctionum in genere. Ergo etiam ex hac doctrina generali ipsas Coniunctiones demoliente, remanet destructum pronunciatum Berosi, supra traditum existimantis, coitum Planetarum in Cancro vniuersale Mundi Incendium, & exitium producturum. Ideò cum F. Thomas Campanella

Astro-

Campanellæ censura. Astrologicis deliramentis mancipatus Lib. 2. Cap. 3. Astrolog. agnouerit ex Coniunctionibus, vel alijs Planetarum aspectibus Mundi finem præsagiri non posse, his verbis præsagium de exitio Mundi ab Astrologia petitum subsannauit. Hoc tamen certo pronuncio falli Ptolomeum, & Copernicum, & Alphonsum, & omnes, qui cum Albumasar Mundi finem post tot millia Annorum asserunt futurum; Nam Anomaliæ docent, Dei nutu, non nostra mensura Cæli machinam moueri.

Meæ autem Disputationis Instituto consonum arbitror, peculiaribus rationibus Berosi sententiam supradictam euertere; Quod accuratius præstabo, si primum ipsius fundamenta expugnabo.

Primũ Berosi fundamentum. Primum fundamentum est petitum ab vniuersali dogmate Astrologorum, quod in Signis Tropicis Aspectus Stellarum maximas in Mundo indicant mutationes, quia in ijsdem Signis Sol mouetur; In Capricorno enim incipit ad nostrum verticem ascendere, in Cancro verò recedere à vertice. Hinc per quamdam analogiam coniectura assequuntur Astrologi, mutationes esse faciendas potissimum in rebus humanis, propter aspectus, & præsertim Coniunctiones in Tropicis Signis; Ideò Haly putauit non solum Signa Tropica, sed etiam Aequinoctialia mutationes legum, Orbi præsagire, ea ductus ratione, quia Sol in Aequinoctijs, vt in Ariete, & Libra facit magnam mutationem, videlicet facit singulo die quindecim circiter minuta declinationis. Propterea, cum Cancer sit Signum Tropicum, Berosus ad indicandam postremam Mundi mutationem, Planetarum coitum in hoc Signo constituit; Cui errato Berosi adhæsit Alliacensis, Planetis in Cancro vnitis rerum finem vniuersalem attribuens, hac suasus ratione, quia deterior est Saturni, & Martis in hoc Signo, quam alibi Concursus, quoniam Saturnus habet in hoc Signo suum detrimentum, & Mars suum casum, & Saturnus corrumpit affectus Lunæ, quæ ibi habet domum, & Mars corrumpit effectus Iouis, qui ibi exaltatur.

Alterum fundamentum. Secundum fundamentum, quo Astrologi asserit postremam Mundi Catachlysmum indicari à concursu Syderum in Signo Cancri, est, quia hoc Signum est domicilium Lunæ, cuius Coniunctio cum Ioue asserunt indicaturam nouam Legem, quæ ab Antichristo promulgabitur, quæ tamen lex breui tempore vigebit, quia motus Lunæ velox est, & sua mutatione indicat, breuem fore postremam Mundi commotionem. Quin Albumasar Tractatu 1. Different. 2. tradidit exaltationem Lunæ nimirum Taurum multum conferre ad falsos Prophetas producendos; Vnde colligunt delirantes Planetarij ex Signo Cancri, in quo Luna habet vires, falsum Prophetam præsignari, qui futurus est Antichristus. Hinc tamen apparet clarissima inter istos Sicophantas, & nebulones contradictio. Nam Arnaldus Hispanus, referente Pico Lib. 5. contra Astrolog. Cap. 4. affirmauit, Antichristum nasciturum Anno tercentesimo quadragesi no quinto supra millesimum; Qui tamen Antichristus nondum apparuit. Propterea iure merito statuendum est, nec etiam appariturum eo tempore, quo Astrologi Mundi conflagrationem, & vniuersam Orbis perniciem ex concursu Syderum in Cancro prædicere conantur.

Primi fundamenti euersio. Ad euertendum primum fundamentum sat est indicare, mutationem Ciuilem desumptam à mutatione, quam facit Sol in Signis Tropicis, & Aequinoctialibus deductam esse per similitudinem, quæ necessariò non infert talem mutationem, quæ cum prorsus Politica sit, & à Causis liberè, & non secundum natura n operantibus dependens, non est adscribenda mutationi Solis in Signis Tropicis, vel Aequinoctialibus. Cum verò postremum Mundi excidium sit maxima omnium mutationum, non est referenda in coitum Planetarum in Signo Cancri, adeò vt talis Coniunctio ex hoc Tropico Signo aliquas vires suscipiat.

Secũdi fundamẽti destruitur. Eadem facilitate secundum destruitur fundamentum à Lunæ varietatibus petitum; Nam quemadmodum verum est à Luna altero Sole, vel Solis Vicaria maiores, quàm à cæteris Planetis, excepto Sole, in hoc Mundo inferiori naturales effici mutationes; Ita omninò abhorret à veritate mutationes Regum, Regnorum, & Religionis ab ipso orbe Lunari posse produci, quæ cum suo motu peculiari, & varijs ad Solem configurationibus, & schematismis Solis lumen ad sublunatem

deserat Orbem, sicuti lumen Solis, vt supra ostendimus, mutationes Politicas caussare nequit, multò minus easdem producere poterit Luna suo mutuato lumine à Sole.

Sed iam cum Beroso congrediamur, & rationibus, ni fallor, firmissimis aduersus ipsum dimicemus. Scio me magnum allaturum momentum veritati confirmandæ aduersus Berosum, si demonstrarem Planetarum Coniunctionem alias in Cancro contigisse, & tamen ex ea neque partialem, neque totalem Mundi conflagrationem euenisse, sed nolo hac in re me ipsum inani labore torquere; Etenim esto quod alias talis Coniunctio facta sit, ex qua vniuersale non contigit incendium, respondebunt Astrologi, quod Coniunctiones prorsus eędem non fiunt, & recurrunt, & subnectent, quod si præterita Coniunctio non attulit combustionem, futura pariet, quia non erit omninò eadem cum præterita; Et sanè concedendum ipsis est exploratissimũ Proloquium, scilicet Planetas eodem modo non recurrere, idest ad eadem quidam loca reuerti, sed non ad easdem omninò partes, & minuta. Et Ratio ab ipsis allata est, quia in eadem parte Epyciclus, aut Eccentricus Planetę Absidem habere non potest, in qua prius habebat, vnde Planeta vel altior est, vel humilior, quam fuerit in priori Coniunctione. Addunt, quod potest habere diuersam latitudinem ab ea, quam prius habebat. Quibus ita habitis, se proprio gladio confodiunt Astrologi, asserentes Constellationem similem illi, in qua natus est Moyses, tulisse Redemptorem nostrum Mundo, qui solum apparuit propter Diuinam Misericordiam, iuxta D. Pauli Pronunciatum, Apparuit benignitas, & humanitas Saluatoris nostri Dei. Delirantur etiam affirmantes Coniunctionem similem illi, qua Mahometrus suam instituit sectam, alium falsum Prophetam allaturam, nam vt ipsi fatētur, tales Constellationes eædem omninò non recurrunt, & vel leuis mutatio maximam parit varietatem. Neque est reticenda aduersus ipsos Astrologos animaduersio Cardani 4. Aphorism. 79. scilicet nullius Planetæ cum altero exactam Coniunctionem, præterquam cum Luna, haberi posse; Quod etiam Keplerus Cap. 11. de Trigono Igneo comprobauit.

Planetarũ coniunctiones in Cancro Mundi exitium nõ inferre.

Instantia Astrologorum reÿcitur.

Prætermissa igitur hac disquisitione, An omnium Planetarum Synodus antea- ctis sæculis in Cancro facta fuerit, versabor in cõsideranda imbecillitate talis Coniunctionis in Cancro ad Mundi vstionem præsagiendam. Et primum animaduerto, quod si Planetæ in Cancro vniti Mundi Incendium producere possunt, id præsertim efficient; mediante luce, & calore per omnes Planetas, & Stellas communiter effuso à Sole; Verum supra ostensum est, & satis tectisq; rationibus confirmatum, calorem cælestem, & præsertim Solis esse viuificum, ex sua natura producentem, generantem, & perficientem Vniuersum, Ideò Sol ab ipsis Astrologis Apheta appellatur, quomodo igitur calor ille cælestis ita in contrariam commutabitur naturam in Signo Cancri, vt combustiuus, & destructiuus euadat?

Imbecillitas significationis cõiunctionum in Cancro.

Sed vide, quam absurdum sit asserere, Planetas in Cancro configuratos Mundi incendium producturos esse; Nam Cancer, ex fabulamentis Astrologicis, est Signum aqueum, domus Lunæ, & exaltatio Iouis; Quare Planetę in ipso positi infirmarent potius suas vires, ad Mundum comburendum directas. Imò cum hæc combustio Marti potissimum omnium Planetarum calidissimo sit adscribenda, quænam est amicitia Martis cum Cancro, qui dicitur casus eiusdem Martis. Scio tamen Cancrum esse vnum ex Signis Triplicitatis Martis, cui pro Trigono constituunt Cancrum, Scorpionem, & Pisces; Idcircò Pontanus Lib. de reb. Cælestib. Cap. 29. sex partes, seu gradus Cancri attribuit Marti; Sed quemadmodum nulla est affinitas Martis cum hisce Signis, Martis, inquam, suaptè natura calidi, & feruentis, cum hac Triplicitate Aquea frigida, & humida (ex quo apparet contradictio in dictis Astrologicis) ita affirmandum est, Coniunctionem Martis cum cæteris Planetis in Cancro nullam inde reportaturam esse efficaciam.

Non me latet id, quod alij asserunt, nempè Martis in Cancro inualescere vires per Antiperistasim, quia videlicet humiditas Cancri tamquam inimica Martis est in caussa, vt ipse magis suas corroboret vires, vt euenit etiã in ventriculis hyber-

Instantia redarguitur.

no tempore, in quibus propter externi frigoris obsidionem augetur calor, iuxta Hyppocratis Pronũciatum, Ventres hyeme, & vere calidiores; Hoc enim Assertum de Marte supponit qualitates Elementares tum in Planeta Martis, tum in signo Cancri, supponit, inquam, reperiri frigiditatem positiuam in Cancro, qua frigiditate, tamquam circumsistentia contrarij, caliditas Martis muniatur aduersus hostem; sed quia, vt supra demonstrauimus, primæ qualitates Elementares à cælestibus exulant Corporibus, superuacaneum est hoc Antipatistasis figmentum in Marte refellere.

Coniũctionum vniuersalium cum particularibus cõspiratio. Postrema sit ratio aduersus Berosum desumpta ex Pronunciato vulgatissimo Astrologorum, Coniunctiones nimirum vniuersales, quales sunt Coniunctiones significantes super Gentes, & Prouincias habere colligationem, seu connexionem cum ipsis Prouincijs, & Mundi partibus, in quibus debent operari; alioquin, vel nihil, vel parum efficiet in eo loco constitutio vniuersalis; Ideò aliquando euenit, vt Stellæ verticales alicuius Prouinciæ, Signa illi dominantia, & Planetæ, & Domini Trigoni pugnent cum vniuersali Coniunctione, ex quo eueniet, vt tunc infirmentur maximè in ea Prouincia, vel loco vires vniuersalis Constitutionis; Hinc ille, qui nascitur in aliquo loco, habet connexam Constitutionem suam peculiarem cum Constitutione illius Loci, Oppidi, vel Ciuitatis, quia Stellæ verticales, seu cuculi verticales nomine Arabico Azimut, & Altitudo Poli sunt eadem ipsi homini nato, & loco; Propterea asserunt Astrologi, quod in morbis Epidemicis ortis ex constellationibus, illi euadunt morbum, qui non habent Genesim colligatam cum vniuersali constellatione. *Modus diuersus operandi ex magnis Coniunctionib.* Animaduertit prætereà Coniunctionem ex. g. Saturni, & Iouis non se habere eodem modo Orientalibus, & Occidentalibus, Borealibus, & Meridionalibus, quia diuersus ipsis est Finitor, & Ascendens; Ideò non potest Coniunctio eodem modo in omnes Orbis partes influere, & causare. Propterea iure meritò statuit Cardanus, nullam Stellarum configurationem posse toti Orbi generaliter significare; Quare cum prorsus impossibile sit, omnes Mundi Prouincias habere colligationem, & connexionem cũ synodo Planetarum in Cancro, imò multæ Mundi partes habeant cum ipsa aliquam repugnantiam, consequitur ex maxima Coniunctione Planetarum in Cancro vniuersale Mundi incendium præsagiri non posse. Hæc sunt potissima rationum momenta, quibus expenditur falsitas opinionis Berosi, qui cum vniuersale Noeticum Diluuium Planetarum Coniunctioni in Capricorno adscribat, vt magis ipsius errata conspiciantur, placeat tantisper digredi, & Diluuij ex tali Constellatione neutiquam ortum esse demonstrare; Quod si Aquarum Catachlysmus à Stellarum fontibus non emanauit, euidentius patebit Ignis Catachlysmum ab ipsis Stellis nequaquam posse produci.

CAPVT SEPTIMVM.

Disputatur contra Berosum Noeticum Diluuium Configurationi Planetarum in Capricorno adscribentem. Explicantur verba Moysis de Apertione Abyssi, & Cataractarum Cæli. Ostenditur Causas naturales à Deo adhibitas fuisse ad Diluuium afferendum, ipsumq; sola Dei Omnipotentia, & non ex influxibus Siderum contigisse demonstratur; Atq; infertur, idem esse asseuerandum de Catachlysmo Ignis in fine Mundi.

Diluuium Planetarũ congressib. ascriptum. Berosus Chaldæus, referente Seneca supra allato, Vniuersale Diluuium retulit in Cõiunctionem Planetarum in Capricorno, ad differentiam Petri Alliacensis, idem Diluuium Configurationi Stellarum in Cancro adscribentis; Itaquè aliqui Berosij impietatem sectantes, affirmarunt Nohe ex contemplatione Siderum futurum Diluuium præuidisse, ad quod euadendum sibi condidit

Arca Nohe. didit Nauem in figuram Arcæ, cuius Nauis imaginem in Naui Argos in Cælo e-micante inspexisse, & tamquam Ideam sibi ad imitandam proposuisse, aliqui non minus fabulosè, quam flagitiosè existimarunt; Inter quos fuit Henricus Mechliniensis Alberti Magni discipulus Cōmentarijs editis in Magnas Albumazaris Coniunctiones. Putauit enim ante Diluuium præcessisse Coniunctionem Iouis, & Saturni, non in Capricorno, vt asserit Berosus, sed in fine Cancri, vt autumat Alliacensis è regione Argolicę Nauis Arcam, vt ait ille Noeticam significantis: Quæ Pronunciata adeò leuia, & falsa sunt, vt potius deridenda sint, quam longo refellenda sermone. Equidem satis mirari nequeo, Gulielmum Parisiensem Episcopum in hunc lapsum esse errorem, & verba Moysis de apertis Cæli Cataractis interpretatum esse per illas Coniunctiones, & Aspectus, quos Astrologi vocant Apertiones portarum, & qualia sunt Sidera Aquatica pluuiam inducentia, vt Cancer, Pisces, Hyades, Orion, & Pleiades; Quæ omnia ad Diluuium efficiendum concurrisse idem Author opinatus est. Hanc verò falsitatem acerrimè tuetur Petrus Alliacensis Quęst. in Genesim, & Lib. de Concordia Theolog. & Astrologię cap. 1. vbi efformans figuram de Coniunctione Saturni, & Iouis Diluuium Generale significante, coniunxit Iouem cum Saturno in primo gradu Cancri, in quarta Domo. Quare vt hæc impia conuellatur opinio, præmittendum est primò Diluuium; quod vniuersam obruit Terram, post mille sexcentos quinquaginta sex Annos à Mundi Creatione, à supernaturali Dei Omnipotentia illatum fuisse ad Mundi crimina diluenda, & expianda, vt exprimit ipsimet Deus Genes. 6. Multæ tamen Causæ naturalis, tamquam Diuinæ potestatis pedissequæ, & diuinæ iustitiæ instrumenta, adhibitæ fuere, vt fuit Ruptio omnium fontium Abyssi magnæ, Apertio Cataractarum Cæli, & continuatio pluuiæ per quadraginta dies, & noctes; Vbi per Abyssum non intellexit Moses barathrum, aut Tartarum, vel immensam Aquarum copiam circa Terræ Centrum consistentem; De quo Tartaro verba facit Socrates apud Platonem in Phædone; Neque per Abyssum intellexit Mare, vel Oceanum, adeò vt Mare tantum intumuerit, vt montium vertices quindecim cubitis excesserit, sed per Abyssum, ex sententia Pererij, intelligit Moyses Cauernas sub terra positas, plenas aquarum, aut stagnantium, aut fluentium, quæ vel à Mari per occultos terrę meatus deferūtur, vel ibi generantur condensatis, & refrigeratis vaporibus, qui facilè in cauernis coalescunt.

Interpretatio erronea de Cæli Cataractis.

Quid fuerit cataractarum apertio. Neque per Cataractas Cœli accipit Moyses Signa Cancri, vel Capricorni, vel Piscis, vel alias Constellationes, inundationem influentes, sed per Cataractas apertas, siue, vt hæbraicè habetur, per Cæli fenestras reseratas, non indicauit Moyses apertionem aliquam factam in Cælo Sidereo; Ita vt aquæ, quæ, vt cecinit Psaltes, supra Cælum sunt, defluxerit ad Terram vniuersam obruendam, vt fuit aliquorum opinio, referente Beda Lib. De Natura Rerum, & quam opinionem adamauit Steucus Eugubin. in Annotat. in Genes. sed intellexit Moyses apertionem factam à Deo, in media Aeris Regione, quam Deus tempore Diluuij aperuit, & quasi discedit, vt conuersis omnibus vaporibus, & imbribus in pluuias, illi per diei, & noctis decidentes, vna cum aquis irrumpentibus è visceribus terræ, ipsam terram occuparent. Id clarissimè colligitur Pererius Tom. 2. in Genes. Lib. 12. Cap. 8. Quamuis igitur Dominus Deus ad afferendum Diluuium adhibuerit Causas naturales, tamen absq; supernaturali Diuina Omnipotentia adduci non poterat, vt clarissimè colligitur ex tempore, quo Diluuium Terram inuasit, nimirum sexcentesimo Anno vitæ Nohe, mense secundo, non quidem Mense secundo illius Anni ætatis Nohe, vt interpretatur Pererius, sed Mense secundo illius currentis Anni, & vt exponit Beda, Mense Maio, iuxta eorum sententiam, qui putant Mundum Verno tempore fuisse creatum. Quare inquit Beda, cum Diluuium factum sit ferè æstiuo tempore, & hyemali fuerit sublatum, vtroque scilicet tempore tam producendo, quam abolendo Diluuio maximè contrario, clarissimum hinc apparet argumentum, Diluuium non ex Causis naturalibus, sed ex Dei Omnipotentia, cui naturales Causæ famulantur, productū esse.

Diluuium supernaturale fuisse.

Et sanè cum Diluuium vniuersale to-

tam obruens Terram naturaliter contingere nequeat, vt tradidit Aristoteles Lib. 1. Meteor. Cap. vltim. asserendum est ex naturalibus Causis, quales sunt Siderum Configurationes, Noheticum Diluuium non effluxisse. Quod si vetera monumenta repetamus, illuuiones, seu inundationes peculiares plures fuisse alicuius Regionis, aut Prouinciæ reperiemus, non quidem totales, & Vniuersales, & inter cætera Diluuium illud Deucalionis, vel aliud Ogygis, Deucalionis, inquam, in Thessalia, Ogygis in Attica, Poetarum cantu celebrata fuere; Quæ sanè Diluuia penitus diuersa sunt à Nohetico, quoniam Diluuium Ogygis, vel Agygis fuit post Noheticum plus quingentis Annis; & Deucalionis Diluuium fuit posterius Ogygiano ducentis triginta Annis. De quibus, & alijs inundationibus legendus est Orosius Lib. 1. Cap. 7. & D. August. Lib. 18. De Ciuit. Cap. 10. & 11. Animaduertendum quidem est, antiquos Scriptores in referendis Diluuijs Deucalionis, & Ogygis multa ex sacris monumentis deprompta ad fabulas detorsisse, veramq; historiam sacram admixtis commentis coinquinasse, cum mos eorum fuerit plus æquo fabulis lasciuire in rebus serijs describendis; Ideò Plutarchus Deucalionem ex Arca Coruum, aut Columbam emisisse refert, quod, vel falsum est, vel à sacris litteris mutuatum; Neque licet ex eo inferre Diluuium Deucalionis fuisse Noheticum; Atq; idem affirmandum est de Platone, qui in Timæo, & alibi de maxima Aquarum Inundatione terram deuastante mentionem facit, quia vel hanc cognitionem ex sacris hausit monumentis, vel ex Aegyptijs accepit, apud quos diù Hæbrei permanserunt, & cum quibus Aegyptijs Platonem conuersatum esse veterum monumenta testantur.

Diluuia peculiaria.


Plutarch. & Plato de Diluuio.


Iam verò quid opus est plura afferre testimonia ad conuellendum Astrologorum errorem Diluuium Vniuersale cælestibus Causis attribuentium, si Deus ipse ore proprio Genes. 6. clarissimè id attestatur? Ecce ego, inquit ipse, adducam aquas Diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua Spiritus vitæ est subter Cælum, & vniuersa, quæ in terra sunt, consumentur. Ex quibus liquidò constat, solum Deum fuisse Causam efficientem Diluuij, & causas naturales à præpotenti Deo adhibitas fuisse, non tamen modo naturali, ac vsitato.

Solus Deus efficiens causa Diluuij.

Non prætermittam, quod si Diluuium illud vniuersale à præcedentibus Stellarum configurationibus indicatum fuisset, verisimile est, quod alij præter Nohe eas obseruantes Constellationes, vna cum Nohe Diluuium prædixissent, & vniuersam internecionem extimuissent; Verum cum homines illius temporis, sacra referente Scriptura, futurum non crederent Diluuium, & Nohe prædicentem subsannarent, statuendum est, Diluuium à Causis cælestibus minimè dependisse. Quare, si ex dictis patet, Inundationis Catachlysmum non à Siderum positu, sed à sola Dei Omnipotentia fuisse profectum, idem iudicium ferendum est de Ignis Diluuio Vniuersum Orbem in fine Mundi deuastaturo; & constantissimè affirmandum est illud Incendium non futurum effectum Planetarum in Signo Cancri, ex sententia Berosi coeuntium.

Verum, vt Alliacensis errata penitus conuellantur, de Coniunctione Planetarum præcedente, & præsagiente Diluuium placet hic figuram Cæli ante oculos ponere ab ipso in suo Elucidario Astronomiæ Concordiæ cum Theologia Cap. 1. efformatam. Quæ figura non est de illo tempore, quo Diluuium vniuersam Terram deleuit, sed de illo tempore, quo contigit Coniunctio Saturni, & Iouis in Cancro; Ex qua Coniunctione infert ipse præsagium de Diluuio, quod post multa tempora euenit; Ideò, quamuis talis figura accuratè examinata fuerit, & radicitus euersa à doctissimo Io. Pico Lib. 5. aduersus Astrolog. Cap. 11. attameo & nos ipsi destruendæ operam nauabimus.





Supponit Alliacensis, ex sententia Aomar Coniunctionem ob oculos versantem Saturni, & Iouis in Cancro præcessisse Diluuium Annis 279. vel iuxta mentem Albumasari, antecessisse Annis 287. Cuius opinionem non amplectitur Alliacensis, sed potius adhæret sententiæ asserenti antecessisse Annis 279. cum diebus 248. & hor. octo; Picus autem redarguens hæc tempora, arbitratur Coniunctionem præcessisse Catachlismum annis mille, adiectis duobus, & octuaginta. Vnde refert impossibile esse talem Coniunctionem ad tam remota tempora suas extendere vires potuisse; Et obseruat idem Picus, quod esto talem Coniunctionem præsagientem Diluuium factam fuisse in quinta parte Cancri, testabant adhuc Anni 210. ex medij motus cælestis ratione, vt ab aqua Triplicitate ad Igneam Saturnus, & Iuppiter conuerterentur; Quare si in Cancro copulatio Saturni, & Iouis 279. annis, vt putat Alliacensis, præcessit Diluuium, sequitur factam fuisse Orbis inundationem in medio Triplicitatis Igneæ, ad quam, ex sententia Pici, migrauerunt Saturnus, & Iuppiter Annis ante Diluuium 149. & permanserunt in eapost Diluuium Annis 120.

Auitorum dissensus circa huius coniunctionis tempus.

Insuper animaduertit Alliacensis, quod in eodem Anno, in quo contingit supradicta Coniunctio in Cancro, reperita fuit in quarto gradu Leonis, ac renouata in grad. 28. Cancri; Quod euenit propter retrogradationem, & stationem Planetarum. Quare ex natura Coniunctionis, & ex duplicatione colligit ipse vim Constellationis influentis Diluuium, redarguens etiam opinionem illorum, qui putarunt duobus ferè Annis ante Diluuium fuisse maximam Coniunctionem Iouis, & Saturni, cuius reprobatæ opinionis causam afferre superuacaneum duco.

Eiusdem coniunctionis replicatio.

Et sanè quod attinet ad Coniunctionem supradictam in Cancro, & reperitam in Leone, absurdum prorsus arbitror Coniunctionem in Signis contrarijs, seu contrariæ qualitatis; vt sunt Cancer, & Leo, potuisse idem præsagire, vel saltem corroborationem afferre. Neq; reticendum est, rem prorsus improbabilem videri, quod Catachlismus per Aquam indicatus fuerit eo modo, quo ex mente Berosi præsagitur Catachlismus per ignem, scilicet per Coniunctionem Planetarum in Cancro, contrariorum enim euentuum contrariæ sunt causæ. Quare quemadmodum supradicta Coniunctio, vel falsa est, vel saltem Diluuium non indicauit; Ita de secunda futura Coniunctione in Cancro prænunciatura Finem Mundi, nullum adhibita in consilium ratione efformari potest iudicium. Dixi incertam, & nullam fuisse præfatam Coniunctionem in Cancro, tum propter varios, & incertos computus Annorum à Mundi primordijs, tum quia Astrologi in calculo harum Coniunctionum ambiguitate laborant, & diuer-

Significationum contrarietas.

diuersitate calculi vtuntur, modo adhibentes motum verum Planetarum, modo vsurpantes medium motum; Quod sanè maxima affert incertitudinem, & hoc prorsus modo deductam fuisse prænotatam Coniunctionem Alliscensis ipse testatur.

Coniunctionem non maximam non potuisse Diluuii significare. Verùm est talem Coniunctionem verè contigisse prædictis Annis; nihilominus non erat illius roboris, vt ingentem, & vniuersalem Mundi mutationem ad interitum portenderet. Nam ipsis Astrologis vbique inflatis buccis concrepantibus, id solum præstare potest Maxima Coniunctio, quæ fit in Triplicitate Ignea, & in Capite Arietis. Hæc autem facta fuit in Triplicitate Aquea, & in Cancro, quæ Media dicitur, & non Maxima. Præterea talis Coniunctio fuit pluries post Diluuium in eodem Signo renouata, vt refert idem Alliacensis in eodem Elucidario Cap. 33. & tamen Mundus altero Diluuio inundatus non perijt; Ergo signum est, similem Constellationem haud posse talem mutationem efficere.

Quod si respondeant Astrologi, Diluuium rursus Vniuersitatem non deleuisse, ex fœdere inito inter Deum, & Noe, iuxta verba ab ipso Deo prolata, Ponam arcum meum in nubibus Cæli, vt sit signum fœderis inter me, & terram, certè se ipsos proprijs confodiunt iaculis; Nam hinc infertur, quod sicuti rursus non effundere Diluuium proficiscitur ex Dei benignitate, cum Noe paciscente; Ita, quando contingit Diluuium, à Dei Iustitia, & non à supradictis fluxit Constellationibus.

Iam verò detur Alliacensi, quod Coniunctio Saturni, & Iouis in Cancro in quarta domo figuræ ab ipso erectæ Diluuium prænotaret, ecce tibi euidens repugnantia cum Astrologicis Pronunciatis, quibus statutum est, Saturnum quidem in

Repugnantia Astrologica. quarta domo non in proprio domicilio, seu exaltatione, sed in Cancro, suo detrimento, pericula minari terræ, seminibus, ædificijs, & dissipationem bonorum præ se ferre, qualia fortasse cum Diluuio vniuersali concordant; Cæterum constitutio Iouis in eadem quarta domo in angulo, & in Cancro, sua exaltatione, vtilitatem ex terra, & securitatem à terroribus pollicetur. Quapropter, si Saturnus in quarta domo minatur ex vna parte mala Diluuij, ex altera parte Iuppiter in eadem domo, & in Cancro imminuit calamitates, & bona prorsus adducit.

Felices Planetarū positus in figura Diluuij. Præterea, quamuis Saturnus in Domo Lunæ, qualis est Cancer, infirmitates, & citam connotet mortem, qualis contigisse videtur Humano Generi per Diluuium, attamen Iuppiter in eadem domo Lunæ iunctus Saturno partialiter, fortunas, & diuitias Mundo impartiatur. Itaq; si Saturnus in hac figura, vt sic dixerim, destruit Mundum, Iuppiter construit. Ex quo apparent nugamenta Alliacensis, & cæterorum Astrologorum insaniæ. Prætermisit studiosè hic Author in suo Schemate positus aliorum Planetarum in cæteris domibus, quia ex ipsorum collocatione tota vis Coniunctionis fortasse hebetata fuisset, & extincta; Illud enim malum, quod à tali copula indicatur, abolitum fuisset vel à benignis cæterorum Planetarum adspectibus, vel ab ipsorum positu in cæteris figuræ domicilijs.

Alia contradictio Astrologica in ea figura. Tacitus non prætereo, Arietis Signum horoscopans in hac figura, esse domum diurnam Martis, qui propterea æstimari potest Dominus eiusdem figuræ, à cuius dominio patet non influi Cataclismum per Diluuium, sed potius per ignem, spectata natura Martis, calidi, & sicci; Quod si dicatur, dominum figuræ esse Iouem in sua collocatum exaltatione, multò minus à Iouis felicitate adeò calamitosum prænunciatur infortunium; Quare quoquò se vertat Alliacensis, in hac figura construenda, semper contradictionibus vrgetur, & præmitur falsitatibus. Atque, vt paucis rem perstringam, meo instituto accommodatam, dico, quod si vanissima est Coniunctio Saturni, & Iouis in Cancro, ad prænunciandum Diluuium vniuersale, inanis etiam erit Coniunctio omnium Planetarum in Cancro ad Cataclismum per Ignem præsagiendum. Quare, cum hucusque demonstratum sit, ex Stellis errantibus, præsertim coniunctis, nullum de fine Mundi indicium posse deduci, proximum est, vt disquiramus, An ex Signis Zodiaci aliqua de Occasu Mundi coniectura possit efformari; Nam cū in Disputatione Astronomica fuerit à nobis instituta Tractatio de Stellis fixis, earumque virtute in his inferioribus, & satis demonstratū fuerit Solem ex Signis Zodiaci nullas suscipere vires ad Mundum comburendum,

Oo 2 dum,

dum, atq; ostensum sit, Stellas fixas, & præsertim Caniculam nulla sollere efficacia ad Mundi molem accendendam, nunc suspicienda est Disputatio de Asterismis Zodiaci, & quærendum, an ex migratione Stellarum vnius Signi in aliud mutationes magnæ, ac admirabiles proficiscantur.

CAPVT OCTAVVM.

Ex Translatione Stellarum vnius Signi in aliud nulla infertur in Mundo inferiori mutatio Regnorum, & Imperij. Consideratur causa Translationis Imperij factæ ex Vrbe Romana in Byzātium à Constantino Magno, quæ non adscribitur mutationi Signorum Zodiaci, sed veræ Causæ Politicæ; Idemque affirmatur de Caroli Magni Imperio. Afferuntur diuisiones Ptolomæi de Trigonis Signorum, & Triangulis Terram diuidentibus, & Trigona, & Tirangulos nullos esse disputatur. Redarguitur etiam Campanellæ Diuisio climatum per diuersos Planetarum influxus. Et tandem, diluta Argumentatione à Trigonis, & Triangulis desumpta, pro magna mutatione in Orbe facienda, demonstratur ex Trigonis, & Triangulis nullum de fine Mundi construi posse præsagium.

INter sidera fixa considerantur præcipuè illa Astra, quæ Signiferi, vel Zodiaci Signa constituunt, quarum vires ad Regiones, & Prouincias mutandas, Regna, & Imperia transferenda maximè validas esse constantissimum est Astrologorum Pronunciatum. Etenim cum longitudinem in Zodiaco temporis progressu varient, vt in Disputatione Astronomica Capite de Stellis fixis fuit à nobis demonstratum, fit vt cum Stellæ vnius Signi aliud ingrediuntur Signum, magna eueniat mutatio in locis Signo mutato subiectis; & obiter animaduertendum est translationem totalem Stellarum de Dodecatemoria in Dodecatemoriam fieri secundum Copernicum in Annis 1717. Talis verò mutationis duo afferuntur exempla; Alterum est de Oculo Tauri, qui homines inquietos, & turbulentos facit, & qui cum tempore Ptolomæi afficeret Cyprum, & maritima loca Asiæ minoris, hoc tempore agit in Hyrcanos, & Aegyptum, quandoquidem ingressus est Geminos, sub quo Signo illi populi collocantur; Alterum exemplum traditur de Corde Scorpionis, quod cum olim esset in Scorpione, Stella ex sua natura Martia, & homines crudeles, & rapaces faceret, & Syrios, Cappadoces, & Mauros afficeret, nunc quia transijt in Sagittarium, Hispanos afficit, eosq; subdolos, & dominandi cupidos efficit. Hinc asserit Campanella Lib. 2. Astrog. Art. 2. quod quando Stellæ Leonis, & præcipuè cauda transierunt in Virginem, Imperium, quod in Italia fulgebat, à Costantino translatum fuit in Græciam; Italia enim Leoni, Græcia Virgini subest, iuxta Ptolomæi doctrinam; Atq; cum Stellæ Cancri in Leonem transierunt, Vandali, Gothi, Heruli, in Italiam peruenerunt. Imò addit idem Author, quod cum Basiliscus in Virginem transibit, quod eueniet post sexcentos ferè Annos, Italiæ dominatus corruet, someq; Barbaricum Imperium, quia Stellæ exteræ, inquit ipse, exteros Dominatores inducent, ibiq; varia affert exempla de mutationibus in Prouincijs, & Regnis propter fixarum translationes de Signo in Signum.

Migrationes Stellarum ad alia signa quid effecisse censeantur.

Campanellæ predictio.

Præterea considerandum est illud, quod tradidit Ptolomæus Lib. 1. Quadrip. Cap. 16. vbi duodecim loca, seu Signa Zodiaci in quattuor Triangulos æqualium laterum diuisit; Quorum primus ducitur per Arietem, Leonem, & Sagittarium, & hunc Triangulum, qui dicitur Triangu-

Diuisio Zodiaci in triangula.

lus Igneus, attribuit Soli, & Ioui, qui propterea Trigonæ cratoris horum Signorum appellatur; Et quoniam hic Triangulus efformatur inter Septentrionem, & Occasum, atq; componitur ex Aquilone, & Africo, ideò hic Triangulus gubernatur potissimum à Ioue propter Septentrionem, & à Marte propter Occasum: Secundus Triangulus ducitur per Taurum, Virginem, & Capricornum, & appellatur Triangulus Terreus, huncq; attribuit Veneri, & Lunæ; & cum sit inter Meridiem, & Ortum, propter Meridiem regitur à Venere, propter Ortum à Saturno. Tertius Triangulus ducitur per Geminos, Libram, & Aquarium, & attribuitur Mercurio, & Saturno, & dicitur Triangulus Aereus, & quoniam constituitur inter Ortum, & Septentrionem, gubernatur à Saturno propter Ortum, seu propter subsolanum, & propter Septentrionem, seu Aquilonem gubernatur à Ioue. Quartus Triangulus ducitur per Cancrum, Scorpionem, & Pisces, & est Triangulus Aqueus, quem attribuit Marti, & cum efformetur inter Occasum, & Meridiem, & mixtus sit ex Austro, & Africo, regitur à Marte ratione Occasus, à Venere respectu Meridiei. Etenim decantatum est ab Astrologis, Saturnum præesse Orienti, Martem Occidenti; Iouem Septentrioni, Venerem Meridiei, Mercurius verò in medio positus à Ptolomæo, nullam habet propriam regionem, sed omnibus admiscetur. Neq; in partibus mundi prædominium datur a Ptolomæo Luminaribus, quia sunt Causæ vniuersales, vbiq; agentes, & per omnia suas facultates distribuentes.

Partes Mudi triangulis subiecta. Quibus ita constitutis, idem Ptolomęus Triangulis illis exterioribus, interioribus, & medijs, intra ipsa Triangula, subiecit partes Mundi, de quibus habuit notitiam, vt videre est apud ipsum Lib. 2. Quadrip. Cap. 2. vbi varias enumerat nationes supradictis Triangulis subiectas, & iuxta illas Triplicitates inter se diuersas, diuersas mores, & diuersas mutationes in Prouincijs subiectis eisdem Trigonis excogitarunt Astrologi; Imò considerantes Coniunctiones, de quibus fusè supra egimus, tradunt mutationes magnas fieri in illis partibus, quæ subiectæ sunt illi Triplicitati, in quibus fit Coniunctio. Considerant etiam magna indicari portenta, quando Stellæ, vel Cometæ accenduntur in aliquo Trigono, vt euenit Anno 1572. cum Stella Cassiopeæ accensa fuit in Trigono Igneo, vt animaduertit Astronomorum Princeps Tycho.

Effectus Stellarum triplicitates ingredientium. Ex quibus omnibus (vt ad rem nostram proprias accedamus) colligere possunt Astrologi, vel propter ingressum Stellarum vnius Signi in aliud Signum, vel propter mutationem aliquam factam in Triplicitatibus, ex quibus Trigono cratores ingentes desumunt vires, & magnas pariunt mutationes in illis Prouincijs, quæ tali Trigono subijciuntur, contingere possunt inusitati euentus, vt Bella, Pestes, Inundationes, Terræmotus, & omnia illa horrifica, quæ Mundi Occasus debent esse præludia, vt sacra testantur eloquia. Quare cum ope Astrologicæ doctrinæ humanum ingenium assequi possit cognitionem de prodigijs, & Signis postremum Mundi diem antecedentibus, sanè conficitur, coniecturam, & argumentum ab Astris fixis, & præsertim à Signis Zodiaci de fine Mundi construi posse.

Iam verò diluenda sunt hæc inania Astrologorum Pronunciata; Et quod attinet ad primum, scilicet mutationes magnas fieri in Prouincijs, Regnis, & Imperijs ex transitu Stellarum vnius Signi in aliud Signum, obseruandum est illud, quod tradidit D. August. 5. de Ciu. Dei Cap. 1. vbi loquens de magnitudine Romani Imperij hæc habet. Causa ergo magnitudinis Romani Imperij, nec fortuita est, nec fatalis; Prorsus Diuina Prouidentia Regna constituuntur humana, quę si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Itaq; ex D. Augusti mente, humana Regna non sunt fatalia, nimirum Astris dependentia, sed solum à Diuina proficiscuntur Prouidentia. *D. August. de causa magnitudinis Romani Imperij.* Quamobrem si ex Astrologorum Pronunciatis fierent translationes Imperij, propter translationes Stellarum de altero in alterum Signum, asserendum esset, Stellas Leonis, cui subiecta est Italia, migrasse tempore Caroli Magni in Stellas Arietis, sub quo est Gallia, cum ipse supremum Imperium, & Dominium habuerit, *Causa Astrologica refellitur.*

rit in Gallia, & Italia; Et tamen nullus Astrologus hoc maximum absurdum, & impossibile admitteret; Et sanè ab ipsis Astrologis afferenda esset Causa, ob quã ob Augustolo, in quo desijt Imperium Occidentale, vsq; ad Carolum Magnum lapsi sint Anni 479. deinde Imperium Occidentale in Pipino, Carolo, & Ludouico Pio refloruerit; Cuius rei causa cum non sit referenda in Stellas, sed in humana accidentia, in rerum humanarum mutationes, in Pontificum Romanorum potestates, in Populorum subiectionem, & obedientiam, & tandem in Dei prouidẽtiam, vanissimum est, & temerarium hæc omnia translationi Stellæ vnius Signi in aliud adscribere.

Trãslatio-nis Imperij causa. Et quoniam translatio Throni Imperialis à Constãtino facta ab Vrbe Romana in Vrbem Bizantij potissimum adscribitur migrationi Stellarum Leonis in Virginem, detur mihi hæc venia, vt breuiter digrediendo, causam afferam illius mutationis traditam à Zosimo Lib. 2. Illa nimirum fuit, quia cum dies quidam festus Romanis solemnis illuxisset, ritu vanissimo, & superstitioso celebrandus, Imperator Constãtinus Christianæ iam deditus, & consacratus Religioni, celebrationem illius diei acriter detestatus est, quo factũ fuit, vt Senatus, Populiq; Romani acerbum incurreret odium, vtpotè Patriæ Legis, & Auitæ Religionis conculcator æstimatus. Hinc Constantinus, vt à Romanorum odio declinaret, ansam arripuit alibi solium Imperiale collocandi, Vrbemque Regiam pro Solio ædificandi; Itaq; propè antiquum Ilium nouæ condendæ Vrbis fundamenta iecit. Cæterum Domino excitatus monitu, vt Sozomenus Lib. 2. Cap. 3. & Zonara in eius Vita tradiderunt, relicto opere apud Ilium inchoato, Bizantium Thraciæ Ciuitatem, rebus præclarè gestis illustrem, sed antiquitate ferè collapsam delegit, in qua domiciliũ Regium constitueret; In qua Vrbe reparanda, atq; ad Romæ simulachrum effingenda, dum Constantinus elaboraret, ipsi Mentem supernam quodammodo Architectum præsto fuisse, Author est Nicephorus Lib. 8. Cap. 4. Quam Ciuitatem primũ nouam Romam, mox Constantinopolim à suo nomine nuncupauit, Anno nostræ salutis 332. Quare non ad Stellas, sed ad Diuinam Prouidentiam, & ad peculiarem supremi Numinis afflatum referẽda est Imperialis Throni ex Romana Vrbe in Bizãtium translatio. Quocirca si tales mutationes Regnorum Astris non sunt attribuendæ, corruunt ea omnia, quæ de Oculo Tauri mutato, & de Corde Scorpionis in Sagittarium translato superius tradita fuerunt; Illa enim non sunt adscribenda Stellis, sed humanis artibus, regnãdi Politiæ, ac Principum industriæ.

Trigonorũ inuentum inane. Quantum verò spectat ad Trigonos Signorum Zodiaci, & Triangulos à Ptolomæo constitutos, intra quos diuersas Mũdi regiones collocauit, omnia vanissima, absq; vlla ratione efficta, & prorsus inaniter pronunciata putanda sunt; Etenim in assignandis illis Trigonis, Astrologi vnicuiq; Elemento tria Signa tribuerunt, enumerantes à primo ad secundũ Signum; Ita vt primum, idest Aries, adscribatur Igni; secundum, idest Taurus, Terræ, Gemini Aeri, Cancer Aquæ, & rursus numerum incipientes ab Igne, cætera Signa per Elementa distribuunt, & ferè modo, quo, masculinum, & fœmininum sexum in eisdem Signis somniantur, cum primum masculinum, secundum fœmininum appellant, ita prosequentes ordine successiuo; Quare, cum tria Signa vnicuiq; Elemento attribuant, Arietem, Leonem, & Sagittarium Igni; Taurum, Capricornum, Virginem Terræ; Geminos, Libram, Aquarium Aeri; Cancrum, Scorpionem, & Pisces Aquæ cõstituunt. Sed quis tam hebes est, qui non videat, hæc Signa Elementis assignata cum ipsorum Elementorum natura pugnare? Etenim Aries est Signum calidum, & humidum, & propterea Vernale, neq; conueniens cum Leone, calido, & sicco, Signo æstiuo, neq; congruens cum Sagittario frigido, & sicco, Signo Autumnali. Idem dicendum est de alijs Trigonis, in quibus eadem apparet cõtradictio.

Dominia Planetarũ refutatur. Eadem ratione reijcienda sunt ea, quæ de dominijs Planetarũ in partibus Mundi pronunciant Astrologi; Qua enim ratione Saturnus præest Orienti calido, cui potius deberet præesse Mars, qui præsidet Occidenti, frigido, & humido? Et quænam est proportio inter Septentrionem, maximè frigidum, & Iouem magis calidum, & minus humidum, aut inter Meridiem summè calidam, & Venerem minus cali-

calidam, & magis humidam?

Contradictionis confirmatio. Quæ etiam contradictio patet ratione Ventorum, quoniam Venti Orientales calidi, & humidi cum Saturno frigido, & sicco, conuenientiam non habent. Occidentales frigidi, & ex parte sicci patum conueniunt cum Marte. Boreas frigidus, siccusq; Ioui repugnat, Auster solus calidus, & humidus aliqua ratione Veneri cõgruere videtur.

Alia astrologica repugnantia. Addo veteri fama decantatum esse, in Regione Gothorum, & Scytharum Martem dominari, quæ est pars Septentrionalis Ioui attributa, ipsi parũ consonans, nisi quatenus ille Planeta purum, & salubrem efficit aerem, qualis extat in aliqua parte Septentrionali. Et obseruandum est Iouis dominatum (si tamen aliquis est in ea parte) vltra septuaginta grados latitudinis Septentrionalis suas vires non extendere, quoniam exinde syluestres sunt homines, Iouis ciuilitati penitus aduersantes, quemadmodum Venus nihil dominij habet sub Tropicis, vbi mores vigent Saturni, vbi squallent omnia, & homines locustas, ciboſque nefandos manducant, ac delicijs, quas influit Venus, omninò carent, vbi etiam breuioris sunt vitæ, ex intemperie Saturni, cum tamen Venus longam elargiatur ætatem; Itaque statuẽdũ est, Ptolomæum non rectè quattuor efformasse Triangulos, Europam, Asiam, & Africam continentes, prætermissa America, Mundi parte sibi ignota, quasi Tellus esset quadrangula, & quattuor veris angulis compræhensa. Neq; considerauit eos, qui degunt sub Aequatore, neq; qui in altero habitant Hemisphærio; Etenim Ioui est assignanda potius Aequinoctialis plaga hominibus plena, optima tẽperie, & moribus præditis, & vitam longæuam trahẽtibus. Quocirca hallucinati sunt Arabes, *Arabum inania figmenta.* & præsertim Haly, qui climata septem Planetis assignaut, ordinem respiciens Planetarum, non Populorum mores, & cum Planetis colligationes; Ideò Aequatorem tribuit Saturno, Tropicos Ioui, cũ potius contrarium constituere debuisset; Ibi enim ponenda sunt dominia Planetarum, vbi ipsorum qualitates, & influxus conspiciuntur. Propterea clima Aequinoctiale, vt dixi, magis Ioui idoneum videtur, quam Tropicum clima, & extremum, quod potiori iure Saturno conuenit.

Alia diuisio fortasse minus absurda inuenta fuit à Campanella Lib. 2. Astrolog. Art. 2. vbi diuidens medium intercedens inter Tropicum, & Circulum Arcticum, quod continet ferè gradus 43. ita diuisit, vt pars Meridiana, quæ est a Tropico ad grad. 15. subiaceat Veneri; Media vsq; ad alios grad. 15. detur Ioui, Extrema vsq; ad alios 13. gradus subdatur Marti, Et tandem Saturnus in extremis partibus dominetur. *Campanellæ diuisio rationabilior.* Quæ diuisio, quantumuis ficta sit, nulloq; Astronomico munita præsidio; nihilominus cum Populis eas regiones habitantibus aliquam habere congruẽtiam videtur. Nam cum à gradu 23. ab Aequatore vsq; ad grad. 38. regnet Venus, videmus Arabes, Mauros, Aegyptios, & Sinenses in eo climate habitantes Venereis moribus præditos esse. Cum verò à gradu 38. vsq; ad 53. Iuppiter dominium suum extendat, videmus Italos, Hispanos, Græcos intra illos gradus habitantes Iouis mores referre; Atq; cum à gradu 53. vsq; ad 68. Mars dominetur, videmus Germanos, Anglos, Gallos Martiales esse; Et cum à gradu 68. vsq; ad 90. dominetur Saturnus, extremos illos Populos Saturninos esse comperimus. Cæterum, vt verum fatear, hæc diuisio adaptat potius Populos Stellis, quam Planetas Populis, & ex moribus gentium Planetarum vires, influxus, & dominia conijcere contendit; Nullum enim aliud est fundamentum, quo Principatus, seu dominia Planetarum in ijs regionibus cõstituantur, quam mores Populorum Planetarijs influxibus congruentes, cum tamen illi mores vel Iouem, vel Venerem, vel Martem, vel Saturnum referẽtes, non Planetis, Causis vniuersalibus, quales etiam sunt Sol, & Luna, sed alijs Causis proximis, scilicet legibus, consuetudinibus, disciplinis, mercatuis, & alijs rebus accepti sunt ferendi. Hinc animaduerto hanc diuisionem Campanellæ iniuriosam esse Soli, Lunæ, & Mercurio. Etenim Sol, & Luna, quamuis communes vniuerso Orbi Planetæ æstimentur, attamen multi ex Astrologis vires Solis, & Lunæ maximè in Oriente dominari putarunt, Mercurij verò influxus in Germania, & Italia præsertim vigere existimarunt.

Ex dictis constat, Triplicitates Signorum, seu Trigonos esse figmenta, diuisiones

nes Climatum, & Regionũ respectu Trigonorum esse nugamenta Trigonocratores vanos esse, & fictitios; Propterea patet, omnia, quæ ex his deducuntur, futilia esse, & inania. Quapropter statuendum est, ex signis Zodiaci, vel per se spectatis, vel vnitis, & Trigona componentibus nullum colligi posse de Fine Mundi præsagium.

Ex signis Zodiaci nihil colligi de fine Mundi.

His propterea præmissis, & accuratè, ni fallor, consideratis, respondendum est Argumentationi desumptæ a Triplicitatibus Signorum, à Triangulis Mũdi partes, iuxta Ptolomæum complectentibus, à dominijs Planetarum in diuersis Terræ regionibus, in quibus cum à Planetis, vel per se sumptis, vel vt Trigonocratores sunt, produci possint horrifica euẽta, qualia Mundi præcedent excidium, cõficitur ex tali Astrorum pósito aliquam de Mũdi Fine construi posse notitiam. Quæ sanè Argumẽtatio nullius est roboris, tum quia, vt ostendi, supradicta pro libito ab Astrologis ficta sunt, nulloq; septa veritatis numimine, tum etiã quia, esto quod in Regionibus Trigonis Signorũ subiectis, atq; in Triãgulis Mundi à Ptolomæo constitutis fieret aliqua ingens mutatio, vel ipsa produceretur à Planetis illis partibus dominantibus; Tamen huiusmodi accidentia, & prodigia non inferunt mutationem vniuersalem toto Orbe faciendam, cum ipse ad suum finem peruenerit, & multa huius generis euenta retroactis temporibus contigerunt, & nihilominus adhuc Mundi inferioris molem fatum postremum non inuasit. Quocirca putandum est, præteritos euentus, atq; futuros non ab Astris desumere vires, sed ab Arcanis Diuinæ Potestatis, quæ non intra Trigonos, non intra Mundi Triangulos, non intra limites influxuum Planetarum cogitur, & coarctatur, sed libera, & omnipotens vbiq; gentium suos admirabiles, & inopinatos parit effectum.

Responsio ad argum. Astrologicum.

CAPVT NONVM.

Diuisio Domorum cælestium reprobatur; Et quatenus loca, seu spatia distincta sint, nullam habere actiuitatem, seu influentiam ostenditur. Examinatur Figura cælestis Petri de Alliaco de Initio Mundi. Errata Astrologica in ipsa accusantur, & nihil ex ipsa Figura, & præsertim ex octaua Domo, quæ est Domus Martis, de Mundi morte vniuersali coniectari posse, demonstratur.

AD euertenda vniuersa Astrologiæ fundamenta, quibus innixi Diuinatores Mundum esse eremandum præsagire contendunt, operæ pretium esse duco figuram Cæli de tempore Principij Mundi hic exhibere, efformatam à Petro de Alliaco Cardinali Cameracensi in sua Concordia Astrologiæ cum Theologia verb. 19. Etenim quamuis hæc Figura reprobata sit, & destructa à validissimis rationibus Ioannis Pici, Astrologorum Expugnatoris, Lib. 5. aduersus Astrolog. Cap. 10. vbi ipsam non solum dubiam, aut falsam, sed impossibilem Astrologico calculo existimat; Tamen ego quoq; ipsam accuratè, ni fallor, considerando, ostendam inane prorsus, & mendacijs refertum esse iudiciũ, quod de ipsa potest effingi. Quoniam verò eadem figura in duodecim Domos diuisa est, antequam oculis ipsam subijciam, breuiter causam vanissimam distinctionis Domorum indicabo.

Pro qua re explicanda sciẽdum est ab Astrologis excogitatos fuisse diuersos modos, diuidendi Cælum in duodecim partes, quas Domos appellant, vt tradit Origanus par. 2. de Motibus Cap. 11. & Ranzhouius 1. parte sui Operis de duodecim Cæli domicilijs; Nos autem clariorem sequentes diuisionem, asserimus, cum aliquibus Astrologis, Cælum per sex maximos Circulos diuidi, inter quos duo principales sunt, Horizon, & Meridianus; Reliqui quatuor minus principales sunt: Duo primi continent spatiũ Orientale ab Ortu ad Meridiem, & diuiduntur in tres partes continentes nonaginta

Domorum diuisio Astrologica.

ginta gradus Eclypticæ. Duo secundi cõprehendunt spatium ab Ortu ad imum Cæli, & pariter continent tres partes, seu nonaginta gradus Zodiaci. Duo alij circuli à Meridie ad Occidens, & ab Occidente ad infimum Cælum continent sex alias partes eiusdem rationis, ita vt totũ Cælum in duodecim partes diuidatur. Hinc primum spatiũ inter Horoscopum, & Medium Cælum dicitur Quarta Orientalis; secundum spatium, Quarta Meridionalis; tertium spatium, Quarta Occidentalis; quartum spatium, Quarta Septentrionalis; & hæc spatia simul collecta efformant duodecim partes Cæli, quas Domus, Mansiones, Domicilia, Loca, & Cuspides dicunt Astrologi; Quamuis cuspidis nomen potius cõueniat initio Domus, quam integræ Domui. Propterea assertum Astrologicum est, quod quinq; gradus præcedentes cuspidem connumerandi sunt sequenti Domui, ver. g. posteriores quinq; gradus duodecimæ, ad primam referuntur Domũ, & sic de reliquis.

Non est mihi hoc loco propositũ considerare inanem, & ridiculam cuiuscunq; Domus proprietatem, nimis enim longè à meo aberrarem instituto, sed tantum in vniuersali cælestes Domos, absq; vllo crimine subuertam, & de octaua potissimum Domo, quæ ab Astrologis Contubernium Mortis appellatur, pauca subnectam, ad indicandum in hac figura ex Domo Mortis nequaquam colligi Vniuersi Mundi mortem per Incendium euenturam.

Ad demoliendas igitur cælestes Domos, sat esse affirmare, circulos illos, ex quibus resultant, ab humana imaginatione in Cælo effictos esse; cum Cælum nullam patiatur realem partiũ diuisionem, sed tantum ab Intellectu efformatam; Ex quo datur intelligi, quod fictæ etiam, & imaginariæ prorsus sunt Domus Cælestes in Cælo ab Astrologorum ingenijs extructæ; Sed demus illas Domus veras



esse, & non hominum figmenta, sanè nihil aliud erunt, quam spatia, vel loca in Cælo distincta; Vnde sequitur, illa domicilia nullam habere efficaciam; Etenim si locus est spatium, aut interuallum, vt asserebant Antiqui, spatium suaptè natura nulla efficacia, & actiuitate præditum est; Si verò locus est superficies corporis ambiẽtis, vt docuit Aristoteles, quoniam Aplanes, seu Firmamentum, in quo huiusmodi ædificantur Domus, non ambit, tamquam locus, Planetas, neque ipsos, instar loci, complectitur, planè sequitur, locũ nullam locato vim impertiri, & Planetas nullam à Domibus, in quibus collocãtur, mutuare virtutem, & efficaciam.

Non me latet Astrologos, vel inuitos aliquam virtutem locis attribuere; Nam Caput, & Cauda Draconis, quæ sunt latitudines Planetarum, excepto Sole, ab

Eclypticæ ad Boream, & ad Meridiem, illud certè non sunt, quam mera puncta, seu loca, & situs resultantes ex nexu duarum linearum, vel ex intersectione duorum Circulorum. Quare, cum asserant Astrologi Lunam in capite Draconis fortiorem esse, in cauda verò debiliorem; quod etiam de alijs affirmãt Planetis, coguntur aliquam loco attribuere virtutem; Quam etiã euidentissimè concedunt, constituentes alias domos cardines, & angulos, alias succedentes, alias cadentes ab angulo; Ideò tradunt in angulis validiores esse Planetas; mox in succedentibus, & parum, vel nihil in cadentibus, quia sunt remotæ ab angulis, scilicet à prima domo, à decima, à septima, & à quarta; quibus, propter angulos, validiores conceduntur vires. Verumtamen angulos, qui est species quantitatis continuæ; nullam habet ex sua natura actiuitatem: Nam, vt alias adnorauimus, quãtitas sequitur naturam materiæ, quæ principiũ passiuum, & non actiuum ab vniuerso Philosophorum choro constituitur.

Præterea, quid est pars Fortunæ, nisi locus quidam in Genesi inanis, & inefficax? Ecce tibi enumeratur distantia Solis à Luna, & gradibus talem distantiam constituentibus adduntur gradus Ascendentis, in quibus omnibus simul sumptis, aggregatum dicitur locus Fortunæ. Quid ineptius? Nam quam vim habet ille locus, vbi nulla consideratur Stella, vbi nullum lumen? Quæ virtus est in illo. Hinc patet vanitas Astrologorum ponentium partem Fortunæ inter Hylegh.

Sed iam tempus est, vt figuram oculis propositam diligẽter examinemus. Constituit Alliacensis Horoscopum Mundi Cancrum, & medium Cælum Arietem, in qua constitutione supponit, Mundum creatum fuisse in Aequinoctio Vernali; Et quamuis hæc fuerit grauissimorũ opinio Virorum, attamen adhuc incertũ est, an creatus fuerit Mundus, Sole existente in Ariete, an in Libra, Autumnali tempore; Et huic secundæ opinioni suffragari videntur sacræ Genesis verba, quibus tellus fructibus repleta eo tẽpore, quo creata fuit, ante oculos proponitur. Itaq; primo adspectu dubia, & incerta hæc Cæli apparet figura; Collocat ex consequenti in quarta domo Libram, tamquam opposítam Arieti, & in septima collocat Capricornum, è regione aduersantem Cancro, à quibus quattuor angulis principalioribus cæteræ quoq; domus cum suis Signis, iuxta modum rationalem cõsurgunt. Ponit Solem in 19. grad. Arietis, & affert rationem, quia Sol fuit creatus propè Meridiem, tamquam in ea parte Cæli, in qua splendidior refulget, Sol enim in Oriente atmosphæra, seu vaporibus terræ offuscatur; Hinc Sol positus in culmine, seu corde Cæli, & in sua exaltatione, scilicet in Ariete, apheta Mundi vocatur, est enim in loco hylegiali, & etiam potest appellari Alcochodon, ex sentẽtia Arabum, idest Annorum dator, quamuis ex sententia Ptolomæi, nulla sit distinctio inter Hylegh, & Alcochodon, imò Ptolomæus numerum annorum, non ex natura Planetarum, sed ex numero partium circuli Aequatoris metiatur, quæ tamen omnia vanissima sunt; Ex quo sequitur Mundum debuisse durare per Annos fridarios, & maximos Solis, quod experientia clarissima, & longissima Mundi duratione reprobatur; Anni siquidem fridiarij Solis sunt 120.

Lunam deinde in tertio gradu Tauri constituit in vndecima domo, qua in re grauiter hallucinatur, putans Lunam non fuisse creatam in Coniunctione cum Sole, vt aliqui sapientissimi Viri asserunt, vel in Oppositione, seu Plenilunio, vt alij affirmant, sed existimat Alliacensis Lunam creatam fuisse in sua Quarta, vel quasi; Quod omninò impossibile videtur, nam cum ipse ponat Lunam distantem à Sole per grad. 14. & Quarta Lunæ requirat distantiam graduum nonaginta, falsò asserit eam creatam fuisse in sua Quarta, vel quasi.

Addo, quod cum ex sacra Scriptura Luminaria in quarta die creata fuerint, vel saltem, vt aliqui ex sacris Scriptoribus sunt interpretati, receperint proprium motum, & proprias qualitates, non potuit Luna creari, vel moueri distans à Sole per 14. gradus, quia fuisset post ipsum creata, vel mota ante ipsum plusquam duobus diebus, si constituatur motus eius à principio Arietis.

Deinde Mercurium ponit in duodecima Domo in grad. 25. Geminorum, & afferens rationem, ob quam Mercurius in

Vir-

Virgine, sua exaltatione, non sit collocatus, asserit, Mercurium non posse distare à Sole per duo Signa, cum tamen iuxta doctrinam recentiorum Astronomorum, nec per vnum Signum integrũ distet à Sole, à quo recedere potest tantũ per gradus 28. Quapropter Author ponens ipsum à Sole distantem gradibus 56. se omninò imperitũ Astronomicæ ostẽtat facultatis.

His notatis, pluribusq; relictis, quæ ex principijs Astrologicis huius figuræ falsitatem demonstrant, ad id, quod est mihi propositum, accedo, scilicet ad inquirendum, an ex hac figura aliqua deduci possit notitia de Mundi fine per ignem. Constituũt Astrologi domum octauam domicilium Mortis, & si Iouianus, Pontanus, Cardanus, & alij septimam domum, tãquam oppositam Orienti, primæ domui, & Horoscopo, domicilium Mortis cõstituunt. Ratio verò, ob quam 8. domũ Cõtuberniũ Mortis efficiant, est, quia secundum ordinem Signorũ in ipsam cadit Scorpius, qui est domus Martis, malefici Planetæ; sed vide Astrologiæ fallaciam; quãdoquidem cum Saturnus ex huius artis decretis præsit primæ domui, tanquã primus Planeta, sequitur Saturnũ præesse etiam octauis, atq; ita præsidere oppositis .s. vitæ, & morti, sicuti etiã Venus, cum præsideat 5. domui, & duodecimæ apparet euidẽs repugnantia, quia quinta constituitur domus voluptatum, & duodecima carcerum, & clandestinorum hostium, cum tamen in ipsa sit Piscis, qui est domus Iouis, maioris fortunæ, & sit contigua primæ domui, idest Orienti, quæ tamquam felicior pars vna cum Medio Cælo, idest decima domo, ab Astrologis prædicatur. Quare ex octaua domo, neque, vt domus est, neque vt in ipsa præsidet Saturnus ratione suæ Domus, idest Aquarij, qui ab Alliacensi ponitur in octaua, aliquod de Mundi Occasu per cõcremationem colligi potest iudicium. Commune Pronunciatum Astrologicum est, Saturnum carpentum habere in Aquario, in quo velut in solio residet, & Signo illo, velut regio vtitur curru; Hinc dicitur Planeta in suo Carpento maximam exercere potentiam, vnde diuersa est ratio de exaltatione, seu carpento Planetarum in Signis, & de ipsorum Apogæis; Etenim de Apogæo agentes Astrologi, loquuntur de maxima distantia Planetæ à terra, tractantes autem de carpento, intendunt agere de dignitate, & viribus Planetæ in illo Signo. Propterea hic Author ad indicandam efficaciam mundanę Mortis constituit Saturnũ in octaua domo in Aquario, suo carpento; Sed obsecro, quænam est conuenientia, aut similitudo inter Saturnum, & Aquarium? quod est Signum aereum, calidum, & humidum temperatum, constituẽs Trigonum aereum, nullum excessum caliditatis habens, ex quo inferri possit incendium Mundi, & potius ex tali positu Saturni in Aquario indicatur Cataclyismus Mũdi ex frigidis Causis proueniens, propter frigiditatem Saturni in domo Mortis dominantis. Si autem Author voluisset Diluuium indicare per hãc Saturni constitutionem, oportebat in octaua domo, vna cum Saturno, aliquod Signum ex Trigono aqueo collocare.

Aggreditur demonstrari nullo modo posse.


Neque prætermittam ad magis ostendendam Authoris vanitatem, aspectum sextilem Solis ad Saturnum maximè in Medio Cęli non solum imminuere, & infirmare Saturni maleficium, sed potius beneficum reddere, ac benignum; Quod etiam præstat Venus Quadrata irradiatione percutiens Saturnum, in Signis breuium Ascensionum, qui aspectus tamquã sextilis reputatur, & propterea mitem, ac benignum Saturnum efficit.

Neque aliqua Incendij origo coniectari potest ab aspectu Quadrato Martis ad Saturnum, eo quia Mars calidus, & siccus possit aliquam suæ excedentis caliditatis, & siccitatis portionem Saturno communicare. Verum si expendatur accidentalis status ipsius Martis, Scorpionis Signum inhabitantis, apparet, ex hoc Signo Martem frigiditatem potius, & humiditatem haurire, cum Scorpius sit Signum Aqueum, & Planeta in loco, & Signo, in quibus reperitur, moderationem suscipiat; Quare si aliqua qualitas ipsius Martis attribuenda est Saturno propter aspectum, quem ad ipsum habet, erit influxus tẽperatus, & non in excessu calidus, qualis ad cõbustionem Mundi requiritur.

Neq; ex septima domo, in qua Capricorni Signum reperitur, coniectari licet postremum Mundi fatum per Ignem, namq; hoc Signum sua natura frigidum, & siccum est, & interitum Mundi potius per terræmotũ indicat euenturum, cũ tale Signũ Mortem ex ruina Terrę portendat.



DISPVTATIO SCRIPTVRALIS.





X impuris, atq; cænosis humanæ scientiæ lacunis hactenus de cõsummatione sęculi notitiam haurire studuimus; Nũc eadem ex purioribus Sacræ Scripturæ, Sanctorumq; Patrum fontibus promenda est. Neq; quærendum an sacri eloquij, & Patrum testimonijs cõmunis rerum interitus astruatur; Siquidem id in hac vniuersa tractatione, tamquam basis, ac fundamentum Orthodoxa fide testatissimum constituitur, sed tantum disserẽdum est, An in Sacro Codice pateat tempus præsignatum, ac definitum, quo nouissima dies illucescet; Aliqui enim ex Sacris monumentis erepto lumine, postremum rerum tempus ita audacter indigitarunt, vt operæ pretium me facturum esse censeam, si in ipsorum sententijs excutiendis nonnihil laboris impendam. Hanc verò Disputationem per Quęsita, & Capita digeram, & per Sectiones distinguam.

Primò quæram, Vtrum sex dies Creationis Mundi indicent sex annorum millliaria, quibus opinio est multorum Mundum duraturum esse. *Ordo ab Auctore seruandus in Scripturali disputatione.*

Secũdò, in examen reuocabo, An Danielis hebdomadę ad tẽpus excidij Mundani referantur, & alia ex Sacra Scriptura deprompta de tempore finali argumẽta expendam.

Tertium Quæsitum, & Caput erit de incertitudine nouissimi diei, Scripturæ, & Sanctorum testimonijs comprobata, cum expressione causæ, ob quam Deus Mundi finem incertum esse voluerit, & declarabo difficilia loca de proximitate vniuersalis mutationis.

Quartum Quæsitum, & Caput erit de Pędicatione Euãgelij in Vniuerso Orbe;

Quintum erit de bellis, & alijs infortunijs Mundi senectam præcedentibus.

QVÆSITI PRIMI

CAPVT PRIMVM.

Examinatur, an dies Creationis Mundi fuerint plures dies, an vnus, & recepta sententia de pluralitate dierum ostenditur, non inferri durationem Mundi futuram esse sex millium annorum spatium ex falsa intelligentia verborum Psaltis Psal. 89. Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præterijt. Quæ verba iuxta veram expositionem vnà cum similibus verbis D. Petri explicantur, & statuitur nullatenus sextum millena-

ilum

rium postremam esse Mundi ætatem,& breui digressione aduersus Chiliastas, constituentes septimum millenarium pro Regno Christi, cum suis Sanctis in terra, ante finem Mundi, totum Caput absoluitur.

CElebris, & peruulgata fertur traditio cuiusdam Eliæ, non Thesbitis Magni Prophetæ, cuius præclara gesta in sacris narrantur litteris, sed Rabbini Thalmudici, ac Caballistici Mundum sex millibus annorum duraturum esse. Quod pronunciatum consignatum est in Thalmudicis voluminibus ord. 4. tract. 4. cui titulus est Sanedrin, hoc est Iudicium, & his verbis exprimitur. Sex millia annorum erit Mundus, duo millia inanitatis; duo millia legis, duo millia dierum Messiæ. Et sanè cum Thalmudicum opus omnium planè mendacissimū sit, huic dicto fides iam satis abrogatur, nihilominus cum hæc antiquorum Hebræorum opinio in ora Sanctorum Ecclesiæ Procerum irrepserit, superuacaneum non est hanc sententiam diligenti trutina expendere. Id enim approbauit Irenæus lib. 5. aduersus hæres. cap. vlt. ita loquens. Quotquot diebus hic factus est Mundus, tot & millenis annis consummetur. Idem sensit Iustinus Philosoph. & Martyr, lib. 5. ad Gentes, quæst. 71. Consensit Hilarius in Matth. dictum cap. 17. Et post sex dies transfiguratus est. Sex, inquit, millium annorum temporibus enolutis, Regni cælestis honor præfiguratur. Et S. Hieronym. in ep. exposit. Psalmi 89. elucidans verba; Quoniam mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quæ præteriit, hæc habet. Ego arbitror ex hoc loco, & ex epistola, quæ nomine Petri inscribitur, mille annos pro vna die solitos appellari, vt scilicet, quia Mundus in sex diebus fabricatus est, sex millibus tantum annorum credatur subsistere, & postea venire septimum numerum, & octonarium, in quo verus exercetur Sabbatismus. Quod etiam confirmat in comment. Micheæ cap. 4. & sextam, atque nouissimam sexti millenarij horam tempus fidei Gentium esse ostendit. Confirmāt Genebrardus in principio suæ Chronologiæ; Galatinus lib. 4. cap. 20. Io. Picus in suo Heptaplo.

Multorū afferuntur sententia circa numerum annorū Mundi.

Famigerata est etiam de hac re Lactantij Firmiani opinio pluribus expressa verbis lib. 7. cap. 14. cuius aliqua tantum referre verba non pigeat. Sciant igitur Philosophi, qui ab exordio Mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextū millesimum annum esse conclusum, quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari. Hæc Lactantius cum reliquis, quibus cum statuisset, sex mille annos sęculi durationem fore, subdit cap. 25. Iam appropinquare terminum sexti millenarij, & omnem expectationem non amplius esse, quam ducentorum annorū. Ideoq; lapsum, & ruinam rerum breui fore; Quod Lactantij pronunciatum refutauit euentus, & Lactantium calculus annorum fefellit, quandoquidem ipse vixit anno Christi tercentesimo, quo tempore falsum est sextum millenarium annorum à Creatione Mundi suo fini proximum fuisse.

Lactantij Firmiani verba de Mūdi duratione.

Sed non est mirandum, Lactantium temporum calculo deceptum esse, quando S. Ambrosius lib. 7. in Lucam cap. 2. sex millium annorum durationem Vniuersi repudians, asserit, ætate sua, scilicet, anno ortus Domini 376. quo scripsit cōmentarios in Lucam, plusquam sex millia annorum ab Orbe condito præterlapsa esse, ratione intra sibi peculiari ex annorum supputatione, & tamen iuxta eam, quæ ab Hebræis tradita fuit, ab Ambrosij tempore nondum præterierant anni quattuor millia quadringenti, vt obseruat Sixtus in sacra Bibliot. lib. 5. annot. 190. Sed verius Card. Baronius in Martyrolog. 25. Decembris notauit Christum natum esse, anno à Creatione Mūdi quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono. Quare cum Ambrosius affirmauerit sua ætate abijsse à Mūdo cōdito sexies mille annos, patet illi numero deesse plusquam quingentos annos; Obijt enim Ambrosius anno Christi trecentesimo nonagesimo septimo, vt in suis Annalibus idē Baronius enarrat. Sed hæc obiter.

Verum S. Augustinus hanc opinionem

de sexto millenario pro Mundi duratione modò refellit, modò tolerandam esse affirmat. Ipsam reijcit in Psalm. 89. interpretans Dauidica verba commemorata. Mille anni &c. at lib. 20. de Ciu. Dei cap. 7. non improbat hanc sententiam, imò asserit, se id aliquando opinatum fuisse, & solum reprehendit in ea parte, quæ sapit errori Chiliastarum, de quo infra disputabimus. Hæc animaduertens Card. Bellarminus lib. 3. de Romano Pontif. cap. 3. hæc scribit: Optima moderatio D. Augustini, qui hanc sententiam, scilicet durationem Mundi, sex millibus annorum futuram, probabilem putauit, & eam vti probabilem secutus est. Neq; hinc sequitur nos scire tempus vltimæ diei, dicimus enim probabile esse, Mundum non duraturum vltra sex millia annorum, non autem dicimus id esse certum. Hactenus Bellarmin.

Card. Bellarm. circa D. August. opinionem.

Probabilitas autem huius sententię inde oritur, quia multa de numero senenario sacris litteris prodita sunt, quæ referre videntur sextum millenarium, quo consumandum est Vniuersum, & quiescendum deinde in septimo millenario. Sex diebus gloria Domini inclinauit super montem Sinai, cooperiens illum nube Exodi 24. quo significatur huius vitæ tempus. Arca Noe requieuit mense septimo. Iosue oppidum Iericho sexies circuiuit, septimo autem die muri Ciuitatis corruerunt. Septem hebdomadæ datæ sunt populo Israelitico ad metendum, Deuteron. 16. quibus magna septem sæcula designantur. Sex tribulationes apud S. Iob sunt huius vitæ passiones, septima verò, in qua malum non tangit iustos, erit post hanc vitam, quando Iusti venient ad requiem Sabbati. Seruus Hebræus sex annis seruit Domino suo, Exod. 21. Sex diebus colligendum manna, & sexta die duplum legendum Exodi 16. Septem tubæ, & septem sigilli in Apocal. cap. 8. repręsentant huiusce numeri mysteria; Et hæc omnia eò collimant, vt Mundi ætatem in sexto millenario constituant.

Probabilitates de sexto millenario pro Mūdi duratione à sacris litteris multa habentur.

Præmissa reuerentia erga tot insignes Doctores, qui huic sententiæ adhæserunt, assero, hanc opinionem incerto prorsus, ac nutanti nixam esse fundamento. Et quantum spectat ad dies, in quibus sacra Genes. cap. 1. narrat, creatum fuisse Vniuersum, ex quibus diebus fautores huius assertionis inferunt tot millibus annorum correspondētibus sex diebus Creationis permansurum esse Vniuersum, in memoriam reuoco Lectori S. Thomam pri. parte Quæst. 64. art. 2. problematicè defendere Mundum, vel vnico momento temporis fuisse creatum, vel sex diebus productum. Etenim ibi refert sententiam D. Aug. lib. 4. super Genes. cap. 22. scilicet, per diem intelligi cognitionē mentis Angelicæ, ita vt primus dies sit cognitio primi Diuini operis, & secundus dies cognitio secundi, atq; ita distinguantur dies, nō secundum successionem productionis rerum, sed secundum cognitionem mentis Angelicæ, quum propriè, & verè appellādam esse diem, tradit S. Doctor.

Opinionem de sexto Nonario asserit incertam.

Hanc Augustini sententiam enarrans Molina tract. de opere sex dierū Disp. 2. putat, nomine diei, ex mente Augustini, intelligi cognitionem, qua Angeli in Verbo cognouerunt ea, quæ singulis illis diebus narrantur facta, & respectu eius cognitionis plures dies distinguuntur. Sed miror vehementer, Molinam in exponenda Augustini sententia, tum à veritate, tum ab interpretatione S. Thomæ recedere; Etenim S. Doctor illam exponens art. citato, ita loquitur; Et dicitur vnūquodq; opus esse factum in aliqua die, quia nihil Deus produxit in rerum natura, quod nō impresserit menti Angelicæ. Quibus verbis indicatur, non cognitio matutina, quā habuerunt Angeli beati in verbo, sed vespertina, quam habuerunt per species inditas ab instanti Creationis. Igitur nō est, quod Molina referat distinctionē dierum illorum in cognitionem, quam habuerunt Angeli in Verbo; nam Augustinus nō est locutus de tali cognitione habita ab Angelis in Verbo; Illa enim cognitio non est multiplex, sed vna simplicissima, ideò fieri non potest, quod illa, per comparationem ad obiecta, tamquam plurificata per dies censeatur; Imò puto Augustinum accommodantem suam interpretationem verbis sacræ Genes. putasse distinctionem dierum ex cognitione vespertina petendā esse, quia in sacro Codice, primū fit mentio de vespere, quam de mane, ita enim habetur: Factum est vespere, & mane dies primus, vbi nomine vesperis indicatur notitia vespertina; De hac verò duplici

Error Molinæ in D. Aug. sententia expositione.

scien-

Suarez & D. Thom. circa sententiam D. Aug. scientia Angelorum multa congessit Suarez lib. 1. de opere sex dierum cap. 11. examinans de hac duplici scientia sententiam Scoti, D. Bonauent. Ægydij, Alex. Alensis, & aliorū, & statuit, Augustinum sensisse, vnicam tantum esse sciētiam matutinam Angelorum de rebus creatis, illamq; esse visionem earum in Verbo; Quę est etiam interpretatio S. Thomæ pri. par. quæst. 58. art. 6. & 7. & hæc scientia concessa fuit Angelis sanctis à principio beatitudinis, non autem Angelis, qui peccauerunt, vt colligitur ex eodem Augustino lib. 11. de Ciuit. cap. 7. & lib. 2. Genes. cap. 8.

Quoniam verò hæc ad propositā materiam parum spectant, reuertens vnde discessi, assero fuisse etiam opinionem Philonis Hebræi lib. 1. allegoriarum, legis sex illos dies non fuisse sex dies naturales; Cui adstipulatur Procopius inter Græcos, affirmaos omnia à Deo facta simul fuisse, & Moysen numero sex dierum fuisse vsum, ob imbecillitatem intellectus nostri, atq; vt erudiret, pingui (vt aiunt) Minerua Hebræas gentes rudes, & imperitas. *Sententia circa sex dies creationis.* Hinc Caietanus in expositione verborum Genes. testatur sex illos dies esse vnum, & eumdem diem sexies repetitum, per comparationem ad illa, quæ sex illis diebus fuere producta, adeò vt putet Caietanus omnia fuisse creata, non solum eodem die naturali, sed etiam in primo instanti illius diei; Atq; horum sententiæ fauet testimonium Ecclesiastici cap. 18. Qui viuit in æternū, creauit omnia simul, & Genes. 2. habetur: Istæ sunt generationes Cæli, & terræ, quando creata sunt in die, quo fecit Dominus Cælū, & terram. Quare cum loquatur sacra Scriptura de die, & non de diebus, vnica tantum videtur fuisse illa dies, qua Mundus fuit productus; Quoniam igitur ex horum Doctorū opinione illi dies non fuerunt sex dies distincti, sanè eneruatur, eorum opinio, qui putant sex millibus annorū Mundum duraturum esse, quia sex millia respondent sex diebus Creationis Vniuersi.

Sententia Auctoris. Nos verò amplectimur communem SS. Patrum intelligentiam, nimirum sex dierum numerum verum, & realem fuisse, vt docent Basilius, Ambrosius, Beda, in principio Hexameron, Nazianzenus orat. 43. Athanas. serm. 3 contra Arianos, Gregorius 32. Moral. cap. 9 & tradit Leo Papa epist. 79. & ex Concil. Trident. habetur sess. 2. Deum in Dominico die lucem condidisse, resurrexisse, & Spiritū Sanctum ad Apostolos misisse; Nam si numerus sex dierum non est verus, falsò asseritur Deum creasse Mundū in Dominico die; neque diei potest requieuisse ab operibus suis in die Sabbati, quæ vocatur septima dies; Quare si in vno die, vel in vno instanti diei, vt putauit Caietanus, omnia sua opera perfecisset, in eodem instanti ab omni opere requieuisset, quod non est consonum sacræ Scripturæ.

Ad testimonium verò Ecclesiastici supra allatum respondet D. Thom. art. prænotato ad 2. quod Deus creauit omnia simul, quantum ad rerum substātiam quodammodo informem, non verò quantum ad formationem, quæ facta est per distinctionem, & ornatum; *Solutio argumenti.* Vel dicendum est verba Ecclesiastici intelligēda esse de ijs, quæ producta sunt ex nihilo, seu per creationem presse sumptam, quandoquidem hæc omnia simul cum Angelis producta fuerunt initio, & primo instāti creationis; Nomine enim Cęli in primis verbis sacræ Genesis intelligitur Natura Angelica, & nomine Terræ, tota natura corporea exprimitur, reliqua verò, quæ postea sex illis diebus facta recensentur, nō sunt producta ex nihilo, sed ex præsupposita materia, vt patet verba sacri Codicis consideranti.

Solutio argumenti. Ad testimonium verò Genesis respondendum est Moysen eo loco sumpsisse diem pro tempore, cum talis vsurpatio vocis in sacra Scriptura frequentetur, iuxta illud Deuteronom. 32. Iuxta est dies perditionis, idest tempus. Isaiæ 9. Sicut in die Madian; & Io. 9. ait Christus: Me oportet operari, donec dies est, idest donec tempus est.

Corollarium. Nihilominus ex hac veritate de reali distinctione sex dierum, quibus Mundus fuit productus, nō rectè infertur, sex millibus annorum totam Mundi durationem futuram esse; Nam fundamentum istius assertionis dependet ex praua intelligentia verborum Psalm. 89. quæ mox subiungam.

SE-

SECTIO PRIMA.

Declarantur verba Psalm. 89. quorum explicatione magis demonstratur sex mille Annos completam Mundi ætatem non esse.

Opinio illorum, qui existimarunt, sex mille annos respondere sex diebus creationis Vniuersi, dependet potissimum à falsa intelligentia verborum Psaltis, ita loquentis: Quoniã mille anni ante oculos tuos, sicut dies hesterna, quæ præterijt; Ita enim argumentantur. In oculis Dei mille anni pro vna die reputantur, ergo cum dies Creationis indicauerint Mundi tempus, ac ætatem, habendi sunt mille anni pro vno die, atq; sex millia annorum pro sex diebus, atq; adeò Mundus non vltra sextum millenarium perennabit. Sed quantum hallucinati sint huiusce sententiæ fautores innixi praua interpretatione verborum Dauidis, patet primum ex D. August. in ipsorum verborũ expositione. Ausi sunt, inquit ipse, homines præsumere scientiam temporum, quod scire cupientibus discipulis Dominus ait. Non est vestrum scire tempora, quæ Pater posuit in sua potestare, & definierunt hoc sæculum sex annorum millibus, tanquam sex diebus posse finiri, nec attẽderunt, quod dictum est, Tanquã dies vnus, qui præterijt; non enim quando hoc dictum est, soli mille anni præterierunt, & quod eos maximè debuit animaduertere, ne temporum luderentur incerto, illud est, sicut vigilia in nocte, neq; enim sicut de sex diebus aliqui verisimiliter videntur opinari, propter sex dies primos, quibus Deus perfecit opera sua, sic etiam sex vigilias, idest horas decem, & octo possunt illi opinationi coaptare. Ita August. Quibus clarissimè indicat, se nullatenus approbare mille annos pro vna die esse computandos. Quare dicendum est, quod cum mensura Dei sit æternitas, mille anni in æternitate, quæ ipsos comprehendit, est illa differentia temporis, quæ verè est talis à parte rei, licet mille anni comparati ad æternitatem, non solum se habeant, instar vnius diei, sed vel vnius momenti, vel nihili. Propterea Dauid, vt obseruat Card. Bellarmin. in exposit. huius Psalmi, describit abiectionem generis humani post peccatum primi hominis, ex breuitate vitæ comparatæ cum æternitate Dei, quæ ita immensa est, vt mille anni apud Deũ sit vt vnus dies, vel vna pars diei apud nos. Quod confirmatur sequentibus verbis. Et custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt, idest vna nocturna vigilia, quæ tribus horis absoluitur, erunt anni humanæ vitæ, qui tam breues erunt, vt in nihilum possint reputari. Concinit pronunciatum Iob cap. 7. Parce mihi, Domine, nihil enim sunt dies mei; Et notandum, quod ad significandam vitæ breuitatem, Psaltes ipsam potius comparat diei hesterno, quam crastino, quia semper tẽpus futurum videtur nobis longius, quam præteritum, vt animaduertit Iacob de Valentia in hunc locum.

Verba Dauidis male intellecta.

Expositio D. August.

Expositio Card. Bellarm.

Dicendum igitur est Prophetam pro mille annis sumere temporis quantitatẽ, & ponere definitum pro indefinito, quod magis patet ex sequentibus verbis, & custodia in nocte, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt, non enim amplius facit mentionem de mille annis, sed de annis generatim sumptis, ideò asserendum est, Prophetam locutum appositæ cohærẽti vtroq; loco accipere indeterminatum tempus; Atq; ita exponit Caietan. prædicta verba: Accipit, ait ipse, annos mille pro supremo tempore humanæ vitæ, vtpotè quos nullus vmquam homo vixit, vt patet legenti ætates hominum ante Diluuium.

Sententia Authoris.

Eodem modo exponenda sunt verba D. Petri ep. 2. cap. 3. Vnum vero hoc non lateat vos charissimi, quia vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut dies vnus; Sensus enim est idem, ac præcedens Prophetæ; nimirum vita nostra quamlibet longa, & cuiuluis alterius rei maxima duratio perbreuis est apud Dominum, sicut in oculis eius, æstimatione, & comparatione ad æternitatem, semper enim est idem Deus, nec deficiunt anni eius, sicut nostri, & reliquarum creaturarum,

Expositio diuersorum textuum.

rum, iuxta illud Iob 10. Non sicut dies hominis, dies Dei, & anni eius sicut humana sunt tempora; Nostra verò duratio nihil est, comparata ad æternitatem, quæ teste Boetio lib. 3. de Consolat. est interminabilis vitæ tota simul, & perfecta possessio. Hinc Paulus totum vitæ tempus appellat, hodie ad Hebr. 13. & Isaias cap. 26. appellat momentum Dauid Psalm. commemorato Nihilum. Propterea Aggæus cap. 2. tempus quo prædicebat Aduentum Christi futurum, quod erat spatium ferè quingentorum annorum, appellauit modicum, & similiter Paulus ad Hebr. 10. modicum aliquantulum dicit omne tempus, vsq; ad secundum Aduentum, & tandem Io. ep. 2. totum hoc tempus, quod antecedit finem Mundi, nouissimam horam nuncupauit; Quocirca loquens idem Ioan. Apoc. cap. 12. de toto tempore, quo nos tentationibus Dæmones impetunt, ante secundum Christi aduentum, asserit, quod Diabolus venit cū magna ira, sciens, quia modicum tempus habet. Itaq; Scholasticè loquentes, asserimus quascumque durationes rerum, ac minimas ipsius partes, & momenta coexistere [redacted] Dei æternitati, quemadmodum omnia entia coexistunt Deo in æternitate, licet non per realem, vt aliqui Scholastici loquuntur, sed per obiectiuam dumtaxat rerum existentiam, scilicet quatenus obijciuntur cognitioni, ac potentiæ Diuinæ, adeò vt mille anni, & quælibet temporis duratio, momentum videatur respectu æternitatis. Quapropter sententia Dauid, & S. Petri est humanam vitam ad æternitatem relatam nihil esse. Quod egregiè confirmat S. Hephrem tom. 1. ser. ad pia, & bona opera his verbis. Mille anni huius sæculi in æterno, & incorruptibili illo Mundo tantam habent comparationem, quātam minima arena maris cum tota eiusdem arena.

Corollarium.

Moralis expositio Auctoris.

Obiter indicabo moralem expositionem, quæ à me afferebatur in hæc Psalmi verba, dum munus Concionatoris indignè obirem, Concione in fer. 2. post Dominic. 3. Quadragesimæ. Morale documentum petebam à Petro Damiano ep. 4. cap. 7. ad Desiderium, scilicet peccatorem non desperare debere, quasi non sufficiant ad pænitentiam mille anni, siue magna temporis longitudo, quia vnus dies condatæ pænitentiæ sufficit, quemadmodum breuis hora suffecit latroni, quia Deus pro sua infinita misericordia reputat vnum diem pænitentiæ pro mille annis eiusdem pænitentiæ, ac doloris. Afferebam etiam documentum morale, quod mihi suppetebat Nissænus tract. 1. in Psalm. cap. 7. & illud erat, quod quamuis vita peccatoris infinitis sceleribus plena esset, si ad Deum conuertatur, Deus pro nihilo habet totam illam congeriem criminum, & tot annos, quos in flagitijs contriuit, etiam si mille essent, reputat pro vno die, & respicit præsentem conuersionem, ac dolorem de peccatis perpetratis. Si verò peccator præsentem malitiam non detestatur, Deus æstimat longum tempus, & spatium multorū annorum illud, quod à peccatore pro nihilo habetur. Ideò subdit Propheta, quæ pro nihilo habentur, eorum anni erunt.

Nisseni documentum.

Sententia Auctoris.

Sed ad materiam propositam reuertentes asserimus ex Psalmis, & D. Petri verbis nequaquam inferri ex mille annis diem magnum Dei constare, ita vt Mundus per sex dumtaxat annorum millia sit duraturus, quia sex diebus à Deo Creatore productus fuit; & vt verum fatear, ex hac interpretatione allata de annis correspondentibus diebus, adeò vt anni dies, & dies annos indicare videantur, non leues profecti sunt errores; Etenim cum D. Hieronymus in Danielem cap. 12. affirmat dies quadraginta quinq; post Antichristi mortem elapsuros ante Iudicium, aliqui putant significari quadraginta quinque annos, imò si dies pro annis mille accipiatur, quoniam dies artificialis duodecim constat horis, singulis horis dixerunt respōdere octuaginta quattuor annos. Hinc dicente Ioanne Apoc. 8. Hora dimidia factum fuisse silentium in Cælo, sigillo septimo aperto, putant illud silentium durasse annis quadraginta duobus; & tamen verus sensus Io. est, sumere mediam horam pro tempore breui indeterminato, atque indicare cælites admirantes magnitudinem suppliciorum, quæ reprobi extremis Mundi temporibus patientur, quasi media hora præ stupore siluisse, quæ est expositio Viegas in hunc locum. Quamobrem statuendum est in Scriptura Sacra incertum esse, an dies pro annis, vel mensibus, vel hebdomadis, vel pro vniuerso tempore accipiantur, qua de re legendus

Nonnullorum errores.

Verus sensus.

Conclusio.

 est

est Lyranus in cap. 39. Ezechielis, & Peter. in cap. 12. Danielis.

Verisimiliter sententia de sex diebus creationis.

Ex dictis igitur patet per sex annos Creationis Vniuersi nequaquam indicari sex mille annos ætatis Mundanæ, sed similius vero erit asserere, quod per sex dies significentur potius sex ætates, de quibus loquitur August. lib. 1. super Genes. & Beda lib. de ration. temporum. Cuius verba cap. 66. referre placet. Intelligamus, inquit, synceré, ac catholicè sex illos dies, in quibus Mundi huius ornatum perfecit Deus, & septimum, in quo ab omni opere suo requieuit, quem ob id perpetuæ quietis benedictione sanctificauit, non sex annorum millia, sæculi labentis, & septimum Regni Beatorum in terra cum Christo, sed potius sex ætates significare Mũdi labentis, in quibus Sancti laborant in hac vita pro Christo, & septimam perpetuæ quietis in alia vita, quam solutæ à corporibus percipiunt animæ sanctæ cum Christo. Hæc Beda. Qui cap. antecedenti 64. explicauit sex sæculi ætates, quarum prima est ab Adamo vsq; ad Noe, secunda à Noe vsq; ad Abrahã, tertia ab Abraham vsq; ad Dauid, quarta à Dauid vsq; ad transmigrationem Babylonis, quinta ad transmigratione Babylonis vsq; ad Aduentum Domini Saluatoris, sexta, quæ nunc agitur ætas, nulla generationum, vel temporum serie certa est, sed vt ætas decrepita, ipsa totius sæculi morte consummanda est. Itaq; minus errabit ille, qui sex dies creationis Mundi pro sex ætatibus interpretabitur, quam ille, qui pro sex milliarijs annorum de Mũdi duratione exponet. Addo, quod omninò incerta est supputatio annorum à condito Mundo ad hæc tempora, vt inter cæteros ostendit Maluenda de Antichristo cap. 27. adeò vt ex triginta, aut quadraginta Chronologis, vix duos, aut tres reperias consentientes in numerum annorum à condito Mundo ad Christum natum; sed supposita veritate ab Ecclesia Romana statuta, quod Christus natus est à Mundo condito anno quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono, iã constat sextum millenariũ non solũ elapsum esse, quod iuxta opinionem prædictam decernebatur Mundi duratio, sed iam septimum volui millenarium, imò de ipso exactos esse annos octingentos quadraginta hoc tempore, quo hæc scribimus. Igitur euentus iam redarguit opinantes Mundi postremam ætatem sextum fore millenarium.

Expositio Bedæ circa sex dies.

Iudicium Authoris.

Certus annorum numerus ab orbe cõdito ad Christum natũ.

Digressio Authoris circa errorem Chiliastarum.

Non prætermittam, quod ex praua intelligentia, seu interpretatione de mille annis ex Sacra Scriptura accepta, egerminauit error Chiliastarum, quem breui digressione refellam. Neque à suscepta digrediar disputatione, quia magis apparebit sex mille annos Mundi durationem non esse, si ex millenariorum fabulis, in septimo millenario Christus regnaturus est cum Sanctis in terra, & post septimum milliarium [redacted] uersalis corporum resurrectio, & finalis Iudicij dies; Et quamuis ad redarguendam Chiliastarum falsitatem sufficeret indicare hoc tempore septimum agi millenarium, iuxta Decretum Ecclesiæ in Martyrologio, de tempore elapso à Creatione Mundi ad Christum natum, tamen operæ pretium arbitror me facturũ, si breui Disputatione hunc errorem reijciam; Ita enim clarius apparebit mille annos in Sacro Codice non pro definito, sed pro indefinito tempore sumendos esse.

Ratio confutans dictum errorem Chiliastarum.

SECTIO SECVNDA.

De septimo millenario, quo iuxta aliquorum errorem, regnaturus est Christus cum Sanctis in terra.

Error nonnullorum de septimo millenario.

ALiqui antiquitus opinati sunt, exactis sex annorum millibus, constitutis pro duratione Vniuersi, suscitatũ iri ex mortuis omnes Sanctos, & Christum in terras descensurum, & regnaturum mille annis cum Sanctis ad nouam vitam reuocatis; Per id verò temporis putarunt Christum Dominum, & Sanctos, gloriosissimo imperio, terrarum orbe vniuerso subacto, bonorum omniũ affluentia vberrimam, & fælicissimam vitam ducturos, nec solum bonis spiritualibus,

bus, sed corporalibus etiam cumulatam; Ita tamen, vt non nisi moderatissimè Sancti rebus potiantur, & summa sanctimonia, atq; integritate vxores ducant, & sanctitatis alumnos filios producant. Hãc appellarunt ipsi primam resurrectionem, a qua omnes impij excluduntur; elapso autem septimo millenario, arbitrati sunt Satanam, qui per mille annos ligatus fuerat, solutum iri, & sæuissima persecutione inuasurum esse viros Sanctos, qui cum Christo regnarunt. Quo tempore omnibus hominibus ad vitam reuocatis, (quæ ab ipsis secunda resurrectio dicitur) fiet generale Iudicium, quo ad Inferni pœnas reprobi damnabuntur, & Sancti ad æternæ gloriæ fruitionem assumentur.

Papias Præsul Herosopolitanus fuit Author huius erroris.

Refert D. Hieronymus lib. de Script. Eccles. Authorem huius sententiæ fuisse Papiam Præsulem Herosopolitanum discipulum Apostolorum, quod etiam attestatur Eusebius lib. 3. Hist. Eccles. cap. 33. Hic tamen error non est idem cum hæresi Cerinthi, qui per mille annos constituit quidem in terris Regnum Christi, sed ipsum in carnalibus voluptatibus flagitiosissimè collocauit; Chiliastæ verò, idest millenarij Regnum fecerunt Christo in terra, in septimo millenario, sed plenum, vt dixi, sanctitate, & cælestem beatitatem repræsentans. D. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 7. loquens de Millenarijs, hæc habet; Vnus dies apud Dominum, sicut mille anni, & mille anni, sicut vnus dies; Sex annorum millibus, tamquam sex diebus impleri, sequatur velut Sabbati septimus, in annis mille postremis, ad hoc scilicet Sabbatum celebrandum resurgentibus Sanctis; Quæ opinio esset, vtcumq; tolerabilis, si aliquæ delitiæ spiritales in illo Sabbato affuturæ Sanctis per Domini præsentiam crederentur; Nam etiam nos hoc opinati sumus aliquando, sed cum eos, qui tunc resurrexerunt, dicãt immoderatissimæ carnalibus epulis vacaturos, in quibus cibus sit tantus, ac potus, vt non solum nullam modestiam teneant, sed modum quoque ipsius incredulitatis excedant, nullo modo ista possunt, nisi à carnalibus credi. Hæc Augustinus; Qui damnat opinionem Cerinthi, tamquam turpissimum erratum, & hæresim nequissimam, sed Chiliastarum opinioni se aliquando adhæsisse fatetur;

Hæresis Cerinthi.

Error Chiliastæ.

Sententia D. Augustini de millenarijs

Quam etiam secuti sunt Irenæus lib. 5. aduersus hæreses, Iustinus Dialogo cum Tryphone. Lactantius lib. 7. Institutionũ cap. 24. & Tertullianus, qui, vt obseruat Pamelius in Paradoxis nu. 14. pro fabulis hanc opinionem habebat, sed tandem in hoc & ipse impegit erratum.

Qui fuerunt sectatores opinionis Chiliastarum.

Non est meum consilium longa, & accurata Disputatione hoc Chiliastarum figmentum euertere; Id enim satis prælibatũ fuit ab Alphõso à Castro lib. 3. aduersus hæreses Hæresi secunda; a Pererio Cõment. in Daniel. lib. 8. A Ludouico ab Alcasar in cap. 20. Apocalyp. Breuiter tamen dicam falsum penitus esse aliam Sãctorum Resurrectionem futuram, quam illam, quæ facienda est in fine sæculi, atq; in die Iudicij, quæ erit vniuersalis, non Sanctorum modo, sed etiam reproborũ, iuxta illud Iob. 19. In nouissimo die de terra surrecturus sum, neq; Christus descendet de Cælo mille annis, ante Iudicij diem, sed solum eodem Iudicij tempore; ita testante Paulo ad Thessalonic. 4. Ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli descendet de Cælo. Neq; Sancti in eo somniato Regno, aut vxores ducent, aut filios generabunt, affirmante Christo Matthæi 22. loquente de statu Sanctorum post Resurrectionem his verbis, Tunc nec nubent, nec vxores ducent, sed erunt similes Angelis Dei. Addo Christi Regnum numquam fuisse prædicatũ plenum delicijs terrenis, sed potius ærumnis, & calamitatibus obsessum, ita habetur Io. 16. Mundus gaudebit, vos autem lugebitis, & Matthæi 24. In hoc Mundo oppressionem habebitis, & Luc. 18. An putas fidem repertnrum filium hominis in reditu? Si verò illud Regnum effictum, solidum, ac verum esset, quis non videt magnam fidẽ in reditu inuenturum esse Christũ in Sanctis suis, cum quibus regnaret? Prætermitto D. Paulum indicare, quod mortui resuscitati, ac viui (& loquitur præsertim de iustis) in occursum Domini rapientur in aere, & sic semper cum Domino erunt, quare si ipsi cum Christo erunt in aere, ergo Christus in terram ad illos non descẽdet, vt terrenum cum ipsis Regnum efficiat. Tandem non est reticendum, quod si post effluxum sextum millenarium, duraturum esset Regnum Christi mille annis, ijsq; absolutis, vltimus dies vniuersalis

Qui scripserint contra errorẽ Chiliastarum.

Vna tantũ erit resurrectio vniuersalis.

Confutatio nonnullorum errorum.

Vltimus dies vniuersalis Iudicij ignotus. salis Iudicij futurus esset, sequeretur vltimũ diem ab hominibus sciri posse, quod tamẽ Christus negat Matthæi 13. vt fusè in Disputat. Theologica explicabimus.

Aperitur origo, vnde fluxerit error Chiliastarum. Hic error fluxit à praua interpretatione vocis (mille annis) qua vsus est D. Ioannes Apocalypſ.cap.20. quæ verba opus est referre, & ipsis veram, & germanam interpretationem adhibere. Verba autem hæc sunt; Et apprehendit Draconem Serpentem antiquum, qui est Diabolus, & Satanas, & ligauit eum per annos mille. Et post aliqua subdit, vt non seducat amplius Gentes, donec consummentur mille anni. Rursus fit mentio de mille annis hoc modo. Et vixerunt, & regnauerunt cum Christo mille annis; Sequitur Ioannes. Hæc est resurrectio prima; Beatus, & Sanctus, qui habet partem in resurrectione prima, in his secunda mors non habet potestatem, sed erunt Sacerdotes Dei, & Christi, & repugnabunt cum illo mille annis; Et cũ consummati fuerint mille anni, soluetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quę sunt super quattuor angulos terræ, Gog, & Magog, & congregabit eos in prælium, quorum numerus est sicut arena maris. Ex his verbis Ioannis Chiliastæ desumpserunt materiam, asserendi Christum mille annis regnaturum esse cum Sanctis suis in terra, & expletis mille annis, Satanam, qui fuit ligatus per mille annos, solutum iri, & præmissâ sæuissimâ persecutione Christianorum, qua ipsos vrgebit Antichristus, tandem instituendum esse Iudicium finale, & finem Mundi futurum. Ex quibus verbis duplicem corporum resurrectionem deduxere, alteram partialem corporum Sanctorum, qui mille annis cum Christo regnabunt in terris, alteram vniuersalem omnium corporum, etiam impiorum, quã resurrectionem Iudicium finale, & Mundi interitus subsequetur.

Nõ datur duplex corporum resurrectio.

Euellitur fundamentum erroris Chiliastici. Quoniam verò Chiliastici criminis radices eliduntur, tamquam à falce à recta interpretatione verborum (mille annis) quas voces in superiori textu D. Ioannes pluties vsurpat, idcirco libet animaduertere cum Viegas in expositione commemorati capitis Ioannem in phrasi illa, mille annis, variare, & prius quidem per annos mille significare tẽpus à Christi passione, vsq; ad Antichristum, cum scilicet Ioannes asserit, Satanam ligatum esse per annos mille; Cum vero ab ipso dicuntur Sancti regnare per mille annos, tunc sermonem esse de æternitate per mille annos significata, & sanè, quod prima acceptio vocis mille annorum significet totũ tempus, quod intercedit inter passionem Christi, & Aduentum Antichristi, testatur D. August. 20. de Ciuit. cap. 9. in hũc modum: Interea, cum mille annis ligatus est Diabolus, Sancti regnant cum Christo, etiam illis mille annis eisdem sine dubio, & eodem modo intelligẽdis, idest isto iam tempore prioris eius Aduentus. Consentit Gregorius lib 32. Moral. cap. 12. & Pererius lib. 15. in Danielem.

Varia expositio circa illa verba D. Io. (mille annis).

Expositio Alcasari. Non me latet interpretationem Alcasari esse pro mille annis, quibus ligatus est Diabolus, accipi illud tempus, quo Roma Ethnica, expulsa Idolatria, Religioni se coosecrauit, & per ligationem Dæmonis indicari securitatem otium, & tranquillitatem, cuius potitur Romana Ecclesia, in publica Religionis Christianæ professione; Cui interpretationi consonant verba Augustini prędicto lib. cap. 7. Ligatus, inquit, est Diabolus, & inclusus in abysso, vt iam non seducat Gẽtes, ex quibus constat Ecclesia, quas antea seductas tenebat, antequam esset Ecclesia; nihilominus mihi magis probatur expositio de mille annis pro toto illo tempore, quod intercessit à Passione Christi, cuius efficacia ipsi Dæmoni erepta est potestas, vsque ad Aduentum Antichristi, quo tempore, ita Deo permittente, Diaboli vires in vniuersum Christi gregem grassabuntur, modico tamen tempore, idest tribus annis cum dimidio, iuxta oraculum Danielis cap. 7. Tempus tempora, & dimidium temporis, quæ verba pro tribus annis cum dimidio communiter exponuntur, tanto enim tempore Antichristi persecutio in Christianos sæuiet acerbissima.

Quæ expositio videatur magis probabilis Auctori.

Expositio Viega circa illa verba (mille anni.) Quoniam igitur, vt interpretatur Viegas Comment. in cap. 20. Apoc. sect. 2. § Putamus, mille anni primo loco accipiuntur pro decursu temporis à Passione Christi ad Antichristum, adeò vt sensus sit, vt exponit Pererius in cap. 12. Danielis, Cum consummati fuerint mille anni, tunc soluetur Satanas, idest propè finem sæculi soluetur Diabolus, quia tunc operã

Anti-

Antichristi maximam habebit impugnandi, & expugnandi homines potestatem; In secunda autem acceptione, cum dicitur eos, qui non adorauerunt Bestiam, nec imaginem eius, nec eius characterem acceperunt, vixisse, & regnasse cum Christo mille annis, ad æternitatem mille anni reseruotur, significando sempiternam illam durationem, qua Sancti cum Christo in omnem regnabunt æternitatem, quæ millenario numero exprimitur, quo designatur multitudo, ac plenitudo temporum, & ipsa æternitas, vt exponit D. Augustinus lib. 20. de Ciuit. cap. 7. & Greg. lib. 19. Moral. cap. 1.

Expositio D. Augustini circa eadem verba.

Et vt aliquid subdam de prima, & secunda resurrectione, de qua loquitur Ioannes, asserendum est cum D. Augustino lib. commemorato cap. 6. & 7. primam resurrectionem esse eam, qua quis à peccato ad statum gratiæ resurgit, quod ita expressit Augustinus. Reliqui eorum non vixerunt, inquit Io. donec finiantur mille anni, quoniam isto toto temporis interuallo, quod mille annos vocat, quantumcumq; in eo quisque eorum vixit in corpore, non reuixit à morte, in qua eum tenebat iniquitas, vt sic reuiuiscendo, primæ resurrectionis particeps fieret, atq; in eo potestatem secunda mors non haberet; Ita Augustinus. Viegas verò resurrectionem primam glorificationem animæ intelligendam esse putat, & mille annos eo loco accipiendos esse, non pro septimo millenario, sed pro toto tempore vsque ad Iudicium finale, quo tempore intermedio animæ Beatorum à corporibus solutæ perfruuntur beatitate, atq; in ijs, vt loquitur Ioannes, secunda mors non habet potestatem, quoniam iam liberi sunt à damnatione sempiterna, quæ mors secunda appellatur, comparatione mortis corporalis, qua sicut anima separatur à corpore, ita anima per peccatum separatur à visione Dei, eaq; priuatur.

Quæ sit prima resurrectio ex D. Augustino.

Quæ sit prima resurrectio ex Viega.

Manet igitur firmum, & inconcussum in textu Ioannis mille annos, vel pro tempore indeterminato poni, & significare spatium decurrens inter Christi passionẽ, & Aduentum Antichristi, vel præ se ferre spatium immensum, & indeterminabile æternitatis; Etenim ex Scriptura Sacra patet, numerum millenarium crebrò assumi, vt magna aliqua multitudo indicetur; Ita de Angelis dixit Daniel; Millia millium ministrabant ei. Et Dauid Psalm. 104. Memor erit verbi sui, quod mandauit in mille generationes, & Ecclesiast. cap. 17. Melior est vnus vir timẽs Deum, quam mille impij. Quo fit, vt tota Chiliastarum moles ruat, penitus innixa prauæ intelligentiæ vocis mille annorum, in textu prædicto Ioannis; Cum enim mille anni eas, quas attulimus, nanciscantur interpretationes, perperam existimarunt huiusce errati asseclæ septimum constituendum esse millenarium, in quo Christus Dominus in terris cum Sanctis suis sit regnaturus.

Corollariũ ex recta expositione illorum verborum (mille annis.)

Euerso autem primo Chiliastarum fundamento in verbis Ioãnis constituto, non est dissimulandum aliud Sacræ Scripturæ, imò ipsius Seruatoris Christi testimoniũ, quod millenarijs fauere videtur; Si quidẽ Christus Dominus, vt habetur Matthæi cap. 26. postquam in Cęna vinum in suum Sanguinem commutauit, hæc adiecit, alloquens discipulos, cum quibus cænabat. Dico autem vobis, non bibam amodo de hoc genimine vitis, vsque in diem illum, cum illud bibam vobiscum nouum in regno Patris mei; atq; idem repetitur Marci cap. 14. Quibus verbis indicat Redẽptor se rursus cum Discipulis bibiturum esse vinum in regno Patris sui; Quod certè non est intelligendum de regno Paradisi, in quo compertissimũ est, Christum, vel Beatos non assumere cibum, aut potũ; ergo id exponendum est de illo regno, in quo Christus cum suis Sanctis in terra regnabit, & vinum illud nouum appellatur, quia, vt recenset Lactantius loco supracitato, ibi summa erit affluentia bonorum omnium, quæ tellus parturit, atq; adeò vinum præ sui maxima puritate, atq; præstantia nouum dicitur.

Secundum fundamen. tum erroris Chiliastarum deductum ex verbis Christi.

Cęterum si hæc Christi verba vera, & germana expositione perpendantur, nihil Chiliastarum falsitati suffragari, perspicuum fiet, quandoquidem Teophilatus illa interpretatur de tempore Resurrectionis Christi Domini, quasi diceret Saluator. Non bibam de vino vsque ad Resurrectionem meam, quam vocat regnum Patris, vel Dei, vt loquitur Marcus, quia virtute diuina, sibique à Patre tradita, tũc regnauit contra mortem, peccatum, & Infernum. Etenim Christus verè post Resur-

Euellitur fundamentum Chiliastarum expositione Teophilati circa verba Christi.

ſurrectionem manducauit, & bibit cum Diſcipulis, oſtendens veritatem Reſurrectionis, & quod ille idem eſſet, qui paſſus erat; Nouum autē dicitur propter nouum modum, quo aſſumebatur vinum, non enim corpus Chriſti erat paſſibile, cibo, & potu indigens, ſed iam factum impaſſibile, immortale, & glorioſum; Et propterea aſſumptio vini, & cibi non conuertebatur in alimentum corporis Chriſti. Itaque, cum verè Saluator, poſt ſuam Reſurrectionem, cum ſuis Diſcipulis biberit, & manducauerit, cur ea verba non ſunt potius accommodanda illi tempori, quam vi extorquenda, & applicanda fictitio Chiliaſtarum regno?

Ratio, qua refellitur error Chiliaſtarum.

Porrò hic error euidenter refellitur ex eo, quod Chriſtus noluit exercere in actu ſecundo dominium in hoc Mundo; quamuis enim Chriſto concedendum ſit dominium Vniuerſi in actu primo, quod ipſi conuenit ex vnione hypoſtatica, ratione cuius, ſicut humanitati illi debentur aliæ excellentiæ, & priuilegia, vt poteſtas patrandi miracula, ſcientiarum plenitudo, & clara Dei viſio, ſic debebatur ipſi poteſtas, ac imperium in omnes creaturas; Quæ quidem poteſtas non fuit ipſi ſolum conceſſa poſt mortem; ſed ab inſtanti ſuæ Conceptionis, licet poſt mortem, & reſurrectionem dixerit Apoſtolis Matthæi vlt. Data eſt mihi omnis poteſtas in Cælo, & in Terra, & Paulus ad Romanos 14. In hoc mortuus eſt, & reſurrexit, vt viuorum, & mortuorum dominetur; quæ verba non quidem ſignificāt Chriſtum tunc, vel de nouo accepiſſe ius, & dominium, ſed vſum, & exercitium; Nam quamuis primum haberet poteſtatem præcipiendi, tamen eius præcepta non acceptabantur ab hominibus, vt poſt reſurrectionem recepta fuerunt; Hoc eodem ſenſu oratione Dominica rogamus, vt adueniat regnum Dei, non quo ad Ius, quod habet ipſemet Deus, ſed quoad vſum, & exercitium, ideſt quod Deus regnet in nobis per noſtram obedientiam, & obſeruantiam diuinæ legis, ac mandati. Aſſerendum igitur, extra controuerſiam eſt, Chriſtum in actu primo habuiſſe dominium ſupra omnes Creaturas, ſed non in actu ſecundo, quoad vſum, & exercitium, quod Chriſtus noluit aſſumere; Ideò Luc. 12. petenti, Magiſter dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem, reſpondit. Homo, quis me conſtituit Iudicem, aut diuiſorem inter vos? ſcilicet quoad vſum, & exercitium. Hinc Io. 6. cum quærerent ipſum eligere, ac renunciare Regem, fugæ ſe dedit in montem, & iuxta hunc ſenſum reſpondit Pilato Io. 18. Regnum meum non eſt de hoc Mundo; Etenim ſe Regem non negauit, imò ſuppoſuit ſe eſſe Regem, ſed inficiatus eſt ſe regnare in hoc Mundo, quia ſcilicet non aſſumpſit munus, & officium regnandi. Quare affirmandum eſt, Chriſtum habuiſſe ſaltem indirectè ius, ac dominium Regnorum, ac rerū temporalium, quatenus regimen ſpirituale animarum, quod potiſſimum à Patre ipſi commiſſum erat, requirebat, vt circa temporalia etiam diſponere poſſet.

Chriſtus in inſtāti Conceptionis habuit dominium in actu primo vniuerſi, poſt mortē verò habuit quo ad exercitiū.

Expoſitio nōnullorū verborum orationis Dominicæ, & aliorum Sacræ Scripturæ.

Concluſio.

Propterea, tamquam falſa reijcienda eſt ſententia Bacconi primâ Prolog. art. 2. concluſ. 2. & Quæſt. 11. Prolog. art. 3. & Abulenſis in cap. 21. Matthæi Quæſt. 30. nimirum Chriſtum iure ſucceſſionis habuiſſe ius temporale in regnum Iudæorum, quia erat ex familia, & domo Dauid; Nam Chriſto non competebat hoc ius, niſi ratione Mariæ Matris, quæ erat de ſtirpe Dauid, vel deſcenderet ex Dauid per Salomonem, vel per Nathan, vt aliqua eſt inter recētiores controuerſia. Quare, viuente Maria, tale ius Chriſto non competebat; Neque conueniebat ipſi ratione Ioſeph, deſcendentis ex familia Dauid, cuius Chriſtus erat filius adoptiuus; ſiquidem per adoptionem iura regnorum non transferuntur.

Opinio Bacconi, Abulenſis de dominio Chriſti, & eiuſdē confutatio.

Quod ſi in Sacra Scriptura dicatur Chriſtus regnaſſe, & ſediſſe ſuper ſedem Dauid, & regnum eius in æternum eſſe duraturum, id intelligendum eſt de regno ſpirituali, quod perſeuerat in æternum; Non tamen putandum eſt, Chriſtum ſolum fuiſſe Regem ſpiritualem, & non temporalem, vt ſenſit Franciſcus Victoria in Relect. prima de Poteſt. Eccleſ. Quæſt. 5. & Bartholomæus Medina Quæſt. 59. art. 4. Nam, vt dixi, Chriſtus fuit Rex temporalis in actu primo, quoad poteſtatem, non in actu ſecundo, quoad exercitium, & propterea non approbo ſententiam Vaſquez in 3. partem Diſp. 87. art. 2. quod non habuerit Chriſtus dominium in omnes Creaturas, ſed mihi magis arridet opinio Suarez in 3. part. Diſp. 48. ſect. 2. quod Chriſto cōueniat dominium ſuper omnes res creatas,

Obiectio, & eiuſdem ſolutio.

Opinio Franciſci Victoria, & Medina de dominio Chriſti, & eiuſdem confutatio.

tas,

tas, quod etiam tradidit Molina Tom. 1. de Iust. & Iure tract. 2. Disp. 8.

Expositio nonnullorũ verborum Apoc.

Quemadmodũ igitur verum est, Christo conuenire dominium in omnes creaturas, iuxta illud Apoc. 19. habet in femore; idest in humanitate Rex Regum, & Dominus dominantium, ita hoc intelligendum est de virtute, & potestate, non de actuali vsu, & exercitio. Sed quorsum hæc? vt crimen Chiliastarum funditus euellatur. Nam si ipsi concedunt Christo in septimo millenario Regnum, quo vniuerso Orbi dominetur, & in omnes homines, & Creaturas, quæ tunc temporis erunt in terris, plenissimũ dominium, & imperium, adeò vt, ex ipsorum placito, suæ potestati Christus Dominus vniuersum Orbem subijciat, quis non intelligit Authores huius falsæ opinionis admittere Christum, non solum in actu primo, scilicet quoad potentiã, sed quoad actum, & vsum habiturum esse dominium Vniuersi? Quoniam verò ex sacris litteris, nec coniectura assequi possumus, Regnum temporale, quod in primo Aduentu Christus detrectauit in terris, in secundo aduentu assumpturum esse, eoq; pleoissimè vsurum, fateamur necesse est, tale Regnum tamquam figmentum, nullo Sacræ Scripturæ fultũ præsidio esse prorsus reijciendum. Quod etiam patet ex absurdis, quæ sequuntur; Quandoquidem quæro à Chiliastis, an illa Christi, &

Corollarium, quo elicitur: falsam esse opinionẽ Chiliastarum.

Absurda, quæ emanant ex opinione Chiliastarum.

Sanctorum congregatio futura sit Ecclesia militans, an triumphans (nomine siquidem Ecclesiæ digna erit; quia congregato fidelium erit sub vno capite. Non videtur Ecclesia militans dicenda, quia animæ beatæ, quæ cum Christo in terris regnabunt) assumptis corporibus, eo ipso quod sunt beatæ, & visione Dei fruuntur, carent fide, quæ est, vt sic dixerim, anima Ecclesiæ militantis, quæ tota plena est viatoribus; At beati illi in terris cum Christo regnantes, non erunt viatores, sed comprehensores; Non acquirent noua merita, cum iam adepti sint æternam gloriam, quæ est terminus meritorum; Igitur illa congregatio non erit militans Ecclesia; Neque minus erit Triumphans, quia triumphanti Ecclesiæ, tamquam Capitolium, non hæc infima tellus, sed Empyreum Cælum in sacris litteris constituitur. Itaq; quoquò se vertant Chiliastæ, coguntur fateri, ipsorum Regnum esse commentum; Imò hæresim esse, quæ cum ab Apollinari fuisset pertinaciter propugnata, à Damaso Papa damnata fuit. Non hac tamen hæresi notandus est Papias, primus, vt diximus, huius sententiæ Author, quem Sanctitate spectatum vitæ finem clausisse, certam fidem faciunt Ecclesiasticæ tabulæ, in Martyrolog. Roman. no 22. Februarij, in quo natalis eius dies anniuersaria celebritate renouatur.

Opinio Chiliastarum à Damaso Papa damnata.

Papias Inuentor huius erroris sanctitate spectabilis perijt.

CAP. II. ET QVÆSITI II.

SECTIO PRIMA.

Ratio qui. bus sit disputaturus Author.

Disputatur de septuaginta hebdomadibus Danielis; Quæritur, an ipsæ comprehendant tempus prædefinitum excidij Mundani. Examinatur numerus annorum in eisdem hebdomadibus contentus. Agitur de initio, & fine ipsarum. Obiter de Christi Domini ortu, & morte aliqua indicantur. De Euersione Vrbis Hierosolymæ quædam commemorantur. Demonstratur tandem, ab illis hebdomadibus tempus Mundani Occasus non præsignari.

Operosam sanè aggredior prouinciam, suscipiens Disputationem de septuaginta hebdomadibus Danielis. Etenim Origenes in tract. 29. in Matth. asserit, sermonem Danielis de septuaginta hebdomadibus, prout conuenit manifestare, nullius esse, nisi Spiritus Sancti, qui Danielem hoc mysterium docuit,

docuit, & per eum litteris consignatum Ecclesiæ tradidit; Quam difficultatem indicauit etiam S. Hieronymus in Comment. 9. cap. Danielis; Quare deberem ego ab hac Disputatione supersedere, insistens vestigijs D. Augustini, qui lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 34. ab hac tractatione quasi declinauit, quia in ipsa eas reperit difficultates, quæ haud facilè poterant expediri. Atque, vt verum fatear, tanta est in hac Quæstione sententiarum varietas, tanta temporum, iuxta multiplicem chronologiam diuersitas, vt quid certi, quid explorati in hac Quæstione sit, arduum prorsus est constituere. Quædam igitur dumtaxat potiora perstringam, & ad soluendum propositæ difficultatis nodum magis accommodata.

Difficilis cum expositio septuaginta hebdomadum Danielis.

Nobilissimum, vt hinc exordiar, omnium linguis celebratum, est Danielis vaticinium cap. 9. Daniel. expressum. Quod edocuit Danielem Gabriel Angelus in vno, idest in primo anno Darij Medi, postquam Chaldæorum imperium suscepit; Causa autem visionis fuit, quod cum Daniel ex Hieremiæ vaticinio accepisset, iam instare, & appropinquare finem septuaginta annorum, quibus populus Hebræus Babylonica captiuitate detinebatur, Daniel ardentes Deo sudit preces, vt oracula Vatum in beneficium Hebraicæ gentis impleret. Igitur, dum Gabriel erudiebat Danielem de Hierusalem instauranda, & sua gente liberanda, monuit etiam, quod antequam præterirent septuaginta hebdomades, venturus erat Messias toto sæculis expectatus, qui cum bona omnia Hebraicæ genti allaturus esset, ipsa tamen eū non erat receptura, sed morte crudeli enecatura; Propter quod scelus prædixit Angelus Hebræos Regno, ac Sacerdotio in omne tempus priuatum iri, & Vrbem Hierusalem euertendam esse. Hęc est summa Oraculi Danielis, cuius verba præstat hic apponere, quia sæpè in hac tractatione ad ipsarum intelligentiam cōfugiemus. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, super populum tuum, & super Vrbem sanctā tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsq; ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus, cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli, statuta desolatio. Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Hæc sunt Danielis verba cap. 9.

Tempus, & causa vaticinij, quod Angelus Danielē edocuit.

Verba vaticinij.

Ratio verò, propter quam Angelus alloquens Danielem de liberatione captiuitatis Babylonicæ, ingerat mentionem de aduentu Messiæ, est quia captiuitas illa Hebræorum præseferebat imaginem captiuitatis generis humani sub Satana, & peccato, & similiter libertas, quam consecuturus erat populus Hebræus, repræsentabat eam libertatem, in quā Verbum humanum suo aduentu passione, ac morte humanū genus vindicaturus erat; Quæ annotauit Rupertus in Daniel. cap. 17. Quæritur igitur, an hoc vaticinium Danielis extēdatur ad postrema Mundi tempora, & an septuaginta hebdomades cōplectantur tēpus, quo duraturus est Mundus; Ita vt exactis septuaginta septimanis ab Angelo enunciatis, hæc rerum vniuersitas terminetur; Et quamquam in præhabita oraculi narratione libet, vaticinium non protendi vltra desolationem Hierusalem, attamen aliqua sunt non dissimulanda argumenta, quæ suadere videntur septuaginta Danielis hebdomadas vniuersam Mundi ætatem prædefinite, ac præsignare. Ideò in his argumentis excutiendis, & dijudicandis nostra immorabitur tractatio, vt ipsis accuratè examinatis, statuatur, septuaginta hebdomadas nullam de tempore Mundani excidij suppetere cognitionem.

Punctum quæstionis.

Intentio Authoris.

Primum argumentum petitum est ab interpretatione Origenis, qui tract. 29. in Matth. de his hebdomadibus sermonem habens, eas exponit non dierum, nec annorum, sed decenniorum, ita vt vnaquæque hebdomada constet septuaginta annis,

Sententia Origenis circa septuaginta hebdomades Danielis.

nis, & tempus septuaginta hebdomadum contineat quattuor millia, & nongentos annos; Quem opinionem, saltem ex parte, adamauit Eusebius lib. 8. de Demonstr. Euang.

Aliorum sententia. Aliqui interpretati sunt has hebdomadas pro annis Iubilæorum, quod tempus erat quinquaginta annorum; Quare vnaquæq; hebdomada Iubilæorum constat trecentis quinquaginta annis, & omnes septuaginta hebdomades comprehēdunt vigintiquattuor millia, & quingentos annos.

Alij verò arbitrati sunt, has hebdomadas esse centenariorum, itaut vnaquæq; hebdomada contineat septingentos annos, septuaginta verò hebdomades comprehendant annos quadraginta nouem millia. De hac vtraq; opinione mentionem facit Nicolaus de Lyra super 9. cap. Danielis, & Petrus Galatinus lib. 4. de arcan. Cathol. verit.

Corollariū ex varijs sententijs circa septuaginta hebdomadas. Ex hac igitur diuersa hebdomadum interpretatione, nempè, quod ipsę vel contineant quattuor millia, & nongentos annos, vel vigintiquattuor millia, & quingentos annos, vel annos quadraginta nouem millia, depromitur satis validum argumentum, quod cum nondum expletæ fiut hebdomades, ipsarum vltimum tempus postremam Mundi ætatem complectatur. Quare, cum in temporum diuersitate, iuxta præhabitam diuersam interpretationem, ipsæ hebdomades complendæ sint, patet diuersam etiam superesse temporis mensuram ad complendam vniuersam Mundi ætatem, & vniuersum suo fine claudendum.

Sententia Hippolyti Martyris. Secundum argumentum desumitur à testimonio Hippolyti martyris, qui, referente D. Hieronymo, super 9. cap. Daniel. exorsus est septuaginta hebdomadas ante solutionem Babylonicæ Iudæorum captiuitatis, & terminauit sexaginta nouem hebdomadas in Christi natiuitatem, at vltimam hebdomadā retulit ad finem Mundi, eamq; diuisit in prædicationem Enoch, & Eliæ, & in regnum Antichristi.

Sententia relata à D. Augustino. Similem opinionem refert Augustinus in Ep. 80. ad Hesychium, nimirum fuisse quosdam, qui duplices fecerunt septuaginta hebdomadas; Priores dixerūt completas esse in primo Christi Aduentu, posteriores verò in secundo Christi Aduentu, & in consummatione sæculi esse complendas. Itaq; tum ex horum, tum ex Hippolyti martyris sententia, liquet vel totas hebdomadas, vel saltem partem ipsarum ad posteriora Mundi sæcula extendi, adeout ipsarum tempus, vel ex toto, vel ex parte sæculi cōsummationem comprehendat, & indicet. *Corollariū ex sententijs proximis circa septuaginta hebdomades.*

Sententia erecta ex sacra scriptura circa septuaginta hebdomades. Tertium argumentum, quod prædicta videtur firmitate antecellere, colligitur ex verbis D. Matth. cap. 24. quo locò Christus Dominus adeò perspicuè loquitur de sæculi consummatione, vt nullus dubitādi locus relinquatur. Verba autem, quæ negotium facessunt, hæc sont. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat &c. Quibus verbis, scilicet Abominatione desolationis, indicatur mundanum excidium, & consonant verba hæc cum sermone Danielis cap. 9. & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Propterea eadem verba à Domino Christo prolata, referunt ad finem Mundi Irenæus lib. 5. cap. 25. Hilarius, & Auctor Imperfecti eo loco, quam opinionem Hieronymus, & Beda, & si non omninò amplectuntur, improbare certè non audent. Et sanè quod verba, & Danielis, & Saluatoris nostri exprimentia abominationem desolationis exponenda sint de Antichristo, & de Mundi cōsummatione, inde satis patet, quod tyrānicum imperiū Antichristi, propter infinita eius scelera plānè abominanda, & execranda, iure merito abominatio appellatur. Et quoniam ipsius tyrannica potestas sæuissima erit contra omnes Christi cultores, & excitata persecutione, maxima clade ipsos afficiet, templaq; prophanabit, ac desolabit, desolatio nuncupatur. Verum post tribulationem dictum illorū, inquit Christus Dominus, præallegato Matth. loco, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo, & virtutes Cęlorum commouebūtur, explicatur per hæc verba illa desolatio, de qua loquitur ipsemet Daniel, cum habet, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Quamobrem, cum Christus referat sermonem de fine Mundi ad oraculum Danielis, traditum in 9. cap.

in quo commemorantur septuaginta hebdomades, eaq; recensentur, quæ intra spatium ipsarum hebdomadum sunt perficienda, haud leuis prætexitur ratio, qua probatur, septuaginta hebdomadas tempus non solum Hierosolymitanæ desolationis, sed totius Mundani excidij continere. Hæc sunt validiora pro hac sententia propugnacula, quæ à nobis sunt expugnanda, & euertenda.

Corollariũ ex proxima sententia.

Et primò notandum est, vocabulum hebdomadæ in Sacra Scriptura non adhiberi, nisi pro septenario dierum, vel annorum, & cum hebdomades Danielis nequaquam accipi possint pro septuaginta diebus, quoniam illa, quæ à Gabriele Angelo indicantur, non euenerunt intra spatium septuaginta dierum, haud dubiè sumendæ sunt pro septenario annorum. At quamnam summam annorum reddant hi septenarij, non est facilè dijudicare; Controuersia enim est inter grauissimos Authores, an Gabriel locutus sit de annis Lunaribus, vel Solaribus. Et quidem quod in his hebdomadis anni sint accipiendi Solares, ea potissimum ratio suadere videtur, quod exploratum est Hebræorum menses fuisse Lunares; hoc est, Lunationes, annumq; duodecim mensibus constasse; Annus autem Lunaris continens dies trecentos quinquaginta quattuor, & est vndecim diebus minor Solari; Quocirca quadringēti nonaginta anni Lunares, qui continentur in septuaginta hebdomadis, sunt anni Solares quadringēti septuaginta quinque. Quare cum Angelus alloquatur Danielem Hebræum, congruum videtur, ipsum vsum fuisse computatione annorum Lunarium Hebræis vsitata; Et hoc ipsum confirmant verba illa Gabrielis. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super Vrbem Sanctam tuam; Etenim si hebdomades annis Solaribus constarent, longius tempus denotarent; Quoniam verò annis Lunaribus componuntur, ab Angelo abbreuiatæ dicuntur. Hæc opinio approbata fuit à Iulio Aphricano lib. 5. de tempor. apud Eusebium lib. 2. demonst. Euang. cap. 2. & apud Hieron. in cap. 9. Danielis, à Theodoret. in idem cap. à Ruperto super Daniel. cap. 16. & tandem probabilem æstimat hanc opinionem Pererius lib. 10. in Daniel. Nihilominus ego adhæreo

Significatio nominis hebdomadæ.

Qui annus Lunaris, qui Solaris.

Varia sententia circa hebdomades Danielis an componantur annis Lunaribus an Solaribus.

sententiæ Lyrani in cap. 9. Daniel. Galatini lib. 5. de arcan. Cathol. verit. asserentium, has hebdomadas annis Solaribus componi. Etenim, quamuis Hebræi vterentur mensibus Lunaribus, è quibus anni Lunares existunt, illos tamen redigebant ad rationem, & mensuram cursus Solis, atq; annos Lunares cum Solaribus adæquatos in chronologiam inferebant. Etenim tertio quoq; anno, & interdum secundo, quando vsus postulat, vt annus Lunaris Solari prorsus æqualis reddatur, Hebræi vnum mensem Lunarem, quem embolismum vocant, intercalant, illumq; annum tredecim Lunarium mensium constituunt, atq; ita æquatis annis Lunaribus ad Solares, vbi in Sacra Scriptura agitur de annis, intelligendum est de annis Solaribus, alioquin multa absurda sequerentur; Nam cum in Scriptura traditur, Adam vixisse nonagentos triginta annos, Hebræos quadringentos triginta annos peregrinatos esse in Ægypto, vel ab egressu Hebræorum ex Ægypto, vsq; ad Templi Salomonis ædificationem fluxisse octoginta, & quadringentos annos, certè non essent accipiendi tot anni, quot exprimuntur, sed longè pauciores, videlicet anni Lunares, atq; ita vniuersa Sacræ Chronologiæ ratio nutaret, & prorsus incerta, & obscura redderetur.

Sententia, quam Auctor sequitur.

Quid sibi velit hoc nomen, annus, in Sacra Scriptura.

Neq; verba prænotata: (Abbreuiatæ sunt super populum tuum) indicant abbreuiationem annorum, eò quod anni Lunares sint accipiendi, vel quod dies earum hebdomadarum, vel omnes, vel aliqui breuiori cursu peragendi essent, quam dies naturales, qui viginti quattuor horis constantur, quemadmodum perperam aliqui exposuerunt verba Domini, Matth. 24. asserentis persecutionis Antichristi dies propter electos abbreuiandos esse, scilicet breuiores fore singulos dies viginti quattuor horis, vt refert D. Augustinus ep. 80. ad Hesychium; Nam in Sacra Scriptura non constat dies, vel abbreuiatos esse, vel longiores esse factos, nisi tempore Iosue, ac Regis Ezechiæ, quando longior factus est dies viginti quattuor horis, sed nihil diminutionis in septuaginta hebdomadibus factum fuisse, & ne vnum quidem diem minorem die naturali deprehensum esse, non est prorsus dubitandum, cum nullum de hac re habeatur

Solutio obiectionis, & explicatio argumenti.

argu-

argumentum ex Sacra Scriptura; Etenim quemadmodũ legimus in lib. Genes. cap. 6. Deum primò decreuisse hominibus ad pœnitentiam agendam centum viginti annos, vsque ad Diluuium, postea recisis viginti annis, id temporis breuiasse; ita si aliqua dierum, vel annorum decurtatio facta fuisset in septuaginta hebdomadibus, aliquod, de hac re indicium ex Sacris paginis haberetur. Cum igitur hebdomades nullo modo factę sint breuiores, nec secundum dies, nec secundum annos, remanet interpretari abbreuiationem ipsarum, respectu temporis, quo venturus erat Messia, qui cum ab exordio Mundi semper per multa sæcula, & myriadas annorum indicatus esset, Gabriel alloquens Danielem, pollicetur, quod post refectionem futuram Vrbis Hierusalem, septuaginta tantum annorum hebdomadæ ad Messiam decurrendæ erant. Quare idem est abbreuiare hebdomades, quod paucas constituere, comparatas ad priora tempora, quę effluxerant, quibus data fuerat promissa generi humano de Christi Aduentu, & pręsertim cum Deus promisit Abrahę in eius semine omnes gentes benedicendas esse. Hac eadem significatione verborũ vsus est Christus Dominus Matth. cap. 24. Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, veruntamen breuiabũtur dies illi propter electos; Quorum verborum sensus est, dies, quibus Antichristus persequetur Christianos, paucos futuros, iuxta oraculum Danielis, & D. Io. Tempus tempora, & dimidium temporis, nimirum Antichristum tyrannicè imperaturum esse tribus annis cum dimidio, quasi diceret Christus Dominus, ni breue futurum esset tempus illius persecutionis, etiam electi animum despondererent, & deficerent.

Quid sit abbreuiare hebdomadas.

Confirmatio.

Corollariũ.

Ex his igitur liquet, hebdomadas annis Solaribus, non Lunaribus constare, & iam dubitationi circa verba, Abbreuiatæ sunt, satis occurritur. Atq; ita explotatum sit, septuaginta hebdomades cõtinere annos Solares quadringentos nonaginta.

Sententia Scaligeri, & Pererij.

Non me prçterit, Scaligerum lib. 6. de Emendat. temporum existimasse partitionem hebdomadum apud Danielem hanc esse, Dimidia, vna, septem, sexagintaduæ septimanæ; Sunt igitur anni ex ipsius calculo 493 ½. Ista dimidia septimana, inquit ipse, excurrens supra summã septuaginta, omnium tam veterum, quam recentiorum oculatissimam vigilantiam effugit. Atq; hoc idem sensit Pererius 3. par. Disput. de septuaginta hebdomadis, §. Postremo; & putat re vera non fuisse septuaginta hebdomades pręcisè, sed septuaginta, & dimidiam, nec annos tantum quadringentos nonaginta, sed quadringentos nonaginta tres. Cur autem Angelus septuaginta tantum hebdomadas nominauerit, prætermisso minuto, & imperfecto numero dimidiæ hebdomadis, contendit Pererius demonstrare id vsu Sacræ Scripturæ factum esse, in qua mos inoleuit minutos numeros in magna aliqua summa omittere; Hinc putat, hebdomadas terminatas esse, non in passione Domini Nostri, sed in quarto anno post ipsius passionem, & mortem. Radix, ex qua hoc Scaligeri, & Pererij erratum germinauit, est praua intelligentia verborum Gabrielis in hoc vaticinio, quæ sic traduntur. Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium; Itaq; Authores prædicti calculo constituerunt hebdomadas septem, & sexaginta duas, & vnam hebdomadam, quæ constituunt numerum septuaginta hebdomadum, & deinde mediam hebdomadam considerarunt, in qua dictum est, defecturam esse Hostiam, & Sacrificium. Sed hallucinati sunt in expositione verbi, In dimidia; nam sensus est, quod vltima septimana diuidenda est in duas partes, seu medietates, quarum vtraq; tribus annis, & dimidio constat; In prima parte septimanæ Christus baptizatus est, post quem baptismum defecit Hostia, & Sacrificium, idest defecerunt legalia, non quoad vsum, sed quoad argumẽtum ipsa esse defectura, & in ea parte hebdomadis Christus prædicauit, & miracula fecit. In secunda verò parte hebdomadis mortuus est. Itaq; dimidium hebdomadę nõ significat tres annos cum dimidio, quæ est medietas talis hebdomadis à Daniele significatæ, sed refert vnam medietatem, & quidem posteriorem eiusdem hebdomadæ, in qua Christus mortuus est, & in qua verè, & propriè dicitur defecisse Hostia, & Sacrificium, quia post mortem Christi Mosayci ritus, & legalia suas amiserunt vires. Quare illud verbum, In dimidio

Fundamẽtum Pererij.

Radix erroris Scaligeri, & Pererij.

Confutatio huiusmodi erroris, & difficultatis enodatio.

Corollariũ.

midio hebdomadis, habet relationem ad primam dimidiam partem vltimæ hebdomadis, in qua Christus baptizatus est, prędicauit suam fidem, & ipsam miraculis illustrauit.

Transitio. His explicatis, ad perfectã intelligentiam harum hebdomadum, superest, vt de ipsarum initio, ac fine disputemus; Quemadmodum enim in capiendo initio harum hebdomadum est totum opere pretium, ita opera luditur in eius ignoratione.

SECTIO SECVNDA.

Variæ sententiæ de initio, & fine hebdomadum.

Indicantur diuersæ sententiæ de initio, & fine hebdomadum, & breuiter refelluntur, receptâ illâ, quæ hebdomadas auspicatur à vigesimo anno Darij Longimani Persarum Regis, easque complet in morte Christi Domini; Ex quo infertur, hebdomadas iamdiu absolutas nihil ad sæculi consummationem conferre.

Initium hebdomadum.

VErba Gabrielis, quæ sunt Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, indicant exordium hebdomadum capiendum esse ab exitu sermonis de reficienda Hierusalem; Qui sermo significare potest, vel promissum aliquod Dei, de ædificanda Hierusalem, vel edictum alicuius Regis. Et sanè non est spectandum promissum factum à Domino per Isaiam cap. 45. scilicet, Deum per Cyrum Regem iugum seruitutis ablaturum Iudæis; nam à tempore illius promissi, quo Iudæi soluendi à seruitute, restauraturi erant Templum, vsq; ad finem hebdomadum, quæ terminarunt in morte Christi, vt infrà demonstrabitur, fluxerunt non septuaginta hebdomades, sed quattuordecim, & centum, idest anni circiter octingenti. Addo, quod si initium hebdomadum ducatur, non à promissione prædicta, adimplenda per Cyrum, sed à primo, vel secundo Cyri regnantis anno, exploratum est, ipsum regnare cæpisse Olympiade quinquagesima quinta, & Christi mortem incidisse in Olympiadem ducentesimam secundam, cum eius ortus incurrat in Olympiadem centesimam nonagesimam quartam. Quare inter ipsas Olympiadas Cyri, & Olympiadas mortis Christi intercedunt centum quadraginta septem Olympiades, idest anni quingenti octuaginta nouem circiter. Vnde miror Maluendam lib. 1. de Antichristo cap. 25. lapsum esse in hoc erratum, quod initium hebdomadum petendum sit à Cyri regno. Prætermitto, quod Cyrus, vt proditum est in vltimis verbis posterioris libri Paralipomenon, tradidit potestatem Hebræis ædificandi Templum, non Vrbem, vt patet etiam ex ipsius edicto memorato in 5. & 6. cap. Esdræ; Et tamen ab ædificatione Hierusalem, & non Templi asserit Angelus inchoandas esse hebdomadas.

Finis hebdomadum.

Olympias.

Error Maluendæ.

Neq; licet ipsas auspicari ab edicto Darij Hystaspis, qui fuit quartus Persarum Rex, quo regnante, concessa fuit ædificatio Templi, Iudæis ad id temporis, vsq; à Cyro intermissa; nam hæc opinio Eusebij, Cyrilli, Iansenij, & aliorum, eadem vrgetur difficultate, qua supradicta de Cyro sentẽtia; scilicet à Dario Hystaspe fuisse quidem traditam facultatem Hebræis reparandi Templum, sed non Vrbem; cuius rei fidem facit Seuerus Sulpicius lib. 2. Sacr. Hist. his verbis. Sexto anno, quo Darius regnare cæperat, consummatum est templum, idq; satis Iudæis visum est, quia magnæ molis erat Vrbem restituere, diffisi viribus, opus multi laboris incipere non ausi, Tẽplo continebantur; Ex quibus verbis patet, regnãte Dario Hystaspe, cõditam non esse Vrbem Hierosolymam, seu reparatam, sed Templum dumtaxat instauratum, & nihilominus Angelus affirmat, ab ædificatione Hierusalem hebdomadas incipiendas esse.

Reijcitur opinio de fine hebdomadum.

Hunc verò Darium non fuisse Darium Hystaspem, vt ego arbitror, quartum Regem Persarum, sed Darium nothum, ita appellatum, quod ex pellice genitus erat, putant Sulpicius loco cit. & Scaliger lib. 6. de Emendat. temp. Sed qualis fuerit ille Darius, patet sub vtroque Dario, vel

Difficultas circa historiam.

Hy-

Hystaspe, vel notho Templum ædificatum non esse. Nam si constituatur ædificatio Templi, quæ est principium hebdomadum, sub Dario Hystaspe, cadet ipsa in Olympiadem sexagesimam quintam, à qua vsq; ad finem hebdomadum, quæ est vel in Olympiade ducentesima secunda, vt ego interpretor, vel in ducentesima tertia, vt arbitratur Pererius, præterierunt anni plures quinquaginta super quingentos, qui certè excedunt annos in hebdomadis contentos.

Sententia Sulpicij,& Scaligeri reijcitur.

Neq; à Dario notho incipiendæ sunt hebdomadæ, vt arbitratus est Sulpicius, quem secutus est Scaliger; Hic enim Rex fuit decimus Persarum, Artaxerxis Longimani filius, sub quo non est ædificatum Templum, vt falsò arbitrati sunt Sulpicius, & Scaliger, quia Christo dixerunt Iudæi apud Io. cap. 2. Quadraginta, & sex annis ædificatum est Templum, & tu in tribus diebus excitabis illud? Verum si talis ædificatio facta fuit sub Dario notho, apparet. quod à secundo anno Cyri, quo Templum ædificari cœptum est, vsq; ad Darium nothum fluxerunt anni quadraginta & centum; Igitur dictum Iudæorum à vero aberrasset, & tamē supponendum est ipsos in eorum verborum prolatione habuisse verā cognitionem de tempore insumpto in ædificādo Templo. Cęterum si tempus instaurandi Templum referatur ad Darium Hystaspem, planè constabit, quod à tempore Darij, quo ædificati cœptum est Templum, vsq; ad nonum Darij Hystaspis annum, quo, referente Iosepho, absolutum est Templum, prætericrunt anni 46. Nam Darius Hystaspes regnauit quarto anno sexagesimæ quartę Olympiadis, ex Hieron. in cap 9. Daniel. Quare ab initio regni Cyri, qui regnauit exordio quinquagesimæ quintę Olympiadis, & imperauit triginta annis, ad principium regni Darij Hystaspis interfuerunt anni triginta octo. Quare initio noni anni eius regni, in quo, vt diximus, completum est templum, decurrunt anni 46. quibus Iudæi dixerunt Christo, Templum esse ædificatum. Vnde clarissimè liquet error & Sulpitij, & Scaligeri.

Sed initium hebdomadum non est ducendum, neq; à Cyro, neq; à Dario, vel Hystaspe, vel notho, quia isti non fecerunt edictum de ædificanda Vrbe, sed Templo, cum Angelus affirmet inchoandas esse hebdomadas à sermone facto, idest ab edicto, vel præcepto tradito de ædificanda Vrbe; quod euenit anno vigesimo Artaxerxis Longimani, vt disertissimè tradidit Beda lib. de reparatione cap. 7. cuius verba præstat hic apponere. Esdra narrāte, didicimus, quod Nehemias, cum esset pyncerna regis Artaxerxis, vigesimo anno regni eius mense Nisan impetrauerit ab eo restaurari muros Hierusalem, Templo multo ante, Cyro permittente, constructo, ipsum quoque opus, vt dictum est, in angustia temporis perfecerit, adeò scilicet à finitimis gentibus impugnatus, vt structores singuli gladio renes accincti, vna manu pugnasse, altera murum recuperasse narrentur. Ab hoc ergo tempore, vsq; ad Christum ducem, hebdomadas septuaginta computa. Hæc Beda.

Initium hebdomadum.

Cōfirmatio ab auctoritate.

Sed clarissimè id testatur Nehemias lib. 2. cap. 2. enarrans se ab Artaxerxe missum esse ad Vrbem Hierusalem reparandam, atq; in ea reficienda multū elaborasse; quamuis enim, vt patet, ex verbis Nehemiæ, ante ipsum ędificata fuisset Vrbs Sancta, tamen imperfectè fuerat extructa, & adhuc præteritas ostentabat ruinas; Vnde Nehemias à rege missus publica instructus potestate, refecit Hierosolymam, ac ipsam post liminio mœnibus communiuit, portis instruxit, vicis distinxit, plateis auxit, & varijs propugnaculis decorauit. Itaut soli Nehemiæ in sacris litteris hoc magnum, & laudabile opus adscribatur. Missum verò fuisse Nehemiam à Rege Artaxerxe Longimano anno vigesimo sui regni, ipsemet testatur initio cap. 1. lib. 3. & ab hoc tempore ducendum esse arbitror initium hebdomadum, secutus Pererium lib. 10. in Daniel §. Septimā opinionem, pro qua sententia grauissimos affert authores D. Hieron. Chrysost. Theodoret. Dionysium Carthusian. Ioan. Zonar. D. Antonin. Petr. Galatin. locis ab ipso Pererio prænotatis. Atq; hæc de initio hebdomadum dicta sufficiant.

Sententia Authoris, & aliorum de initio hebdomadum.

Superest, vt finem hebdomadum indagemus. Tunc enim perspicuè apparebit, ipsas iam esse præteritas, nihilq; cum fine sæculi habere commune. Propterea sit cōclusio. Septuaginta hebdomadæ suam nactæ sunt exitum, & finem in Aduentu filij Dei, & vltimum complementum in ipsius

Finis septuaginta hebdomadum.

ipsius nece susceperunt. Quæ conclusio, vt clarior illucescat, præmittenda est breuis indicatio de tempore tum Natiuitatis, tum Mortis ipsius Christi.

Quo anno natus Christus. Et quod ortum, si Romanam spectemus chronologiam, ipse natus est anno post Romam conditam septingentesimo quinquagesimo secundo; Roma verò fuit cōdita initio septimæ Olympiadis, vt narrat Dionys. Hallicarnasseus lib. 1. nimirum decimo sexto anno Regis Ezechiæ; Itaq; Christus natus est anno ætatis Augusti sexagesimo secundo, & ipsius Principatus anno quadragesimo secundo, tantum inchoato, computatis annis consulatus, ac triumuiratus, vt testantur Beda lib. de 6. ætat. Mundi, & Euseb. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 5. Siquidem Augusti Principatus intra quinquaginta sex annos continetur, vt ipsius ætas, ac vita intra septuagesimum quintum clauditur annū.

De tempore, quo natus Christus. Si verò Græcam sequimur Chronologiam, patet Christum natum esse in tertio, vel quarto anno centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis, vt Euseb. in chronicis, & Beda lib. præallegato prodiderunt, ducto initio Olympiadum ab octauo anno Regni Achaz, vt communiter à Chronologis statutum est; Etenim, cum Christus baptizatus sit, agens annum quasi trigesimum, idest per tredecim dies inchoatum, vt Pererius, & alij verba D. Lucæ interpretantur, baptizatus, inquam, fuerit anno 15. Tiberij Cæsaris, qui incidit in annum quartum Olympiadis ducentesimæ primæ, & mortuus sit anno quarto Olympiadis ducentesimę secundę, vt mox dicemus, rectè infertur, ipsum natum esse anno tertio Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartę.

Tempus baptismi Christi.

Tempus natiuitatis Christi. Si verò chronologiam Hebraicam excutiamus, asserendum est, Christum natum esse anno post Orbem cōditum quater millesimo vigesimo secundo, vt colligit hunc numerum Pererius lib. 11. in Daniel, quamuis iuxta interpretationem annorum, quem habent septuaginta interpretes in sacrum Genesis librum, & quam secuti sunt multi, & cui Ecclesia in Martyrologio adhæret, ab exordio Mundi ad ortum Christi plusquam quinque millia annorum numerentur, idest, referente Baronio in Martyrologio anno à creatione Mundi, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono.

De ætate, qua mortuus Christus, variæ sententiæ. De morte verò Christi ita licet breuiter adnotare. Christus non est mortuus anno quadragesimo sexto suæ ætatis, vt putarūt aliqui, referēte Aug. lib. 2. de Doctr. Christiana, quod videlicet per tot annos ædificatum est Templū Hierosolymitanum, simulachrum Corporis Christi, vt videtur approbare Irenæus lib. 2. aduersus hæreses. Similiter falsum est, ipsum mortuum esse anno suæ ætatis trigesimo, vt senseturt Lactantius lib. 4. cap. 10. Clem Alex. lib. 1. Strommatum, & Tertullian. lib. aduersus Iudæos. Neq; perijt anno vno, & trigesimo, vt arbitratus est Apollinaris Laodicenus Episc. tradente D. Hieronym. in cap. 9. Danielis; neq; perijt anno trigesimo quarto suæ ætatis, vt placuit Bedæ lib. de rat. temp. cap. 45. Sed verior, & communior sententia est, ipsum mortuum esse, expleto trigesimo secundo anno, & paulò plus tribus mensibus. Itaq; mortuus est trigesimo tertio anno, non completo, sed inchoato, vt disertissimè probat Pererius lib. 3. in Daniel. Perstringamus igitur breuiter, & statuamus, Christum Dominum natum esse anno quarto Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, & mortuum esse anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis, quod spatium temporis nō continet plus, quam triginta tres annos inchoatos, & de hac Olympiade, in quam incidit mors Christi probatissimi testantur Authores, & præsertim Euseb. in chronicis, referens, eâdem Olympiade contigisse mirabilem illā Solis Eclypsim, quam, moriente Domino, accidisse Sacris Litteris proditum est.

Verior sententia de ætate, qua mortuus Christus.

Corollariū.

Eclypsis Solis quando contigit.

Dies mortis Christi. Præterea Christus mortuus est decima quinta Luna primi mensis, vt constat ex Euangelio, & feria 6. seu die Veneris, quia inquit D. Marc. cap. 15. dies mortis Christi fuit Parasceues ante Sabbatum. Et notandum est, quod decima quinta Luna primi mensis in feria 6. non incidit nisi in anno trigesimo tertio ætatis Christi; Nam in anno 31. Luna decima quinta primi mensis incidit in diem 27. Martij, & in diem Martis. In anno 32. eadem Luna incidit in 15. Aprilis, & in diem Martis. In anno 34. incidit in 23. Martij, & in diem Mercurij. In anno 35. incidit in diem 11. Aprilis, & in diem Lunæ. In anno verò 33. incidit in 3. diem Aprilis, & in

Variatio decimæ quintæ Lunæ.

in feriam sextam. Vide Peretium lib. 11. in Danielem.

Sententia Tertulliã. de die passionis Chri sti, & aliorum.

Non me latet sententiarum diversitas de die Passionis Christi. Tertullian. lib. aduersus Iudæos putauit sanctissimum illum diem fuisse 25. Martij his verbis; Quę Passio hu us exterminij intra tempora septuaginta hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Consulib. Rubelio Gemino, & Rufo Gemino mense Martio, temporibus Paschæ, die octauo Calendarum Aprilis, die primo Azymorum, quo, vt occiderent agnum ad vesperã, à Moyse fuit præceptum. S. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 5 idem confirmat, ita loquens; Octauo enim Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus. Adstipulatur Chrysostomus Homil. de Nat. Io. Bapt. Cyrillus ep. ad Synod. Carthaginen. eodem die, quo Christus conceptus est in vtero, mortuus est in Cruce; Et hanc eandem opinionem secuti sunt Beda, & Alb. Magnus, & cum hæc ab Ecclesia recepta sit, & diutissimo tẽpore obseruata, tamquam verissimam amplectimur; quamuis iuxta calculum Iudæorum affirmandum est, Christum mortuum esse in decima quinta Luna Martij, quæ in eo millesimo fuit in die 6. Aprilis, & die Lunæ, vt apparet ab Aureo Numero illius anni, qui fuit 17. & ab Epacta, quæ fuit num. 7. vt eruditissimè ostendit Iacobus Mazzonius lib. 1. in Danthem cap. 17. quamuis huic opinioni non sit assentiendum, tamquam aduersanti communi Sactorum Doctorum placito, antiquæ traditioni, & Sacræ Ecclesiæ consuetudini; Quæ mortem Christi nõ in die Lunę, vt arbitratur Mazzonius, sed in feria 6. vel die Veneris luctuosissima pompâ commemorat, & veneratur.

Sententia Eccles. de die eiusdẽ passionis.

Sententia Iudæorum.

Tempus hebdomadum Danielis.

His præhabitis, ad rem nostram propius accedentes, asserimus, quod à vigesimo anno Artaxerxis Longimani, ita appellati, quia manum altera longiorem habebat, & qui annus fuit 4. octogesimæ tertiæ Olympiadis, vsq; ad mortem Christi, quæ successit 4. anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, intercesserunt illæ Olympiades, quæ constituunt annos quadringentos nonaginta, contentos in hebdomadibus Danielis; & propterea mors Christi non est accipięda pro morte Hyrcani, vt infrà latius adnotabo, quam scripsit Iosephus contigisse in Olympiade centesima octogesima septima, nam ab anno vigesimo Longimani, vsque ad mortem Hyrcani fluxerunt anni quadringẽti sexdecim, non quadringenti nonaginta, quales præterierunt ab anno vigesimo Longimani ad necem ipsius Christi Domini; Itaque firmissimè statuendum est, hebdomadas Danielis completas esse in Passione Christi Domini, vt inter cæteros tradiderunt Petrus Galat. lib. 4. cap. 17. Nicolaus de Lyra in cap. 9. Daniel Vatablus, & alij.

Hebdomadæ Danielis completæ Passione Christi.

Verum ex dictis oritur dubitatio non contemnenda; nam si septuaginta hebdomades computandæ sunt ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani vsq; ad mortem Christi, sequ tur, quod inter initium hebdomadum, & ipsarum finem fluxerunt anni Solares non 490. quales, vt dixi, continẽtur in septuaginta hebdomadibus, sed anni 475. vt ex vera constabit supputatione; ergo hebdomades 13. annis citius sunt inchoandæ, idest nõ à vigesimo, sed à septimo anno Artaxerxis; Quod tamen aduersatur scripturæ asserenti lib. 5. Esdræ cap. 2. mandatum fuisse Nehemiæ ædificandæ Hierusalem anno vigesimo Artaxerxis Longimani. Nunc dubitationis nodum vidit P. Cornelius à Lapide in cap. 9. Daniel, eumque dissoluendum esse putauit, si vigesimus annus imperij Artaxerxis referatur ad imperium, quod simul cum Patre Xerxe tractauit; Etenim, cum Xerxes in Græciam ingentibus militum copijs expeditionem fecisset, in partem Regni assumpsit Artaxerxem filium, qui absente patre, regni habenas moderaretur. Itaq; putat hic Author annum vigesimum Longimani ab Esdra commemoratum, esse septimum ipsius Longimani, quo post patrem regnare cępit; Propterea P. Cornelius exordiũ hebdomadum computãdo ab anno septimo Artaxerxis, hebdomadum finem redigit in annos 3. post Christi mortem. Non displicet mihi hæc sententia, quamuis ipsi consensum non præbeam in ea parte, qua finem hebdomadum extendit vltra tempus mortis Christi Domini, quam esse hebdomadum finem ex ipso Danielis oraculo fit perspicuum. Et esto quod per 3. annos vltra Christi necem hebdomades excurrãt, dicendum est hoc parui esse momẽti, quando tam exiguus annorum numerus exce-

Obiectio contra tempus statutũ hebdomadis Danielis.

Solutio obiectionis e Cornelio à Lapide.

Solutio obiectionis ex parte non displicet Auctori.

Impugnationis ex parte eiusdem obiectionis.

docuit, & per eum litteris consignatum Ecclesiæ tradidit; Quam difficultatem indicauit etiam S. Hieronymus in Comment. 9. cap. Danielis; Quare deberem ego ab hac Disputatione supersedere, insistens vestigijs D. Augustini, qui lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 34. ab hac tractatione quasi declinauit, quia in ipsa eas reperit difficultates, quæ haud facilè poterant expediri. Atque, vt verum fatear, tanta est in hac Quæstione sententiarum varietas, tanta temporum, iuxta multiplicem chronologiam diuersitas, vt quid certi, quid explorati in hac Quæstione sit, arduum potius est constituere. Quædam igitur dumtaxat potiora perstringam, & ad soluendum propositæ difficultatis nodum magis accommodata.

Difficilis tum expositio septuaginta hebdomadum Danielis.

Nobilissimum, vt hinc exordiar, omnium linguis celebratum, est Danielis vaticinium cap. 9. Daniel. expressum. Quod edocuit Danielem Gabriel Angelus in vno, idest in primo anno Darij Medi, postquam Chaldæorum imperium suscepit; Causa autem visionis fuit, quod cum Daniel ex Hieremiæ vaticinio accepisset, iam instare, & appropinquare finem septuaginta annorum, quibus populus Hebræus Babylonica captiuitate detinebatur, Daniel ardentes Deo fudit preces, vt oracula Vatum in beneficium Hebraicæ gentis impleret. Igitur, dum Gabriel erudiebat Danielem de Hierusalem instauranda, & sua gente liberanda, monuit etiam, quod antequam præterirent septuaginta hebdomades, venturus erat Messias toto sæculis expectatus, qui cum bona omnia Hebraicæ genti allaturus esset, ipsa tamen eũ non erat receptura, sed morte crudeli necatura; Propter quod scelus prædixit Angelus Hebræos Regno, ac Sacerdotio in omne tempus priuatum iri, & Vrbem Hierusalem euertendam esse. Hęc est summa Oraculi Danielis, cuius verba præstat hic apponere, quia sæpè in hac tractatione ad ipsarum intelligentiam cõfugiemus. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt, super populum tuum, & super Vrbem sanctã tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, vsq; ad Christum Ducem hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt, & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum. Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus, & non erit eius populus, qui eum negaturus est, & Ciuitatem, & Sanctuarium dissipabit populus, cum Duce venturo, & finis eius vastitas, & post finem belli, statuta desolatio. Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium, & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Hæc sunt Danielis verba cap. 9.

Tempus, & causa vaticinij, quod Angelus Danielē edocuit.

Verba vaticinij.

Ratio verò, propter quam Angelus alloquens Danielem de liberatione captiuitatis Babylonicæ, ingerat mentionem de aduentu Messiæ, est quia captiuitas illa Hebræorum præseferebat imaginem captiuitatis generis humani sub Satana, & peccato, & similiter libertas, quam consecuturus erat populus Hebræus, repræsentabat eam libertatem, in quã Verbum humanum suo aduentu passione, ac morte humanũ genus vindicaturus erat; Quæ annotauit Rupertus in Daniel. cap. 17. Quæritur igitur, an hoc vaticinium Danielis extẽdatur ad postrema Mundi tempora, & an septuaginta hebdomades cõplectantur tẽpus, quo duraturus est Mundus; Ita vt exactis septuaginta septimanis ab Angelo enunciatis, hæc rerum vniuersitas terminetur; Et quamquam in præhabita oraculi narratione liber, vaticinium non protendi vltra desolationem Hierusalem, attamen aliqua sunt non dissimulanda argumenta, quæ suadere videntur septuaginta Danielis hebdomadas vniuersam Mundi ætatem prædefinire, ac præsignare. Ideò in his argumentis excutiendis, & dijudicandis nostra immorabitur tractatio, vt ipsis accuratè examinatis, statuatur, septuaginta hebdomadas nullam de tempore Mundani excidij suppetere cognitionem.

Punctum quæstionis.

Intentio Authoris.

Primum argumentum petitum est ab interpretatione Origenis, qui tract. 29. in Matth. de his hebdomadibus sermonem habens, eas exponit non dierum, nec annorum, sed decenniorum, ita vt vnaquæque hebdomada constet septuaginta an-

Sententia Origenis circa septuaginta hebdomadas Danielis.

nis,

nis, & tempus septuaginta hebdomadum contineat quattuor millia, & nongentes annos; Quem opinionem, saltem ex parte, adamauit Eusebius lib. 8. de Demonstr. Euang.

Aliorum sententia. Aliqui interpretati sunt has hebdomadas pro annis Iubilæorum, quod tempus erat quinquaginta annorum; Quare vnaquæq; hebdomada Iubilæorum constat trecentis quinquaginta annis, & omnes septuaginta hebdomades comprehēdunt vigintiquattuor millia, & quingentos annos.

Alij verò arbitrati sunt, has hebdomadas esse centenariorum, itaut vnaquæq; hebdomada contineat septingentos annos, septuaginta verò hebdomades comprehendant annos quadraginta nouem millia. De hac vtraq; opinione mentionem facit Nicolaus de Lyra super 9. cap. Danielis, & Petrus Galatinus lib. 4. de arcan. Cathol. verit.

Corollariū ex varijs sententijs circa septuaginta hebdomades. Ex hac igitur diuersa hebdomadum interpretatione, nempè, quod ipsę vel contineant quattuor millia, & nongentos annos, vel vigintiquattuor millia, & quingentos annos, vel annos quadraginta nouem millia, depromitur satis validum argumentum, quod cum nondum expletæ sint hebdomades, ipsarum vltimum tempus postremam Mundi ætatem complectatur. Quare, cum in temporum diuersitate, iuxta præhabitam diuersam interpretationem, ipsæ hebdomades complendæ sint, patet diuersam etiam superesse temporis mensuram ad complendam vniuersam Mundi ætatem, & vniuersum suo fine claudendum.

Sententia Hippolyti Martyris. Secundum argumentum desumitur à testimonio Hippolyti martyris, qui, referente D. Hieronymo, super 9. cap. Daniel. exorsus est septuaginta hebdomadas ante solutionem Babylonicæ Iudæorum captiuitatis, & terminauit sexaginta nouem hebdomadas in Christi natiuitatem, at vltimam hebdomadā retulit ad finem Mundi, eamq; diuisit in prædicationem Enoch, & Eliæ, & in regnum Antichristi.

Sententia relata à D. Augustino. Similem opinionem refert Augustinus in Ep. 80. ad Hesychium, nimirum fuisse quosdam, qui duplices fecerunt septuaginta hebdomadas; Priores dixerūt completas esse in primo Christi Aduentu, posteriores verò in secundo Christi Aduentu, & in consummatione sæculi esse complendas. Itaq; tum ex horum, tum ex Hippolyti martyris sententia, liquet vel totas hebdomadas, vel saltem partem ipsarum ad posteriora Mundi sæcula extendi, adeout ipsarum tempus, vel ex toto, vel ex parte sæculi cōsummationem comprehendat, & indicet.

Corollariū ex sententijs proximis circa septuaginta hebdomades.

Sententia erecta ex sacra scriptura circa septuaginta hebdomades. Tertium argumentum, quod prædicta videtur firmitate antecellere, colligitur ex verbis D. Matth. cap. 24. quo locô Christus Dominus adeò perspicuè loquitur de sæculi consummatione, vt nullus dubitādi locus relinquatur. Verba autem, quæ negotium facessunt, hæc sunt. Cum ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat &c. Quibus verbis, scilicet Abominatione desolationis, indicatur mundanum excidium, & consonant verba hæc cum sermone Danielis cap. 9. & erit in templo abominatio desolationis, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Propterea eadem verba à Domino Christo prolata, referunt ad finem Mundi Irenæus lib. 5. cap. 25. Hilarius, & Auctor Imperfecti eo loco, quam opinionem Hieronymus, & Beda, & si non omninò amplectuntur, improbare certè non audent. Et sanè quod verba, & Danielis, & Saluatoris nostri exprimentia abominationem desolationis exponenda sint de Antichristo, & de Mundi cōsummatione, inde satis patet, quod tyrānicum imperiū Antichristi, propter infinita eius scelera planè abominanda, & execranda, iure meritò abominatio appellatur. Et quoniam ipsius tyrannica potestas sæuissima erit contra omnes Christi cultores, & excitata persecutione, maxima clade ipsos afficiet, templaq; prophanabit, ac desolabit, desolatio nuncupatur. Verum post tribulationem dierum illorū, inquit Christus Dominus, præallegato Matth. loco, Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & Stellæ cadent de Cælo, & virtutes Cęlorum commouebūtur, explicatur per hæc verba illa desolatio, de qua loquitur ipsemet Daniel, cum habet, & vsque ad consummationem, & finem perseuerabit desolatio. Quamobrem, cum Christus referat sermonem de fine Mundi ad oraculum Danielis, traditum in 9. cap.

in quo commemorantur septuaginta hebdomades, eaq; recensentur, quæ intra spatium ipsarum hebdomadum sunt perficienda, haud leuis prætexitur ratio, qua probatur, septuaginta hebdomadas tempus non solum Hierosolymitanæ desolationis, sed totius Mundani excidij continere. Hæc sunt validiora pro hac sententia propugnacula, quæ à nobis sunt expugnanda, & euertenda.

Corollariũ ex proxima sententia.

Et primò notandum est, vocabulum hebdomadæ in Sacra Scriptura non adhiberi, nisi pro septenario dierum, vel annorum; & cum hebdomades Danielis nequaquam accipi possint pro septuaginta diebus, quoniam illa, quæ à Gabriele Angelo indicantur, non euenerunt intra spatium septuaginta dierum, haud dubiè sumendæ sunt pro septenario annorum. At quamnam summam annorum reddant hi septenarij, non est facilè dijudicare; Controuersia enim est inter grauissimos Authores, an Gabriel locutus sit de annis Lunaribus, vel Solaribus. Et quidem quod in his hebdomadis anni sint accipiendi Solares, ea potissimum ratio suadere videtur, quod exploratum est Hebræorum menses fuisse Lunares; hoc est, lunationes, annumq; duodecim mensibus constasse; Annus autem Lunaris continens dies trecentos quinquaginta quattuor, & est vndecim diebus minor Solari; Quocirca quadringēti nonaginta anni Lunares, qui continentur in septuaginta hebdomadis, sunt anni Solares quadringēti septuaginta quinque. Quare cum Angelus alloquatur Danielem Hebræum, congruum videtur, ipsum vsum fuisse computatione annorum Lunarium Hebræis vsitata; Et hoc ipsum confirmant verba illa Gabrielis. Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super Vrbem Sanctam tuam; Etenim si hebdomades annis Solaribus constarent, longius tempus denotarent; Quoniam verò annis Lunaribus componuntur, ab Angelo abbreuiatæ dicuntur. Hæc opinio approbata fuit à Iulio Aphricano lib. 5. de tempor. apud Eusebium lib. 2. demonst. Euang. cap. 2. & apud Hieron. in cap. 9. Danielis; à Theodoret. in idem cap. à Ruperto super Daniel. cap. 16. & tandem probabilem æstimat hanc opinionem Pererius lib. 10. in Daniel. Nihilominus ego adhæreo sententiæ Lyrani in cap. 9. Daniel. Galatini lib. 5. de arcan. Cathol. verit. asserentium, has hebdomadas annis Solaribus componi. Etenim, quamuis Hebræi vterentur mensibus Lunaribus, è quibus anni Lunares existunt, illos tamen redigebant ad rationem, & mensuram cursus Solis, atq; annos Lunares cum Solaribus adæquatos in chronologiam inserebant. Etenim tertio quoq; anno, & interdum secundo, quando vsus postulat, vt annus Lunaris Solari prorsus æqualis reddatur, Hebræi vnum mensem Lunarem, quem embolismum vocant, intercalant, illumq; annum tredecim Lunarium mensium constituunt, atq; ita æquatis annis Lunaribus ad Solares, vbi in Sacra Scriptura agitur de annis, intelligendum est de annis Solaribus, alioquin multa absurda sequerentur; Nam cum in Scriptura traditur, Adam vixisse nonagentos triginta annos, Hebræos quadringentos triginta annos peregrinatos esse in Ægypto; vel ab egressu Hebræorum ex Ægypto, vsq; ad Templi Salomonis ædificationem fluxisse octoginta, & quadringentos annos, certè non essent accipiendi tot anni, quot exprimuntur, sed longè pauciores, videlicet anni Lunares, atq; ita vniuersa Sacræ Chronologiæ ratio nutaret, & prorsus incerta, & obscura redderetur.

Signific atio nominis hebdomadæ.

Qui annus Lunaris, qui Solaris.

Varia sententia circa hebdomades Danielis an componantur annis Lunaribus an Solaribus.

Sententia, quam Auctor sequitur.

Quid sibi velit hoc nomen, annus, in Sacra Scriptura.

Neq; verba prænotata (Abbreuiatæ sunt super populum tuum) indicant abbreuiationem annorum, eò quod anni Lunares sint accipiendi, vel quod dies earum hebdomadarum, vel omnes, vel aliqui breuiori cursu peragendi essent, quam dies naturales, qui viginti quattuor horis constantur, quemadmodum perperam aliqui exposuerunt verba Domini, Matth. 24. asserentis persecutionis Antichristi dies propter electos abbreuiandos esse, scilicet breuiores fore singulos dies viginti quattuor horis, vt refert D. Augustinus ep. 80. ad Hesychium; Nam in Sacra Scriptura non constat dies, vel abbreuiatos esse, vel longiores esse factos, nisi tempore Iosue, ac Regis Ezechiæ, quando longior factus est dies viginti quattuór horis, sed nihil diminutionis in septuaginta hebdomadibus factum fuisse, & ne vnum quidem diem minorem die naturali deprehensum esse, non est prorsus dubitandum, cum nullum de hac re habeatur

Solutio obiectionis, & explicatio argumenti.

argu-

argumentum ex Sacra Scriptura; Etenim quemadmodũ legimus in lib. Genes. cap. 6. Deum primò decreuisse hominibus ad pænitentiam agendam centum vigiori annos, vsque ad Diluuium, postea recisis viginti annis, id temporis breuiasse; ita si aliqua dierum, vel annorum decurtatio facta fuisset in septuaginta hebdomadibus, aliquod, de hac re indicium ex Sacris paginis haberetur. Cum igitur hebdomades nullo modo factę sint breuiores, nec secundum dies, nec secundum annos, remanet interpretari abbreuiationem ipsarum, respectu temporis, quo venturus erat Messia, qui cum ab exordio Mundi semper per multa sæcula, & myriadas annorum indicatus esset, Gabriel alloquens Danielem, pollicetur, quod post refectionem futuram Vrbis Hierusalem, septuaginta tantum annorum hebdomadæ ad Messiam decurrendæ erant. Quare idem est abbreuiare hebdomades, quod paucas constituere, comparatas ad priora tempora, quę effluxerant, quibus data fuere promissa generi humano de Christi Aduentu, & pręsertim cum Deus promisit Abrahę in eius semine omnes gentes benedicendas esse. Hac eadem significatione verborũ vsus est Christus Dominus Matth. cap. 24. Nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro, verumtamen breuiabuntur dies illi propter electos; Quorum verborum sensus est, dies, quibus Antichristus persequetur Christianos, paucos futuros, iuxta oraculum Danielis, & D. Io. Tempus tempora, & dimidium temporis, nimirum Antichristum tyrannicè imperaturum esse tribus annis cum dimidio, quasi diceret Christus Dominus, ni breue futurum esset tempus illius persecutionis, etiam electi animum despondèrent, & deficerent.

Quid sit abbreuiare hebdomadas.

Confirmatio.

Corollariũ. Ex his igitur liquet, hebdomadas annis Solaribus, non Lunaribus constare, & iam dubitationi circa verba, Abbreuiatæ sunt, satis occurritur. Atq; ita exploratum sit, septuaginta hebdomades cõtinere annos Solares quadringentos nonaginta.

Sententia Scaligeri, & Pererij. Non me præterit, Scaligerum lib 6. de Emendat. temporum existimasse partitionem hebdomadum apud Danielem hanc esse. Dimidia, vna, septem, sexagintaduæ septimanæ; Sunt igitur anni ex ipsius calculo 493 ½. Ista dimidia septimana, inquit ipse, excurrens supra summã septuaginta, omnium tam veterum, quam recentiorum oculatissimam vigilantiam effugit. Atq; hoc idem sensit Pererius 3. par. Disput. de septuaginta hebdomadis, S. Postremo: & putat re vera non fuisse septuaginta hebdomades præcisè, sed septuaginta, & dimidiam, nec annos tantum quadringentos nonaginta, sed quadringentos nonaginta tres. Cur autem Angelus septuaginta tantum hebdomadas nominauerit, prætermisso minuto, & imperfecto numero dimidiæ hebdomadis, contendit Pererius demonstrare id vsu Sacræ Scripturæ factum esse, in qua mos inoleuit minutos numeros in magna aliqua summa omittere; Hinc putat, hebdomadas terminatas esse, non in passione Domini Nostri, sed in quarto anno post ipsius passionem, & mortem. Radix, ex qua hoc Scaligeri, & Pererij erratum germinauit, est praua intelligentia verborum Gabrielis in hoc vaticinio, quæ sic traduntur. Confirmauit autem pactum multis hebdomada vna, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium; Itaq; Authores prædicti calculo construerunt hebdomadas septem, & sexaginta duas, & vnam hebdomadam, quæ constituunt numerum septuaginta hebdomadum, & deinde mediam hebdomadam considerarunt, in qua dictum est, defecturam esse Hostiam, & Sacrificium. Sed hallucinati sunt in expositione verbi, In dimidia; nam sensus est, quod vltima septimana diuidenda est in duas partes, seu medietates, quarum vtraq; tribus annis, & dimidio constat; In prima parte septimanæ Christus baptizatus est, post quem baptismum defecit Hostia, & Sacrificium, idest defecerunt legalia, non quoad vsum, sed quoad argumentum ipsa esse defectura, & in ea parte hebdomadis Christus prædicauit, & miracula fecit. In secunda verò parte hebdomadis mortuus est. Itaq; dimidium hebdomadę nõ significat tres annos cum dimidio, quæ est medietas talis hebdomadis à Daniele significatæ, sed refert vnam medietatem, & quidem posteriorem eiusdem hebdomadæ, in qua Christus mortuus est, & in qua verè, & propriè dicitur defecisse Hostia, & Sacrificium, quia per mortem Christi Mosayci ritus, & legalia suas amiserunt vires. Quare illud verbum, In dimidio

Fundamentum Pererij.

Radix erroris Scaligeri, & Pererij.

Confutatio huiusmodi erroris, & difficultatis enodatio.

Corollarii.

medio hebdomadis, habet relationem ad primam dimidiam partem vltimæ hebdomadis, in qua Christus baptizatus est, prędicauit suam fidem, & ipsam miraculis illustrauit.

Transitio. His explicatis, ad perfectã intelligentiam harum hebdomadum, superest, vt de ipsarum initio, ac fine disputemus; Quemadmodum enim in capiendo initio harum hebdomadum est totum opere pretium, ita opera Iudæus in eius ignoratione.

SECTIO SECVNDA.

Varia sententia de initio, & fine hebdomadum.

Indicantur diuersæ sententiæ de initio, & fine hebdomadum, & breuiter refelluntur, receptâ illâ, quæ hebdomadas auspicatur à vigesimo anno Darij Longimani Persarum Regis, easque complet in morte Christi Domini; Ex quo infertur, hebdomadas iamdiu absolutas nihil ad sæculi consummationem conferre.

Initium hebdomadum. Verba Gabrielis, quæ sunt Scito ergo, & animaduerte ab exitu sermonis, vt iterum ædificetur Hierusalem, indicant exordium hebdomadum capiendum esse ab exitu sermonis de reficienda Hierusalem; Qui sermo significare potest, vel promissum aliquod Dei, de ædificanda Hierusalem, vel edictum alicuius Regis. Et sanè non est spectandum promissum factum à Domino per Isaiam cap. 45. scilicet, Deum per Cyrum Regem iugum seruitutis ablaturum Iudæis; nam à tempore illius promissi, quo Iudæi soluendi à seruitute, restauraturi erant Templum, vsq; ad finem hebdomadum, quæ terminarunt in morte Christi, vt infrà demonstrabitur, fluxerunt non septuaginta hebdomades, sed quattuordecim, & centum, idest anni circiter octingenti. Addo, quod si initium hebdomadum ducatur, non à promissione prædicta, adimplenda per Cyrum, sed à primo, vel secundo Cyri regnantis anno, exploratum est, ipsum regnare cępisse Olympiade quinquagesima quinta, & Christi mortem incidisse in Olympiadem ducentesimam secundam, cum eius ortus incurrat in Olympiadem centesimam nonagesimam quartam. Quare inter ipsas Olympiadas Cyri, & Olympiadas mortis Christi intercedunt centum quadraginta septem Olympiades, idest anni quingenti octuaginta nouem circiter. Vnde miror Maluendam lib. 2. de Antichristo cap. 25. ipsum esse in hoc erratum, quod initium hebdomadum petendum sit à Cyri regno. Prætermitto, quod Cyrus, vt proditum est

Finis hebdomadum.

Olympias.

Error Maluendæ.

in vltimis verbis posterioris libri Paralipomenon, tradidit potestatem Hebræis ædificandi Templum, non Vrbem, vt patet etiam ex ipsius edicto memorato in 5. & 6. cap. Esdræ; Et tamen ab ædificatione Hierusalem, & non Templi asserit Angelus inchoandas esse hebdomadas.

Neq; licet ipsas auspicari ab edicto Darij Hystaspis, qui fuit quartus Persarum Rex, quo regnante, concessa fuit ædificatio Templi, Iudæis ad id temporis, vsq; à Cyro intermissa; nam hæc opinio Eusebij, Cyrilli, Iansenij, & aliorum, eadem vrgetur difficultate, qua supradicta de Cyro sententia; scilicet à Dario Hystaspe fuisse quidem traditam facultatem Hebræis reparandi Templum, sed non Vrbem; cuius rei fidem facit Seuerus Sulpicius lib. 2. Sacr. Hist. his verbis. Sexto anno, quo Darius regnare cęperat, consummatum est templum, idq; satis Iudæis visum est, quia magnæ molis erat Vrbem restituere, diffisi viribus, opus multi laboris incipere non ausi, Tẽplo contentabantur; Ex quibus verbis patet, regnãte Dario Hystaspe, cõditam non esse Vrbem Hierosolymam, seu reparatam, sed Templum dumtaxat instauratum, & nihilominus Angelus affirmat, ab ædificatione Hierusalem hebdomadas incipiendas esse. *Reijcitur opinio de fine hebdomadum.*

Hunc verò Darium non fuisse Darium Hystaspem, vt ego arbitror, quartum Regem Persarum, sed Darium nothum, ita appellatum, quod ex pellice genitus erat, putant Sulpicius loco cit. & Scaliger lib. 6. de Emendar. temp. Sed qualis fuerit ille Darius, patet sub vtroque Dario, vel Hy- *Difficultas circa historiam.*

Hystaspe, vel notho Templum ædificatum non esse. Nam si constituatur ædificatio Templi, quæ est principium hebdomadum, sub Dario Hystaspe, cadet ipsa in Olympiadem sexagesimam quintam, à qua vsq; ad finem hebdomadum, quæ est vel in Olympiade ducentesima secunda, vt ego interpretor, vel in ducentesima tertia, vt arbitratur Pererius, præterierunt anni plures quinquaginta super quingentos, qui certè excedunt annos in hebdomadis contentos.

Sententia Sulpicij, & Scaligeri reycitur.

Neq; à Dario notho incipiendæ sunt hebdomadæ, vt arbitratus est Sulpicius, quem secutus est Scaliger; Hic enim Rex fuit decimus Persarum, Artaxerxis Longimani filius, sub quo non est ædificatum Templum, vt falsò arbitrati sunt Sulpicius, & Scaliger, quia Christo dixerunt Iudæi apud Io. cap. 2. Quadraginta, & sex annis ædificatum est Templum, & tu in tribus diebus excitabis illud? Verum si talis ædificatio facta fuit sub Dario notho, apparet quod à secundo anno Cyri, quo Templum ædificari cœptum est, vsq; ad Darium nothum fluxerunt anni quadraginta & centum; Igitur dictum Iudæorum à vero aberrasset, & tamē supponendum est ipsos in eorum verborum prolatione habuisse verā cognitionem de tempore insumpto in ædificādo Templo. Cęterum si tempus instaurandi Templum referatur ad Darium Hystaspem, planè constabit, quod à tempore Darij, quo ædificari cœptum est Templum, vsq; ad nonum Darij Hystaspis annum, quo, referente Iosepho, absolutum est Templum, prætererunt anni 46. Nam Darius Hystaspes regnauit quarto anno sexagesimæ quartę Olympiadis, ex Hieron. in cap 9. Daniel. Quare ab initio regni Cyri, qui regnauit exordio quinquagesimę quintę Olympiadis, & imperauit triginta annis, ad principium regni Darj Hystaspis inter fuerunt anni triginta octo. Quare initio noni anni eius regni, in quo, vt diximus, completum est templum, decurrunt anni 46. quibus Iudæi dixerunt Christo, Templum esse ædificatum. Vnde clarissimè liquet error & Sulpitij, & Scaligeri.

Sed initium hebdomadum non est ducendum, neq; à Cyro, neq; à Dario, vel Hystaspe, vel notho, quia isti non fecerunt edictum de ædificanda Vrbe, sed Templo, cum Angelus affirmet inchoandas esse hebdomadas à sermone facto, idest ab edicto, vel præcepto tradito de ædificanda Vrbe; quod euenit anno vigesimo Artaxerxis Longimani, vt disertissimè tradidit Beda lib. de tēperatione cap. 7. cuius verba præstat hic apponere. Esdra narrātē, didicimus, quod Nehemias, cum esset pyncerna regis Artaxerxis, vigesimo anno regni eius mense Nisan impetrauerit ab eo restaurari muros Hierusalem, Templo multo ante, Cyro permittente, constructo, ipsum quoque opus, vt dictum est, in angustia temporis perfecerit, adeò scilicet à finitimis gentibus impugnatus, vt structores singuli gladio renes accincti, vna manu pugnasse, altera murum recuperasse narrentur. Ab hoc ergo tempore, vsq; ad Christum ducem, hebdomadas septuaginta computa. Hæc Beda. Sed clarissimè id testatur Nehemias lib. 2. cap. 2. enarrans se ab Artaxerxe missum esse ad Vrbem Hierusalem reparandam, atq; in ea reficienda multū elaborasse; quamuis enim, vt patet, ex verbis Nehemiæ, ante ipsum ędificata fuisset Vrbs Sancta, tamen imperfectè fuerat extructa, & adhuc præteritas ostentabat ruinas; Vnde Nehemias à rege missus publica instructus potestate, refecit Hierosolymam, ac ipsam post liminio manibus communiuit, portis instruxit, vicis distinxit, plateis auxit, & varijs propugnaculis decorauit. Itaur soli Nehemiæ in sacris literis hoc magnum, & laudabile opus adscribatur. Missum verò fuisse Nehemiam à Rege Artaxerxe Longimano anno vigesimo sui regni, ipsemet testatur initio cap. 1. lib. 3. & ab hoc tempore ducendum esse arbitror initium hebdomadum, secutus Pererium lib. 10. in Daniel §. Septimā opinionem, pro qua sententia grauissimos offert authores D. Hieron. Chrysost. Theodoret. Dionysium Carthusian. Ioan. Zonar. D. Antonin. Petr. Galatin. locis ab ipso Pererio prænotatis. Atq; hæc de initio hebdomadum dicta sufficiant.

Initium hebdomadum.

Cōfirmatio ab authoritate.

Sententia Authoris, & aliorum de initio hebdomadum.

Superest, vt finem hebdomadum indagemus. Tunc enim perspicuè apparebit, ipsas iam esse præteritas, nihilq; cum fine sæculi habere commune. Propterea sit cōclusio. Septuaginta hebdomadæ suum nactæ sunt exitum, & finem in Aduentu filij Dei, & vltimum complementum in

Finis septuaginta hebdomadum.

ipsius

ipsius nece susceperunt. Quæ conclusio, vt clarior illucescat, præmittenda est breuis indicatio de tempore tum Natiuitatis, tum Mortis ipsius Christi.

Quo anno natus Christus. Et quod ortum, si Romanam spectemus chronologiam, ipse natus est anno post Romam conditam septingentesimo quinquagesimo secundo; Roma verò fuit cōdita initio septimæ Olympiadis, vt testatur Dionys. Hallicarnasseus lib. 1. nimirum decimo sexto anno Regis Ezechiæ; Itaq; Christus natus est anno ætatis Augusti sexagesimo secundo, & ipsius Principatus anno quadragesimo secundo, tantum inchoato, computatis annis consulatus, ac triumuiratus, vt testantur Beda lib. de 6. ætat. Mundi, & Euseb. lib. 1. Hist. Eccles. cap. 5. Siquidem Augusti Principatus intra quinquaginta sex annos continetur, vt ipsius ætas, ac vita intra septuagesimum quintum clauditur annū.

De tempore, quo natus Christus. Si verò Græcam sequimur Chronologiam, patet Christum natum esse in tertio, vel quarto anno centesimæ nonagesimæ quartæ Olympiadis, vt Euseb. in chronicis, & Beda lib. præallegato prodiderunt, ducto initio Olympiadum ab octauo anno Regni Achaz, vt communiter à Chronologis statutum est; Etenim, cum Christus baptizatus sit, agens annum quasi trigesimum, idest per tredecim dies inchoatum, vt Pererius, & alij verba D. Lucæ interpretantur, baptizatus, inquam, fuerit anno 15. Tiberij Cæsaris, qui incidit in annum quartum Olympiadis du-

Tempus baptismi Christi. centesimæ primæ, & mortuus sit anno quarto Olympiadis ducentesimę secundę, vt mox dicemus, rectè infertur, ipsum natum esse anno tertio Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartę.

Tempus natiuitatis Christi. Si verò chronologiam Hebraicam excutiamus, asserendum est, Christum natum esse anno post Orbem cōditum quater millesimo vigesimo secundo, vt colligit hunc numerum Pererius lib. 11. in Daniel, quamuis iuxta interpretationem annorum, quem habent septuaginta interpretes in sacrum Genesis librum, & quam secuti sunt multi, & cui Ecclesia in Martyrologio adhæret, ab exordio Mundi ad ortum Christi plusquam quinque millia annorum numerentur, idest, referente Baronio in Martyrologio anno à creatione Mundi, quinquies millesimo centesimo nonagesimo nono.

De ætate, qua mortuus Christus, variæ sententiæ. De morte verò Christi ita licet breuiter adnotare. Christus non est mortuus anno quadragesimo sexto suæ ætatis, vt putarūt aliqui, referēte Aug. lib. 2. de Doctr. Christiana, quod videlicet per tot annos ædificatum est Templū Hierosolymitanum, simulachrum Corporis Christi, vt videtur approbare Irenæus lib. 2. aduersus hæreses. Similiter falsum est, ipsum mortuum esse anno suæ ætatis trigesimo, vt senserunt Lactantius lib. 4. cap. 10. Clem Alex. lib. 1. Strommatum, & Tertullian. lib. aduersus Iudæos. Neq; perijt anno vno, & trigesimo, vt arbitratus est Apollinaris Laodicenus Episc. tradente D. Hieronym. in cap. 9. Danielis; neq; perijt anno trigesimo quarto suæ ætatis, vt placuit Bedæ lib. de rat. temp. cap. 45. Sed verior, &

Verior sententia de ætate, qua mortuus Christus. communior sententia est, ipsum mortuum esse, expleto trigesimo secundo anno, & paulò plus tribus mensibus. Itaq; mortuus est trigesimo tertio anno, non completo, sed inchoato, vt disertissimè probat Pererius lib. 3. in Daniel. Perstringamus igi-

Corollariū. tur breuiter, & statuamus, Christum Dominum natum esse anno quarto Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ, & mortuum esse anno quarto ducentesimæ secundæ Olympiadis, quod spatium temporis nō continet plus, quam triginta tres annos inchoatos, & de hac Olympiade, in quam incidit mors Christi probatissimi testantur Authores, & præsertim Euseb. in

Eclypsis Solis quam eo contigit. chronicis, referens, eādem Olympiade contigisse mirabilem illā Solis Eclypsim, quam, moriente Domino, accidisse Sacris Litteris proditum est.

Dies mortis Christi. Prætetea Christus mortuus est decima quinta Luna primi mensis, vt constat ex Euangelio, & feria 6. seu die Veneris, quia inquit D. Marc. cap. 15. dies mortis

Variatio decimæ quintæ Lunæ. Christi fuit Parasceues ante Sabbatum. Et notandum est, quod decima quinta Luna primi mensis in feria 6. non incidit nisi in anno trigesimo tertio ætatis Christi; Nam in anno 31. Luna decima quinta primi mensis incidit in diem 27. Martij, & in diem Martis. In anno 32. eadem Luna incidit in 15. Aprilis, & in diem Martis. In anno 34. incidit in 23. Martij, & in diem Mercurij. In anno 35. incidit in diem 11. Aprilis, & in diem Lunæ. In anno verò 33. incidit in 3. diem Aprilis, &

in feriam sextam. Vide Pererium lib. 11. in Danielem.

Sententia Tertulliã. de die passionis Christi, & aliorum.

Non me latet sententiarum diuersitas de die Passionis Christi. Tertullian. lib. aduersus Iudæos putauit sanctissimum illum diem fuisse 25. Martij his verbis; Quę Passio hu us exterminij intra tempora septuaginta hebdomadarum perfecta est sub Tiberio Cæsare, Consulib. Rubelio Gemino, & Rofo Gemino mense Martio, temporibus Paschæ, die octauo Calendarum Aprilis, die primo Azymorum, quo, vt occiderent agnum ad vesperã, à Moyse fuit præceptum. S. Aug. lib. 4. de Trinit. cap. 5 idem confirmat, ita loquens; Octauo enim Kal. Aprilis conceptus creditur, quo & passus. Adstipulatur Chrysostomus Homil. de Nat. Io. Bapt. Cyrillus ep. ad Synod. Carthaginen. eodem die, quo Christus conceptus est in vtero, mortuus est in Cruce; Et hanc eandem opinionem secuti sunt Beda, & Alb. Magnus, & cum hæc ab Ecclesia recepta sit, & diuturnissimo tẽpore obseruata, tamquam verissimam amplectimur; quamuis iuxta calculum Iudæorum affirmandum est, Christum mortuum esse in decima quinta Luna Martij, quæ in eo millesimo fuit in die 6. Aprilis, & die Lunæ, vt apparet ab Aureo Numero illius anni, qui fuit 17. & ab Epacta, quæ fuit num. 7. vt eruditissimè ostendit Iacobus Mazzonius lib. 1. in Danthem cap. 17. quamuis huic opinioni non sit assentiendum, tamquam aduersanti communi Sacrorum Doctorum placito, antiquæ traditioni, & Sacræ Ecclesiæ consuetudini; Quæ mortem Christi nõ in die Lunę, vt arbitratur Mazzonius, sed in feria 6. vel die Veneris luctuosissima pompâ commemorat, & veneratur.

Sententia Eccles. de die eiusdẽ passionis.

Sententia Iudæorum.

Tempus hebdomadum Danielis.

His præhabitis, ad rem nostram propius accedentes, asserimus, quod à vigesimo anno Artaxerxis Longimani, ita appellati, quia manum altera longiorem habebat, & qui annus fuit 4. octogesimæ tertiæ Olympiadis, vsq; ad mortem Christi, quæ successit 4. anno ducentesimæ secundæ Olympiadis, intercesserunt illæ Olympiades, quæ constituunt annos quadringentos nonaginta, contentos in hebdomadibus Danielis; & propterea mors Christi non est accipiẽda pro morte Hyrcani, vt infrà latius adnotabo, quam scripsit Iosephus contigisse in Olympiade centesima octogesima septima, nam ab anno vigesimo Longimani, vsque ad mortem Hyrcani fluxerunt anni quadringẽti sexdecim, non quadringenti nonaginta, quales præterierunt ab anno vigesimo Longimani ad necem ipsius Christi Domini; Itaque firmissimè statuendum est, hebdomadas Danielis completas esse in Passione Christi Domini, vt inter cæteros tradiderunt Petrus Galat. lib. 4. cap. 17. Nicolaus de Lyra in cap. 9. Daniel Vatablus, & alij.

Hebdoma. de Danielis completæ Passione Christi.

Verum ex dictis oritur dubitatio non contemnenda; nam si septuaginta hebdomades computandæ sunt ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani vsq; ad mortem Christi, sequitur, quod inter initium hebdomadum, & ipsarum finem fluxerunt anni Solares non 490. quales, vt dixi, continentur in septuaginta hebdomadibus, sed anni 475. vt ex vera constabit supputatione; ergo hebdomades 13. annis citius sunt inchoandæ, idest nõ à vigesimo, sed à septimo anno Artaxerxis; Quod tamen aduersatur scripturæ asserenti lib. 3. Esdræ cap. 2. mandatum fuisse Nehemiæ ædificandæ Hierusalem anno vigesimo Artaxerxis Longimani. Nunc dubitationis nodum vidit P. Cornelius à Lapide in cap. 9. Daniel, eumque dissoluendum esse putauit, si vigesimus annus imperij Artaxerxis referatur ad imperium, quod simul cum Patre Xerxe tractauit; Etenim, cum Xerxes in Græciam ingentibus militum copijs expeditionem fecisset, in partem Regni assumpsit Artaxerxem filium, qui absente patre, regni habenas moderaretur. Itaq; putat hic Author annum vigesimum Longimani ab Esdra commemoratum, esse septimum ipsius Longimani, quo post patrem regnare cępit; Propterea P. Cornelius exordiũ hebdomadum computãdo ab anno septimo Artaxerxis, hebdomadum finem redigit in annos 3. post Christi mortem. Non displicet mihi hæc sententia, quamuis ipsi consensum non præbeam in ea parte, qua finem hebdomadum extendit vltra tempus mortis Christi Domini, quam esse hebdomadum finem ex ipso Danielis oraculo fit perspicuum. Et esto quod per 3. annos vltra Christi necem hebdomades excurrãt, dicendum est hoc parui esse momenti, quando tam exiguus annorum numerus excedens

Obiectio contra tempus statutũ hebdomadis Danielis.

Solutio obiectionis e Cornelio a Lapide.

Solutio obiectionis ex parte non displicet Auctori.

Impugnatio ex parte eiusdem obiectionis.

dens

dens hebdomadum cursum, non sit considerandus, quoniam, vt animaduertit Pererius in exposit. verbi Daniel, & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, de re minima Scriptura non solet facere mentionem. Et si hoc, iuxta expositionem Cornelij, est admittendum, exponenda sunt pariter verba, & in dimidio hebdomadis, pro tribus annis cum dimidio, excedentibus septuaginta hebdomades; Quam interpretationem, quamuis supra reiecerim, & secus prædicta verba sim interpretatus, tamen ipsam prorsus non arbitror improbabilem, cum nullum ex ea sequatur inconueniens. Et fortasse tres anni cum dimidio superexcedentes hebdomadas, indicant prima illa tempora, quibus Apostoli summo animi ardore Christi fidem, & doctrinam disseminarunt; Quod significant ea verba; Confirmauit autem pactum multis, idest, vt interpretatur Galatinus, Christus multis prædicationibus, & miraculis suam fidem cõfirmauit, quam deinde Apostoli multis pariter miraculis comprobarunt.

Expositio reiecta.

Numerus 490. Hebræis celebris.

Significatio numeri 490.

Quoniam verò fundamentum eorum, quæ à nobis hucusque dicta sunt, in hoc potissimum constitutum est, quod oraculum Danielis mysteria ad Christum spectantia complectatur, id aliquot confirmandum esse rationibus videtur. Et primo quidẽ notat Alcazar in cap. 11. Apocalyp. vers. 2. not. 4. hunc numerum 490. Hebræis fuisse celebrem, & sacrum, quia est denarius Iubilæi, siue decimum Iubilæum, quod inchoabatur quolibet anno 49. Hic siquidem numerus est septies septimus, multiplicato autem anno 49. per decem resultat numerus 490. Itaque hoc numero significatur Christum allaturum esse plenum, atq; perfectum Iubilæum bonis omnibus cumulatissimum.

Sensus illorum verborum; septimanæ abbreuiatæ.

Prophetæ meruerunt de congruo accelerationem Incarnationis Christi.

Præterea ad Christi aduentum approximatum tempore Danielis, referuntur verba, quibus septimanæ abbreuiatæ dicuntur. Etenim quamquam, vt supra adnotauimus, hæc verba peræquè valent, ac sonant, Constitutæ tamquam paucæ, non quod sint annis Lunaribus conflatæ, tamen indicant propria abbreuiatione celeritatem aduentus Messiæ excitatam à precibus, & suspirijs Danielis, Isaiæ, atq; aliorum Prophetarum, de quibus Theologicum est pronunciatum, ipsos Prophetas, & Patriarchas de congruo meruisse, non quidẽ ipsam Domini Incarnationem, sed eius accelerationem, aliasq; circumstantias. Id docent inter cæteros D. Bonau. in 3. sent. dist. 4. art. 2. quæst. 1. Alens. 3. p. q. 8. memb. 3. art. 2. & ex recentioribus Suarez 3. p. quæst. 2. art. 10. disp. 10. sec. 6.

Sẽsus prophetiæ Danielis.

Confirmatio sensus prophetiæ Danielis.

Ratio Galatini.

Porrò amplissimam fidem, quod Danielis prophetia de Christo intelligatur, faciunt ea verba, & vngatur Sanctus Sanctorum, scilicet, quod Spiritu Sancto vngatur Christus in Sacerdotẽ, Prophetam, & Regem, vt propterea, qui hebraicè dicitur Messias, græcè Χριστὸς .i. vnctus appellatur. Hebræi vertunt, quod vngatur Sanctitas Sanctitatum, vel Sanctum Sanctorum, vel Sanctuarium Sanctuariorum; Quæ omnia perbelle cadunt in solum Christum Redemptorem; tum quia ex obseruatione Petri Galatini lib. 4. cap. 17. nullus vmquam inuenitur in sacra Scriptura Messias dictus, qui vel sacro illo corporali oleo, quo Reges, & Sacerdotes vngebantur, vel spirituali idest Spiritus Sancti gratia vnctus sit. Etenim corporali oleo numquam vncti fuerunt, neque Cyrus, neque Nehemias, neque Iosue, neque Zorobabel, neque Agrippa, neq; alius illius temporis quisquam vnctus dici potest, Ita loquitur Galatinus, tum quia versiones supradictæ, quæ maximam resonant sanctitatem, soli Christo competunt adæquatè, duplici scilicet titulo, quatenus Deus, & homo est; Nam vt Deus est ipsa essentialis sanctitas, quæ consistit in adæquatione, & conformitate voluntatis, & operum cum lege æterna, quæ est in mente Dei. Vnde cum ipsemet Deus sit sibimet ipsi penitus adæquatus, & conformis, est essentialiter ipsa sanctitas; Si verò consideretur, vt Homo Deus, haud dubiè propter vnionem hypostaticam inhabitat in Christo, vt loquitur Paulus, tota plenitudo Diuinitatis, & Sanctitatis corporaliter, Ideò Sanctus dicitur, tum per gratiam vnionis, tum per gratiam habitualem animæ ipsius infusam, summam, & quodammodo infinitam, comprehendentem omnem rationem, & efficaciam gratiæ, tum propter gratiam capitis, qua, vt ait Paulus ad Ephesios primo, constitutum est caput super omnem Ecclesiam, & de cuius plenitudine omnes accepimus. Quamobrem ille

Confirmatio sensus prophetiæ Danielis.

Duplici titulo Deus dicitur sãctus.

ille Deus homo, qui Sanctus in conceptione ab Archāgelo Gabriele dictus fuit, Quod nascetur ex te Sanctum vocabitur filius Dei, est causa efficiens, meritoria, exemplaris, ac finalis omniū sanctitatum; Quare flagitiosè errarunt aliqui ex Hebræis Doctoribus, qui, referente Galatino lib. 4. cap. 14. putarunt pro Sancto Sanctorum intelligendum esse Templum, & significari durationem vtriusque Templi Hierosolymitani, habita relatione ad ipsius destructionem factam à Nabuchodonosor, & terminatam in reædificationem peractam per Zorobabel, sed re vera hæc Templo nequaquam conueniunt, quod in fine hebdomadum, vel in tempore ipsarū fini propinquo, non solum fuit vnctum, & consecratū, sed à Romanis, & ab ipsorum Duce Tito prophanatum, atq; cōbustum, licet, inuito ipso Tito, vt narrāt Iosephus, & Baronius. Addo, quod Templo non conueniunt ea, quæ à Daniele proferutur, scilicet, quod adducat iustitiā, & aboleat peccatum, illudq; tamquam sacrificium, & hostia valeat expiare. Quod si hæc verba templo non aptantur, multò minus conueniunt Cyro, vt falsò censuit Rabbi Salomon, quia hic non fuit Sanctus Sanctorum, neq; consummauit peccatum, neq; iustitiam adduxit sempiternam. Hinc etiam grauiter deceptus fuit Aben Esra, putans accipi hic pro Christo Nehemiam, vel Zorobabel, vel Herodem Agrippam iuniorem, quia nemo horum fuit occisus, imò Agrippa confęderatus est cum Romanis, & ipsos secutus est, ita tradente Iosepho lib. 3. belli Iudaici cap. 3. & 5. & Corn. Tac. lib. 5. Similiter reprehendenda est eorum opinio, qui, referente Scaligero, lib. 6. de Emend. putant Danielis vaticinium de occisione Christi impletum fuisse, cum Herodes patre Idumæo genitus inuasit regnum Iudæorum, interfecto legitimo Rege Antigono, vltimo stirpis Hasmuneorum; annus verò initij Herodis in periodo Iuliana 4673. de quibus, si retrò retexas 490. annos, perueniet ad secundum annum Cambysis, qui est in periodo Iuliana 4187. sed quid habēt commune hebdomadæ Danielis, cum Cambyse, vel cum Herode, cuius regni initium fuit annis 37. ante Christi ortum? & cum interfectio Antigoni Regis iam euenerat ante Christi ortum, non est ipsi Danielis oraculo hæc occisio applicanda.

Contra omnium sanctitatum.

Error nonnullorum Hebræorū.

Confutatio erroris Hebræorum.

Confutatio erroris Hebræorum.

Error Rabbi Salomō cōfutatus.

Error abē Esra confutatus.

Error aliorum confutatus.

Neque minus verba Danielis, occidetur Christus, sunt adæquanda Hyrcano Pontifici, qui vltimus fuit legitimus Iudæorum Pontifex, vt perperam putauit Eusebius lib. 8. de demonstr. consentiente Theodoreto; Nam prætermisso, quod non cōueniunt Hyrcano ea, quæ de Christo hic à Daniele proferuntur, obseruo Hyrcanum fuisse Pontificem Olympiade 179. ex Iosepho lib. 15. Antiqu. Christi verò Pontificatus incidens in hebdomadam 69. incurrit in Olympiadem 202. quo tempore Christus renūciatus est dux, & legislator; Ideò verba Danielis, vsq; ad Christum ducem, referenda sunt non ad Hyrcanum, vel quemcumq; alium, sed ad Christum; Quæ cum ita sint satis perspicuum arbitror, Danielis oraculum ad Christum Dominum, tamquam ad primum finem, & obiectū esse referendum, & consequēter in ipsius morte terminādum.

Error Eusebij confutatus.

Sensus verus prophetia Danielis.

Propterea obseruandū est, vastationem Hierusalem à Daniele commemoratam, nequaquam intra spatium, septuaginta hebdomadum contineri; Etenim hę finiuntur anno 3. post Christi mortem, etiam cum dimidio, vt existimarunt Ioseph. Scalig. Peterius, & Cornel. à Lapide, vel terminant in morte Christi, vt censeo probabilius; Verum destructio contigit post necem Christi, vel annis 38. vt putat Cornel. vel 37. vt Scalig. vel 40. vt Peter. Vastationis verò Hierusalem meminit Daniel, vt ostenderet, quam graui vltione Deus vindicaturus esset Christi sui filij necē ab Hebræis impiè perpetratā.

Tempus vastationis Hierusalem.

Animaduerto etiam hæc, quæ de vastatione Hierusalem dicuntur sensu litterali, allegoricè, ac typicè intelligi de Antichristo, qui verè auferet Sacrificium Eucharistiæ, & in templo ponet abominationem desolationis, idest seipsum, & sui Idolum, vnde cum Typus idem sit cum Antitypo, non physicè, sed repræsentatiuè, mirum non est, Christum Matth. 24. & Marci 13. hæc ad tēpora Antichristi, & finem Mundi retulisse per ea verba Matth. 24. Cum videritis abominationē filij hominis, &c. cum tamen Daniel hic litteraliter intendat describere non excidium Orbis, sed Vrbis; Verum quoniam Christus apud Euangelistas vtrumq; commiscet, & inuoluit, scilicet excidium Vrbis, & Orbis,

Sensus allegoricus circa vastationē Hierusalem.

eò quia excidium Vrbis futurum erat præludium, & simulachrum excidij Mundani, dico, verba Christi vtrumq; repræsentare; Nam verbum; Abominatio desolationis, varias fortitum est significationes, & Irænæus lib. 5. cap. 25. vna cum alijs putat, abominationem desolationis indicare litteraliter tempora Antichristi. Horum opinio innititur illis verbis; Et vsq; ad consummationem, ac finem perseuerabit desolatio. Quin Christus faciens mentionē de hac desolatione Marci 13. statim ea subdit, quæ in fine Mundi contingent, his verbis. Sed in illis diebus post tribulationem illam, Sol contenebrabitur, & Luna non dabit splendorem suum, & stellæ Cæli erunt decidentes &c. quæ omnia finem Mundi describunt.

Varia significatio vocis, Abominatio.

Vnum est animaduertendum cum Augustino ep. 90. ad Hesychium conscripta, quod signa, de quibus loquitur Dominus in Euangelio Luc. Matth. & Marc. siquidem hi tres Euangelistæ narrant, quæ dixerit Dominus, cum interrogatus fuit à Discipulis suis, quando futura essent, quæ de templi euersione prædixerat, & quod signum esset aduentus eius, & consummationis sæculi, ad tria pertinent, idest ad excidium Ciuitatis Hierusalem, ad aduētum eius in corpore suo, quod est Ecclesia; & tandem ad aduentum suum in capite Ecclesiæ, quod est ipse Christus; Propterea monet Augustinus diligenti consideratione obseruandum esse, ne fortè, quod pertinet ad euersionem Hierusalem, ad finem sęculi referendum putemus, aut è contrario, quod ad finem sæculi pertinet, affirmemus ad Ciuitatis excidium spectare, aut quod respicit ipsius aduentum in corpore suo, quod est Ecclesia, dicamus spectare ad eius aduentum nouissimum, in corpore suo, quod est caput Ecclesiæ; In quibus omnibus, inquit August. sunt quædam manifesta, quædam verò sic obscura, vt vel laboriosū sit ea dijudicare, vel temerarium, quamdiù non intelligatur de his aliquid definire.

Obseruatio S. Aug. circa loca sacra Script.

His ita constitutis, facili negotio occurrendum est tribus supra allatis dubitationibus. Et primo quidem respondendum est, perperam putasse Origenem, Danielis septimanas decennijs annorum esse compositas, quandoquidem hoc nomen septimanæ in Sacris litteris tantum numerum septenarium, vel dierum, vel annorum importat, vt tradit Petrus Galatin. lib. 4. cap. 14. Etenim accipitur hebdomada pro septem dierū spatio Leuit. cap. 23. vbi dicitur, quod septem hebdomadæ sunt à Festo Paschæ accipiendæ, quæ quadraginta nouem dies constituunt, & quinquagesimus est dies festus Pentecostes. Sumitur verò hebdomada pro septem annorum curriculo Leuit. cap. 25. vbi habetur; Numerabis septem hebdomadas annorum, quæ faciunt annos nonaginta nouem, & quinquagesimus annus immediatè sequens, Iubilæus esse percipitur, qui apud Hebræos erat annus remissionis; quod verò hebdomadæ istæ non significent dies, sed annos septem pro singula hebdomada, ex eo conuincitur, quod ab Angelo prænunciata, infra annum, & dimidium completa fuissent, quod prorsus euenerit, ac veritati aduersatur. Quocirca accusandus est Origenes, qui initium connumerandi septuaginta hebdomades duxit ab Adamo, cum iam exploratissimū sit, ipsas auspicandas esse à mandato Regis Artaxerxis Longimani, mittentis Nehemiam ad reædificandam Hierusalem. Simili prorsus ratione falsa est eorum interpretatio, qui septimanas exposuerunt, vel pro annis quinquaginta Iubilæis, vel pro centenarijs annorum, nam iuxta hæc commenta ab Angelo prædicta, nondum euenissent; & tamen satis apertè, ni fallor, monstratum est, omnia ad unguem impleta esse, atq; in nece Domini hebdomades finem, & complementum esse consecutas.

Soluitur obiectio Origenis circa hebdomades Danielis.

Quod spatium temporis importet hoc nomen septimana.

Sententia nonnullarum impugnata.

Ad secundam dubitationem, desumptam à testimonio Hippolyti Martyris ducentis exordium hebdomadum à captiuitate Babylonis, & terminantis hebdomadam sexagesimam nonam in natiuitate Christi, vltimam verò hebdomadam extendentis, vsq; ad Antichristi, & postrema Mundi tempora, respondendum est, dubitationem multa improbabilia continere; siquidem, cum à nobis demonstratum sit, initium hebdomadum petendum esse ab anno vigesimo Artaxerxis Longimani, qui fuit septimus Imperij post Xerxis ipsius patris necem, & id contigerit decimo quinto, & centesimo anno post solutam Babylonicam captiuitatem conuincitur tale hebdomadum exordium nequaquam

Solutio obiectionis desumpta ab Hippolyto Martyre de hebdomadis Danielis.

quam esse admittendum; Separare autem à cæteris hebdomadibus vltimam hebdomadam, eamq; ad Antichristi, & vltima Mundi sæcula transferre, vti sine aliqua ratione constituitur, sic facilè, tamquam fictitium reijcitur.

Controuersia circa sensum sacra Scriptura.

In tertia verò dubitatione enodanda nonnihil operis insumamus; Namque si prænunciata à Daniele fuerunt à Redemptore nostro Marci 13. & Matth. 24. accommodata Antichristi euersioni, & Mūdi consummationi, non leui assequimur coniectura, hebdomades vsq; ad Mundi occasum referendas esse, earumq; tempus postremam Mundi ætatem præsignare.

Varij sensus circa Danielis verba, & illarū confutatio.

Pro cuius rei explicatione, sciendum est hæc verba: Abominatio desolationis, de qua loquitur Daniel cap. 9. & Christus Marci 13. & Matth. 24. multas habere significationes. Et quidem non est accipienda abominatio pro illa, quæ facta fuit ab Antiocho Epiphanio, qui idolum Iouis collocauit in templo, quod à nomine Iouis Olympij appellauit, referente Iosepho 12. Antiquit. quia hic Antiochus centum sexaginta annis Christum præcessit; Et cum Saluator Dominus loquatur de hac abominatione, tamquam de re non præterita, sed futura, non possunt hæc prædictæ abominationi coaptari.

Neque sumenda est abominatio pro statua Cæsaris, quam Pilatus noctu, & repugnantibus Hebræis, inuexit in tēplum, ex traditis à S. Hieronym. & Theodoret. quia hoc iam contigerat, & Christus Dominus de re futura verba facit. Prætermquamquod breui tempore statua in templo permansit, vnde tanta abominatio à Propheta expressa id describere non videtur; Prætermitto Maldonatum arbitrari statuam Cæsaris fuisse quidem in Vrbem, sed non in templum illatam, & auctorem habet Iosephum lib. 2. de bello Iudaico cap. 8.

Verus sensus verborum Danielis.

Mihi arridet interpretatio Maldonati in cap. 24. Matth. & aliorum, nempè per abominationem hanc sumendum esse excidium Vrbis Hierusalem, de quo verificantur omnia, quæ à Daniele, & à Christo Domino traduntur, vt mox demonstrabo; Vnde rectè censent grauissimi Authores, Origen. Homil. 24. in Matth. August. Epist. 80. ad Hesychium; Perer. lib. 10. in Danielem; Maldonat. loc. cit. Suarez 3. p. quæst. 59. art. 6. disp. 54. sect. 5. abominationem desolationis significare exercitum Romanorum, obsidentem Ciuitatē Hierusalem, & consonant quasi glossa verba Lucæ cap. 21. vbi eadem Saluator noster enarrans ait; Cum videritis ab exercitu circumdari Hierusalem, tunc scitote, quia appropinquauit desolatio eius.

Sententia Abulēsis, & Baradij circa verba Danielis.

Et quantū pertinet ad abominationem factam in templo, Abulensis, & Baradius eam interpretantur de prophanatione facta à seditiosis Hebræis homicidis, qui Zelotes nominabantur, quiq; cum se in templum recepissent, in ipso flagitiosa crimina cuiuscumq; generis perpetrarunt. Id expressit Iosephus lib. 5. de bello Iudaico his verbis; Templum Dei propriæ Iudæorum manus violarunt.

Expositio difficilis scriptura.

Non leui carent difficultate verba, quæ subdit Dominus Redemptor noster monens, fugam arripiendam esse tunc temporis ab illis, qui habitant Iudæam. Tunc, qui in Iudæa sunt, inquit ipse, fugiant ad montes. Pro quorum verborum explicatione norādum est cum Baronio anno Christi 68. Christum indicasse occisionem Iudæorum, quæ facienda erat à Cestio Syriæ Præside; Nam cum Iudæi Romanis rebellassent, Nero anno 12. sui imperij misit Cestium ad puniendos, ac debellandos Hebræos, qui Cestio in fugam coniecto, susoq; impulerunt Neronem, vt post sex menses Romani exercitus ducem mitteret Vespasianum, qui Galilæam, Samariam, & Iudæam, excepta vrbe Hierusalem cæpit, ac deuastauit. Nerone occiso, Vespasianus Imperator renunciatus, Romam redijt, relicto in Iudæa filio Tito, qui Hierusalem obsedit in Paschate, & post sex menses occupauit, & euertit; Templo expugnato, & incenso, quamuis eodem Tito repugnante, vt refert Iosehp. lib. 7. de bello Iudaic. Quare cum eo tempore, quo Cestius Præses expugnatus est, sapientes Christiani, qui Hierusalem colebant, vel cęlesti perciti spiritu, vel propria edocti prudentia futuram Hierusalem vastationem extimescerent, ad loca tuta se contulerunt, vt scribit Eusebius lib. 3. Hist. Ecclesiast. cap. 5. Propterea Christus huc alludens, inquit; Tunc, qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes; Non enim hæc verba vllo pacto ac-

Fuga Cestij.

Vrbium vastatio.

Euersio Hierusalem.

Corollarium.

commodanda sunt fugæ, cui se dederint Hebræi in obsidione, & interfectione à Tito facta, quam nullus Hebræorum euasit, adeò vt vndecies centena millia Hebræorum deleta fint, & quamplurimi in triumphum adducti, vel tamquam serui, & mancipia pretio vendita.

Alia expositio scripturæ. Neq; reticendū est, Christi verba respicere etiam tempora Hadriani, quo imperante, anno 64. post excidium Titi, idest anno Christi 104. Romanorum colonia in Hierusalē deducta est, ipsaq; vrbs Elia Capitolina appellata, & Iouis templum in ipsa extructum, quo tempore, sæuiente bello aduersus Hebræos, ipsorum quingenta octoginta millia extincta sunt, & penè tota Iudæa deuastata, ac deleta; Quoniam verò eo tempore cladis ab Hadriano illatæ, multi Christiani euaserunt periculum, ac necem, seseq; in montes Iudeæ receperunt, Christus Dominus de ipsorum loquitur fuga, subdens; Et qui in tecto sunt, non descendant aliquid tollere de domo sua, & qui in agro sunt, non reuertantur tollere tunicam; Siquidē cum *Tecta Palæstinorum erant super nè plana.* tecta domorum in Palæstina essent supernè plana, in quibus cænare solebant Iudei, hęc verba significant, nihil inde ab ipsis auferendum esse, ingruente calamitate, ne cupientes aliquid transferre, ipsa calamitate corriperentur.

Quare, vt paucis rem complectar, & *Expositio sacræ Scripturæ.* difficultatem dissoluam, dicendum est, Christum commemorantem Matth. 24. abominationem desolationis dictā à Daniele Propheta, indicare potissimū illam, de qua loquitur Daniel cap. 12. his verbis. Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta; Beatus, qui hæc spectat, & peruenit vsque ad dies mille trecentos triginta quinque. Quo loco Daniel loquitur de tempore Antichristi, & sæculi consummatione, vt fusè à nobis infra demōstrabitur.

Si verò asseramus, Christum suum referre sermonem ad abominationem desolationis à Daniele cap. 9. iactatam, fateamur necesse est id, quod supra cōcessimus, scilicet euersionem Hierusalem à Daniele *Expositio sacræ Scripturæ.* prænunciatam, esse imaginem desolationis Vniuersi; ideòq; Dominum Redemptorem de illa sermonem habuisse, vti de simulachro præfigurante vniuersam Mundi cladem, de qua suos alloquebatur discipulos; Non hinc tamen infertur, vel *Corollariū* Danielis hebdomadas nō esse completas, vel tempus consummationis sæculi continere, quia si destructio templi, & Vrbis Hierosolymitanę non comprehenditur intra hebdomadas Danielis, sed fuit ab ipso commemorata, ad præsagienda supplicia, quibus mulctandus erat Hebræus populus pro crudelissima nece, quam Messiæ erat illaturus, multò minus intra terminum earundem hebdomadum, vltima Mundi ætas coercetur, quæ nihil habet commune cum pœnis, quas pro parricidio gens Hebræa luere debebat.

Quamobrem cum omnia, quæ à Propheta cap. 9 prædicta sunt iam implementum obtinuerint, quia nimirum defecerūt *Vaticiniū Danielis de hebdomadis cōpletum.* ritus, cæremoniæ, & sacrificia veteris Legis, Hebræi priuati sunt Templo, sacerdotio, & hostijs, exilio perpetuò damnati, & tamquam vilia gentium mancipia contempti, occisus est Christus Dominus, plurimis miraculis ipsius Diuina lex confirmata, & tandem vetus Hierusalem à Tito euersa, nihil remanet, quod ad Danielis hebdomadas implendas refertatur. Vnde tales Hebdomadæ iamdiu totq; ab *Hebdomadæ Danielis nō conferunt ad cognoscendū finem Mundi.* hinc sæculis transactæ, nullā habent cum fine Mundi, de quo nos disputamus, connexionem. Itaq; hanc tractationem testimonio Augustini absoluemus affirmantis, iam ipsas hebdomadas effluxas esse, & nihil ad secundum Christi aduentum, atq; sęculi occasum conferre; Ita enim loquitur Augustin. Ep. 77. Ego enim maximè illud de hebdomadibus Danielis, secundum tempus, quod iam transactum est intelligendum puto; nam de Saluatoris aduentu, qui expectatur in fine, tempora dinumerare non audeo, nec aliquem Prophetam de hac re numerū annorum existimo præfinire. Hinc idem Augustin. *Confirmatio ex Augustino.* prolixa ad Episc. Hesychium suum contemporaneum Ep. 80. in qua ad omnes coniecturas de appropinquante Mundi fine respondet, reprehendit eumdem Episcopum existimantem, quod sicut à tempore vaticinij Danielis ad primum Christi aduentum intercesserunt septuaginta septimanæ, idest anni 490. ita à primo Christi aduentu ad secundum, totidem septimanæ, totidemq; anni intercurrent, cuectus verò hanc falsitatem refellit, cum à pri-

Anno 1640. Author hoc opus exarabat. à primo Chriſti aduentu iam fluant tempore, quo hæc ſcribo, ſexcenti quadraginta anni ſupra milleſimum. Atq; hæc ſunt à nobis de ſeptuaginta hebdomadis, non quidem pro tantæ rei dignitate, ſed pro noſtra ingenij tenuitate declarata; In quibus explicandis non erubeſcimus fateri, nobis difficillimum prorſus fuiſſe tot Authorum ſententias excutere, tot chronologias euoluere, & vias vndequaq; dubitationum ſpinetis obſeſſas percurrere. *Authoris calor circa præſentem difficultatem.*

SECTIO TERTIA.

Loca ſacræ Scripturæ, quibus videtur notari finis Mūdi.

Afferuntur alia ſcripturæ teſtimonia, ſcilicet Danielis Prophetæ, Ezechielis, & Ioannis in Apocalypſi, quibus prænotatum videtur tempus Mundanæ euerſionis, & demonſtratur nullam inde prorſus colligi coniecturam.

Difficultas circa verba Danielis. EVaſis ſcopulis[1], quas nobis ſeptuaginta Danielis hebdomades obijciebant, alias incurrimus ſyrtes in eodem Prophetico Danielis Oceano latitantes; Siquidem oritur difficultas ex verbis Daniel. cap. 12. verſic. 11. quæ ita ſonant. Et à tempore, cum ablatum fuerit iuge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. *Nōnullorum expoſitio.* Licet hæc verba aliqui ſint interpretati de tempore Antiochi, qui per tot dies ſacra Iudæorum ſuſtulit, & ſynagogam acerbiſſimè vexauit; & alij putent deſignari tempus, quo aduerſus Iudæos à Romanis dimicatum eſt, quod tempus fuit trium annorum cum dimidio, ſi ipſum computes ab anno decimotertio Neronis, quo bellum cæptum eſt, vſque ad ſecundum Veſpaſiani annum, quo debellata, & capta eſt vrbs; tamen communior, & *Verior expoſitio.* verior interpretatio eſt his verbis Prophetam agere de fine Mundi, & de tempore, quo perſecutio Antichriſti durabit. Etenim ab ipſius initio, vſque ad finem, fluent dies mille ducenti nonaginta, ideſt tres anni cum dimidio; Quod eſt idem cum pronunciata Danielis cap. 7. Tempus, & tempora, & dimidium temporis, *Expoſitio aliorū verborū Danielis.* nimirum per tempus accipit annum, per tempora duos annos, & per dimidium temporis anni medietatem. Ita exponunt inter veteres Beda, Anſelmus, Richardus, Rupertus. Inter recentiores Pererius, *Prædicatio Antichriſti.* Vegas, Bellarminus lib. 3. de Pontif. cap. 8. Atq; ita decet Antichriſtum diutius nō prædicare, quam Chriſtum, qui tribus annis cum dimidio, vel quaſi, ſuam Legem promulgauit. Aduerte tamen, quod tres anni cum dimidio præciſè faciunt dies 1278. vlterius verò excreſcet perſecutio per dies duodecim, ſcilicet vſque ad dies 1290. *Tres anni cum dimidio efficiūt dies 1278.*

Neque hi tres anni cum dimidio accipiendi ſunt pro annis Iubilæi, vt aliqui perperam ſenſerunt, quia conficerent 175. annos Solares, id enim repugnat verbis Chriſti, aſſerentis, abbreuiandos eſſe dies perſecutionis Antichriſti propter electos, hac autem ratione potius extenderentur, ſi per tot annos perſecutio deſæuiret. *Error nōnullorum reicit de tribus annis cum dimidio.*

Hinc S. Io. Apocalyp. 11. verſ. 2. docet, Antichriſtum calcaturum eſſe Ciuitatem ſanctam menſibus quadraginta duobus, & quamuis P. Ludouicus ab Alcaſar duos & quadraginta menſes, quorum meminit Ioannes, applicet ad tempus illud, quo perſecutio Iudæorum in primitiuam Eccleſiam cohorta durauit, verè tamen Iudaicam perſecutionem plures annos naſcentem Eccleſiā afflictaſſe nemo ignorat. *Antichriſtus.*

Primum igitur ex hoc tempore perſecutionis Antichriſti colligitur, quod ipſa terminata, futurum ſit Iudicium, & Mundi finis; Quare exactis tribus annis, cum dimidio, iam cognoſci poteſt Aduentus Iudicis, & Occaſus Mundanus, ergo in ſacra Scriptura reperitur argumentū certò coniectandi excidium finale. Augetur difficultas ſequentibus verbis cap. 12. verſ. 12. Beatus, qui expectat, & peruenit vſque ad dies mille trecētos trigintaquinque; Quorum verborum ſenſus eſt, quod terminata Antichriſti perſecutione, ipſoq; extincto, refloreſcet Eccleſia, & Dei cultus renouabitur. Tunc ſiquidem Sacerdotes, & Concionatores è latebris prodeun- *Cognitio finis Mundi ex ſacra Scriptura.* *Argumentum ex ſacra Scriptura pro cognitione finis Mundi.*

deinres, in quibus præ timore delituerant, excitabunt fideles ad perseuerantiam in Christiana lege, & infideles iam à præstigijs Antichristi delusi ad fidem côuertentur; Vnde beatus, qui tunc superstes erit, quia poterit absque timore Christianam colere Religionem. Verum dies mille trecenti triginta quinque excedunt quadraginta quinque diebus dies iam prædictos 1290. quibus persecutio Antichristi fideles torquebit, & quibus diebus 45. dabitur requies; & tempus illis, qui sub Antichristo defecerunt à fide, adeò vt possint resipiscere, & pœnitere, atq; propriæ animarum saluti consulere; Siquidem id temporis post necẽ Antichristi à Deo conceditur, vt clarissimum suæ pietatis argumentum; Ita exponentibus Lyrano, Pererio, Corneli à Lapide, & alijs. Ergo hinc colligitur, quod post dies 1290 dies 45. qui superfuturi sunt, erit vltimum tempus mundanæ ætatis, & his diebus elapsis, immediatè euersio mundana continget. Igitur certò, ac determinatè præfinitur dies Iudicij, quod repugnat sententiæ Christi Matth. 24. De die illa, & hora nemo scit, neq; Angeli Cælorum, nisi solus Pater.

Tempus concessum hominibus à Deo post necẽ Antichristi.

Nõ me latet aliquos Authores per dies 45. accipere annos 45. quos concedendos esse putant illis, qui lapsi sunt propter tyrannidem Antichristi, vt possint post ipsius necem rursus ad Deum se conuertere. Hæc opinio eo fulta est præsidio, quod quemadmodum Iudæis post mortẽ Christi fluxerunt anni, vel 37. vel 38. vel 40. iuxta diuersam chronologiam, vsque ad excidium Hierosolymæ factum à Tito, vt interiecto illo temporis interuallo Iudæi parricidium à seipsis impiè perpetratum agnoscentes, & detestantes pænitentiam agerent; Ita æquissimum videtur, vt post crudelissimum Antichristi imperium spatium quadraginta quinque annorum detur illis, qui à fide Christiana desiscere coacti sunt. Cæterum hæc opinio est omninò improbanda, quoniam si dies 1290. à Daniele accepti sunt pro diebus, & non pro annis, ex vnanimi interpretum consensu, cur dies 1335. sumendi sunt pro annis, vel cur soli dies 45. pro annis sunt computandi?

Expositio de Diebus 45. pro 45. annis, & eius confirmatio rejcitur.

Hæc dubitatio, quæ ex Danielis oritur Prophetia diluitur à Prophetia Ezechielis cap. 49. qui post necem Og, & Magog, qui cum Antichristo cadentur, ponit tempus septem annorum his verbis. Et egredientur habitatores de Ciuitatibus Israel, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos manuum, & contos, & succendent ea igni septem annis. Quæ verba exponens P. Cornelius, asserit, quod cæso Antichristo Gog, omniq; eius exercitu extincto, tanta erunt cæsorum spolia, hastæ, & arma, vt Iudæi ex omnibus vrbibus confluant ad ea decipienda; Ad quod præstandum, indigebunt cursu septem annorum, quibus ea igne comburent, & destruent; Ex quo apparet post mortem Antichristi non solum superfuturos esse 45. dies, vt supra ex Daniele retulimus, sed septem annos ad comburenda inimicorum spolia, & ad præstandum tempus pænitentiæ hominibus, qui præ Antichristi tyrannide à Christiana lege recesserunt. Vnde tradidit venerabilis Beda in cap. 21. Lucæ, quod tunc in Iudæa nouæ erigentur Ecclesiæ, & nouus Christianæ legis cultus vigebit; Cui consonat id, quod scripsit Lyranus in primum cap. ep. ad Thessalonicen. in hæc verba. Doctores, & Sancti communiter dicunt, quod mortuo Antichristo, & falsitate eius manifesta detecta, omnes gentes ad Christum conuertentur, quamuis id vndequaque veritati consonum non arbitror; quandoquidem multi in sua nequitia permanebunt, quos repentinus Christi aduentus, & Mundi interitus corripiet, & opprimet, non secus ac diluuium eos, qui fuerunt tempore Noe, sicut Dominus testatur Matth. 24. & Luc. 17. At cum paucis diebus, vel annis agere non possint pænitentiam tot gentes, quæ ad Deum conuertentur, putat Sebastianus Baradas tom. 3. lib. 9. cap. 7. §. Non est à probabilitate alienum, aliquot annos superfuturos esse à nece Antichristi ad diem Iudicij. Quod autem solum 45. dies transigere non debeant, non solum apertè demonstrat, tam exiguum tempus insufficiens tot gentibus ad pænitentiam agendam, sed etiam luculenter ostendunt verba Ezechielis cap. præallegato, quibus affirmat Iudæos, & alias gentes, per septem menses à nece Antichristi, & ab occisione Gog quæsituras esse cadauera Gog ad ea sepelienda. Et sepelient, inquit, eos domus Israel,

Solutio difficultatis de tempore post necem Antichristi.

Expositio P. Cornelij.

Tempus post necem Antichristi.

Lyranus de statu Mũdi post necẽ Antichristi.

Sentensia Lyrani rejcitur.

Sententia Sebastiani Barada de statu rerũ occiso Antichristo.

vt mon-

Homeri septenary significatio in sacra Scriptura.

vt mundent terram septem mensibus, id est vt eam liberent à fœtore cadauerum; Quare cum in Sacra Scriptura numerus septenarius sumatur pro numero indetermina-to ad significandam copiam; & multitudinem, vel dierum, vel annorũ, reor Ezechielem per septem annos, quibus hostium spolia sunt comburenda, multos annos significasse, & per septem menses, quibus sepelienda sunt cadauera pariter multos menses indicasse. Itaq; iam exploratum

Opinionis confutatio.

est dies dumtaxat 45. à morte Antichristi ad diem Iudicij non superesse; tum quia id repugnat euidẽter oraculis Ezechielis; tum etiam quia, vt animaduertit D. Hieronym. Daniel dicit post mortem Antichristi futurum silentium, & pacem 45. diebus. Sed non negat plures fore dies;

Vaticiniũ Danielis non præfinit finem Mundi.

Quare à verbis Danielis tempus occasus Mundani non præfinitur. Adde Sybillam lib. 3. oraculorum tradidisse, post mortem Antichristi regnaturam fœminã Viduam; quæ aurum, argentum, æs, & ferrum in mare proijciat, tuncq; futurum finem Mundi, ac Iudicij diem; quod sanè demonstrat maiorem temporis longitudinem, quam sit spatium septem annorum. Quo

Sybillæ oraculum de fine Mundi.

Sybillino oraculo tametsi P. Cornelius vtatur, ipsi tamen puto multum fidei non esse adhibendum, quia nihil huic Sybillæ pronunciato consonum in sacris litteris reperio.

Non est reticenda explicatio verborum D. Io. quæ valdè cohærent ijs; quæ à nobis hucusq; exposita sunt. Ioannes igitur

Tempus post necem Antichristi ex Ioãne.

cap. 11. Apoc. vers. 3. mentionem facit de mille ducentis sexaginta diebus, & asserit, Deum daturum hoc temporis spatium duobus testibus suis, scilicet Enoch,

Enoc, & Elias.

& Eliæ amictis saccis, ad prophetandum, & declamandum contra Antichristum; Quod temporis interuallum notant communiter Interpretes perinde valere, ac três annos cum dimidio. Animaduertendum

Expositio Riberæ circa tempus præfinitũ a Ioan. de tẽpore per necem Antichristi.

quidem est cum Ribera mille ducentis sexaginta diebus, vt integrum spatium trium annorum, & dimidij compleant, deesse octodecim dies; Affert rationem, quia quo tempore Ioannes Apocalypsim scripsit, iam cõputabatur annus iuxta Iulij Cæsaris constitutionem, qui singulis annis trecentos sexaginta quinque dies, & sex horas adscripsit; Quoniam verò congruum est arbitrari Io. Hebræorum more scripsisse, qui vnicuiq; mensi triginta omninò dies, anno verò trecentos sexaginta tribuebant; ideò ad tres annos Iulianos conficiendos, addendos esse octodecim dies perbellè existimauit Ribera, licet id non penitus approbet Alcasar; qui

Expositio Riberæ nõ penitus approbatur.

animaduertens differentiam, quæ est inter Danielem, & Ioannem, quia Daniel enumerat annos mille ducentos nonaginta,

Differẽtia inter Ioannẽ, & Danielem.

quibus Antichristus persequetur Ecclesiam, Io. verò mille trecentos sexaginta, quibus contra Antichristum prædicabant Prophetæ supradicti, notat, inquam, Alcasar, quod Ioannes respicit solum tempus prædicationis Prophetarũm, & Daniel

Antichristus superstes per Enoch, & Eliæ mortẽ.

tempus tum prædicationis; tum vitæ Antichristi, qui vno mense superstes erit post Enoch, & Eliæ interitum; & quo mense computato, resultat numerus dierũ 1290.

Et animaduerto cum Alcasar in caput 11. Apocalyps. vers. 2. not. 4. spatium trium annorum cum dimidio in Sacris

Expositio Scripturæ.

litteris solemne esse ad multa indicanda mysteria; multosq; Diuinæ prouidentiæ effectus; Quocirca hoc tempore vsus est Antiochus, in persequẽda synagoga Elias per tres annos atq; dimidium clausit Cælum, ne plueret super terram, vt habetur ex 3. Reg. Tanto tempore Iudith pœnitentiam egit, & suum corpus ieiunij maceratio, Iudith 8. Christi prædicatio tribus annis cum dimidio ferè durauit, vt persecutio quã contra ipsum gesserunt Iudæi; Neronis vexatio in Christianos eodẽ tẽpore desæuijt. Capit enim Neronis persecutió,

Neronis vexatio in Christianos.

vt communis fert opinio, anno vndecimo sui Imperij, & 14. tantum annis imperauit. Quare mirandum non est per hoc temporis spatium supradicta de Antichristo fuisse indicata.

Textus cõcordes Ioã.

Consonant huic Io. dicto ea, quæ ab ipso pronunciata sunt cap. 12. Apocalyps. vers. 6. de mulieris fuga in desertum, vt ibi pascant eam diebus mille trecentis sexaginta. Et licet nomine mulieris aliqui, inter quos est Alcasar, accipiãt primitiuã Ecclesiam, quæ tamquam in desertum, se in gentilitatem recepit, & numerus prædictus mysticè ab eodem Authore accipiatur, attamen penitissimus Io. sensus est, Ecclesiam, contra quam pugnabit Anti-

Ecclesiæ fuga tempore Antichristi.

christus, instar Draconis, fugituram esse in latibula, ne ipsius acerbissima subeat supplicia, quæ fuga durabit tribus annis

cum

cũ dimidio, quo tẽpore Deus spiritualibus consolationum pabulis ipsorum fidelium cœtum pascet, ac reficiet.

His ita præstitutis, compertissimum est, hinc non inferi tempus prædefinitum Mundanæ euersionis, nam vel spectetur tempus, quò Prophetę prædicabunt aduersus Antichristum, vel tempus, quo fidelium congregatio, veluti in deserto latitans ipsius declinabit furores, vtrumq; enim tempus erit spatium trium annorum cum dimidio, vel ferè, numquam hoc tempus constituitur tale, quod vltra ipsum negatur futurum esse aliud tempus, vt supra cum D. Hieronymo adnotauimus.

Finis Mũdi incertus.

Obijcies vnum, quod videtur supradictis non leuem offundere caliginem dubitationis. Saluator Dominus Matth. 24. ait statim autem post tribulationẽ dierum illorum Sol obscurabitur, & Luna non dabit lumen suum, & reliqua, ex quibus verbis hæc conficitur ratio, qua tempus excidij Mundani indigitatur. Iam compertum est Antichristi persecutionẽ, quam Christus tribulationem appellat, duraturam esse tribus annis cum dimidio, sed ex Christi testimonio statim post tribulationem illam Mundana continget euersio, ab ipso per oscurationem Solis, & Lunæ per reliqua cælestia prodigia, descripta, igitur sufficiens oritur argumentum probandi, Mundi finem esse certum, & determinatum post Antichristi tribulationem, ergo ipsa absoluta, & expleta, iam homines de die Iudicij, & Mundi Occasu certam, & infallibilem assequentur notitiam. Quod aduersatur illis, quæ supra à nobis tradita sunt, nimirum, quod non immediatè post necem Antichristi, subsecutura sit vniuersalis destructio, & quod ignota sit quantitas temporis, quæ intercurret inter Antichristi mortem, & Iudicium extremum; Nam si statim, teste Redemptore, post tribulationem, hæc vniuersa moles dissoluetur, patet immediatè post persecutionem Antichristi secuturum esse Iudicium. Nihilominus affirmandum est nullam vim ponendam esse in illo verbo: Statim autem, adeò vt quasi continuò secuturus sit finis Mundi; Etenim Lyranus verbum statim interpretatur, Paruo tempore elapso, post tribulationem Antichristi, apparebunt signa manifesta propinqui Iudicij; Quæ signa quãto tempore duratura sint, obscurum prorsus est, & incertum. Itaque hæc vox (statim) in sacris litteris nõ excludit aliquam temporis latitudinem; Hinc Malachiæ 3. habetur; Et statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis; Et tamen à tempore huius Prophetiæ vsq; ad Christi aduentum, de quo loquitur Propheta, non pauci effluxerunt anni; Itaque verbum, statim, à Domino prolatum, indicat quidem propinquitatem Iudicij, sed non immediatam ipsius subsecutionem, post diram Antichristi cladem.

Obiectio pro certitudine excidij Mundi.

Confirmatio obiectionis.

Solutio obiectionis, & expositio vocabuli, statim.

Consonat huic interpretationi verba Daniel cap. 7. Considerabam cornua, & ecce cornu aliud paruulum (intellige Antichristum) ortum est de medio eorum; Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Ecce coniungit aduentum Antichristi cum Iudicio, per thronum significato, & tamen ex eodem Daniele habemus quadraginta quinque dies à nece Antichristi superfuturos ad postremum Mundi tempus, quamuis non neget alios dies superesse posse. Et quemadmodum innumeris Patrum sententijs firmatum est Antichristum circiter sæculi clausuram venturum esse; Ita nullus ex Patribus pronunciauit immediatè Iudicium futurum post Antichristi persecutionem. Hinc S. Irenæus lib. 5. cap. 30 hæc ait, Cũ autem vastauerit Antichristus hic omnia in Mundo, regnans annis tribus, & mensibus sex, & tunc veniet Dominus de Cælis in gloria Patris. Illud aduerbiũ, Tunc, significat non celerem, & quasi coniunctã Iudicis accessionem, post Antichristi tyrannidem, sed quod ipsa completa, Iudicium finale instituetur. Confirmat S. Cyrillus Catachesi 15. veniet autem Antichristus, cum impleta fuerit tempora Imperij Romani, & Mundi consummatio appropinquabit. Quare, si ex dicto Cyrilli, post aduentum Antichristi, appropinquabit consummatio, non erit statim coniuncta eiusdem Antichristi persecutioni. Cohæret Damascen. lib. 4. de fid. Ortod. cap. 27. Peculiari, & præcipuo modo Antichristus ille dicitur, qui sub Mundi catastrophem venturus est. Non dixit in Mundi catastrophe, ad demõstrandum Mundi euersionem non esse statim copulandã cum Antichristi aduentu; Sed inter

Confirmatio expositionis vocabuli, statim.

Expositio vocabuli, tunc.

indicare videntur eo tempore cœpisse Antichristum sua flagitia perpetrare, sed nõdum fuisse reuelatum. Sed breuiter sensus ipsorum est, quod Nero, & similes Imperatores mysterium iniquitatis operaturi erant, tamquam typi, & figuræ Antichristi, ideò ipsorum iniqua operatio mysterium appellatur, quemadmodum Apocalypſ. 17. Sacramentum, vel mysterium mulieris, quam Io. vidit, significat arcanam repræsentationem mulieris, quæ Romam, & Romanum Imperium significabat. Et quamquam, cum Paulus scribebat hanc Epistolam, nondum imperaret Nero, quippè Epistola scripta fuit anno Christi 53. quo adhuc regnabat Claudius, cui successit Nero anno Christi 57. potest tamen accipi hic locus de Nerone, non vt actu regnante, sed vt proximè regnaturo, & hic est mos Scripturæ sacræ, præsens ponere aliquando ipso futuro, vt alias memini, me obseruasse; Vel dicamus, non solum intelligi Neronem, sed alios Imperatores Romanos, qui Neronem, vel præcesserunt, vel secuti sunt, quique acerbissima tyrannide Christianas gentes afflixerunt, quales fuere C. Caligula, Decius, Heliogabalus, Diocletianus, & alij. Præcipuè verò ab Apostolo intelligitur Nero, tamquam insignis typus, & figura Antichristi, quippè qui omnium vitiorum genere cumulatissimus fuit, & Simonem Magum, suosque asseclas fauoribus prosequutus est; Vnde aliquorum est interpretatio, Paulum per mysterium iniquitatis Simonem Magum, tamquam præcursorem Antichristi, denotasse. Sensus igitur Pauli est. Tantum, vt qui tenet nunc, teneat; donec de medio fiat, idest necesse est, vt Nero, & similes typi Antichristi ipsum præcurrant, donec de medio tollantur, & Antichristus aduenìat; Vel sensus est, quod Nero, & cæteri Romani Imperatores teneant Imperium, donec illud euertatur, & è medio tollatur; Nam, vt ita dicam, Romanũ Imperium prius destruetur, & postea Antichristi erit accessus, atq; ita hunc locum interpretantur Chrysostomus, Theophylactus, & alij PP. Prudenter verò, & data opera, obscuro sermone vsus est Paulus, ne indicans Romani Imperij destructionem, aut Neronem, aut cæteros imperantes aduersus Christianos concitaret; Non hinc tamen

Sẽsus verborũ Pauli.

Ponere tẽpus præsens pro futuro mos cũ sacra Scripturæ.

Expositio aliorũ circa verba Pauli.

Sẽsus verborũ Pauli.

Alius sensus Pauli.

Cur Paulus obscurè fuerit loquutus.

putandum est, vt aliqui perperam sentiunt, vel Neronem à Paulo præcipuè indicatum, non esse mortuum, vel sanè in fine Mundi resuscitandum, vt ipse Antichristi subeat officium, quemadmodum multi veterum autumarunt, testantibus D. Hieronymo in cap. 11. Danielis, & D. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 19. cuius verba sunt hæc. Nonnulli Neronem resurrecturum, & futurum Antichristũ suspicantur, alij verò nec eum occisum putant, sed subtractũ potius, cum putaretur occisus, & viuũm occultari in vigore eius ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur, & restituatur in Regnum, sed multum mihi mira est hæc opinantium præsumptio. Sic Augustinus. Vnde satis mirari nequeo tam falsam opinionem approbatam fuisse à Seuero Sulpic. lib. 2. Hist. cum certum sit ex Suetonio, Tacito, & alijs Neronem fuisse occisum, resurrecturum verò, & Antichristi partes acturum, neque Paulus, neque alius Propheta prædixit.

Error nonnullarum circa de Nerone.

Quoniam verò tota suspitio de propinquitate consummationis sæculi oritur ex vsurpatione verborum, quæ in sacris litteris adhibentur, nimirum, Nouissimum tempus, Nouissima hora, sciendum est, tempus Euangelicæ legis vltimum esse, & aliud tempus post ipsum non esse successurum. Etenim lex scripta successit legi naturæ, & legi Moysi traditæ successit lex Euangelica, cui altera non succedet; Ideò tempora Euangelicæ fidei appellãtur nouissima, postrema, consummatio sæculorum; Quamobrem, cum finita hac ætate legis Euangelicæ, alia ætas succedere nequeat, dicitur propinquus aduentus Christi, in ordine ad hanc ætatem, quæ est vltima, & postquam nulla est spes, vt Iudicium, & finis Mundi differatur; Quare cum nomine nouissimi diei, nouissimi temporis, & nouissimæ horæ describatur tempus noui testamenti, & legis gratiæ, vt obseruant Hieronym. Lyranus, & Rebera, rectè sęculi consummatio per hęc nouissima indicatur, quoniam tẽpore Euangelij, & Christianæ legis, & hoc gratię seculo debet ipsa consummatio contingere, non quod vniuersalis mutatio per hęc nomina nouitatem pręseferentia, propinqua significetur. Addo Apostolos, dies nouissimos vocare illa temporum spatia, quę

Lex euangelica cum vltima.

Quid significet tẽpus nouissimũ.

Quid sint dies nouissimi apud Apostolos

post se ventura erant, iuxta illud Pauli 1. ad Timot. 4. Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, Idest post tempora Pauli, in quibus multi hæretici prauis opinionibus Christianam fidem, & veritatem labefactare conati sunt; Et hæc explicatio, tamquam regula adhibenda est, ad respondendum ijs, quæ ex sacris litteris finalis consummationis proximitatem demonstrare præsumunt.

Expositio memoria tenenda.

Quomodo intelligendi Patres de propinquitate finis Mundi.

Equidem inficiari non possum, multos ex SS. Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis Mundanæ euersionis propinquitatem suis scriptis decantasse, quod tamen qua ratione sit accipiendum, & interpretandum, infrà breuiter explicabo. Tertullianus lib. de fuga in persecutione, quem, vt Annales Ecclesiastici adnotarsit, & Scholiastes Pamelius obseruat, vltimo Seueri Anno conscripsit, hæc cap. 2. tradidit. Cum igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiariæ sectæ, sed nec indici vmquam tale quid possit, Antichristo iam instante, & in sanguinem, non in pecunias, hiante Christianũ; Qua loquẽdi ratione indicat Tertullianus, Antichristi tyrannidem iam imminere, sed re vera Tertullianus, quoniam tunc temporis hauserit Montani venenum, iacula reprehensionis aduersus eos retorquet, qui persecutionem data pecunia redimebant, quod tamen licuisse, & licitè competitissimum est. Atque vt negotium grauius constitueret, dixit, Antichristum instare; Vel dicendum est nomine Antichristi iuxta sensum D. Pauli, & Io. supra traditum, intelligere præcursores ipsius, & viros Ecclesiam persequentes.

Expositio circa verba Tertulliani.

Quomodo intelligendus S. Cyprianus de propinquitate finis Mundi.

S. Cyprianus Ep. 66. hæc ait: Scite debetis, & pro certo credere, ac tenere, pressuræ diem super caput esse cepisse, & Occasum sæculi, atq; Antichristi tempus appropinquasse, vt parati omnes ad prælium stemus, & reliqua. Quæ consignata fuerunt à Cypriano, diuino afflato spiritu, prçuidente persecutionis cladem sub Gallo, Volusiano, & Valeriano excitatam; Vnde, vt fideles ad martyrium suis præpararet hortamentis, propinquitatem Antichristi, & Mundani Occasus ante oculos proponit, vt ea fortitudine animos firmaret, quæ in certamine cum Antichristo à fidelibus strenuissimè est exercenda, non quod putaret præ foribus Antichristum esse, & sæculi interitum impendere. Propterea subdit post plura; Venit Antichristus, sed superuenit Christus, grassatur, & sæuit inimicus, sed statim sequitur Dominus passiones nostras, & vulnera vindicaturus. Ecce non appropinquantem Antichristum, sed iam ipsius aduentum demonstrat, intelligens nomine Antichristi Gallum, & Volusianum; Sed hoc vtitur nomine, vt milites Christi corroboraret, præpararet, & ad cęleste, ac spiritualecertamen, vel ad ipsum martyrium, fortius animaret.

Quomodo intelligendus alius locus S. Cypriani.

Eodem sensu loquutus est Hilarius Ep. ad fideles contra Auxentium, qua scripsit se in ætatẽ Antichristi incidisse, siquidem Arium, Antichristi præcursorem designabat, qui tum temporis hæreticâ prauitate purissimam Christi fidem fœdabat.

Quomodo intelligendus locus S. Hilarij.

Porrò S. Hieronym. Ep. 11. ad Ageruchiam, hæc scripsit: Verum quid agoꝰ fracta naui de mercibus disputo. Qui tenebat, de medio fit, & non intelligimus Antichristum appropinquare, quem Dominus Iesus Christus interficiet spiritu oris sui; Et quidem Hieronymus innumeras sui sæculi ærumnas contemplatus, hæc scripsisse videtur, & appropinquare Antichristum putauit, quia similia perspiciebat sæcula illis temporibus, quibus ille filius perditionis summa clade vniuersum Orbem afficiet. Igitur hæc appropinquatio à Hieronymo indicata, typicè, & per similitudinem est intelligendam.

Quomodo intelligendus locus S. Hieronymi.

Hac eadem interpretatione legenda sunt verba Chrysost. homil. 33. in Io. de fine Mundi iam aduentãte sic declamantis. Non enim, longè à fine absumus, sed iam Mundus properat, hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta charitas significat. Prætermitto reliqua, quæ ipse aureo eloquij flumine hominum animis instillabat, illud præ oculis potissimum habens, quod fideles animos præpararent ad diem Iudicij, tamquam certum, & proximè venturum, sæcula similia depingens illis, quibus crudelissimo dominatu Antichristi immanitas in fideles debacchabitur.

Quomodo intelligenda verba Io. de fine Mundi.

Quid dicam de S. Bernardi Declamatione, habita serm. 6. in Psalm. 90. quo loco considerans sui sæculi corruptos, & deprauatos mores, Antichristum non longè abesse

Quomodo explicandus S. Bernardus de fine Mũdi

abesse proloquitur. Ipsa, inquit, quoq; Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum transeunt negotium, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum, Ecclesiarum redditus in superfluitatis, & vanitatis vsus dissipantur. Superest, vt reueletur homo peccati filius perditionis. Hoc lachrymarum scilicet fonte caliginosa illa Ecclesiæ sæcula deplorans Bernardus, tantæ infelicitati nil aliud superesse putabat, quam Antichristi Aduentum, non existimauit tamen, proximum esse ipsius accessum, sed quidem homines multa flagitia committentes, ipsi Antichristo satis latam sternere viam. Quare cum multi varijs temporibus præcucurrerint Antichristi ante ambulones, dixerunt PP. non longè subsecuturam esse ipsius Antichristi tyrannidem, non tamen certum, & præfinitum annum, aut diem Aduentus Antichristi, & finalis destructionis designarūt; Vt perperam fecit quidam Florentius Episc. Florentinus, qui suo tempore asserebat, Antichristum natum esse, cōtra cuius errorem anno Domini 1105. coactum fuit à Paschali 2. Romano Pontif. Concilium Florentiæ; Vt fecit Abbas Ioachim, qui vixit circiter annos Domini 1200. & putauit Antichristum intra spatium sexaginta annorum à suo tempore venturum. Vt errauit Petrus Alliacus Cardinalis lib. de Concordia Astronom & Hist. cap. 60. & 61. qui ex Astronomicis calculis arbitratus est Antichristum affuturum anno Domini 1789. Vt grauiter hallucinatus est Nicolaus Cusanus lib. de diebus nouissimis, ausus asserere Antichristi aduentum futurum esse anno Christi 1700. Vt tandem in hunc erroris scopulum impegit Io. Picus in asseit. 9. conclus. coniectans, Antichristum affuturum, anno nostræ salutis 1994. SS. Patres propria de Antichristo pronunciata certi, & determinati temporis erratis non inuoluentes, ipsum solum appropinquare tradiderunt, vt instar solertium speculatorum, ingruentes perspicientesq; mala, animos fidelium in vera fide firmarent, & cū animaduerterent suorum temporum improbitates, atroces in Christianos persecutiones, horrendas hæresū inuasiones, & omnigena mala vniuersum Orbem inundantia, veluti præludia, & signa venturi Antichristi, & imminentis finis Mundi prædicarunt, vnde non culpandi, sed potius excusandi sunt, & celebrandi, quemadmodum non accusandus est S. Vincentius Ferrerius, qui Ep. ad Benedictum Pontif. scripta hæc habet. Tempus Antichristi, & finis Mundi erunt citò, & benè citò, ac valde breuiter. Quæ verba expendens S. Antoninus monet considerandum esse, quod verba à D. Vincentio scripta, & prædicata, opinatiuè, & non assertiuè prolata fuerunt, nec propterea determinasse tempus aduentus Antichristi, sed sub illo verbo, Citò, comprehendi posse tempus modicū, & multum. Ita enim sonant verba Aggæi Prophetæ, cap. 2. in persona Dei loquentis. Adhuc vnum modicum, & ego mouebo Cælum, & Terram, & veniet desideratus cunctis gentibus; Quod oraculum intelligitur de Christo, & tamen illud, Modicum, fuit spatium quadringentorum annorum, & vltra. Ita Io. in Apocalyp. cap. 22. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, loquens de secundo Christi aduentu, nam aduerbium, Citò, in sacris litteris temporis longitudinem importat, & ob id iuxta hunc sensum loquutus est D. Vincentius, qui spiritu diuino percitus, talia verba ad cōmouendas fidelium mentes proferebat.

Et quoniam propinquitati aduentus Antichristi, necnon Mundani interitus, suffragantur verba Christi Matth. 24. Breuiabuntur dies illi, placeat Augustini expositionem super illis verbis afferre, ab ipso Ep. 79. expressam. Si hæc verba, inquit ille, intelligantur de hebdomadibus Danielis, quomodo falsa erit prophetia Danielis, quæ tanta diligentia hebdomadarum numerū definire curauit, vel quomodo prophetia Christi prophetiam destruet Danielis; Quare August. ita interpretatur. Quod dies nouissimus venturus sit intra illud tempus à Deo præfinitum, & vltra tale tempus venire non possit; Itaq; cum tempus Aduentus Domini, & antecedenter Antichristi præfinitum à Deo habeat aliquam latitudinem, dicuntur breuiati dies illi, idest ita constituti, vt intra illud temporis spatium sint inclusi, & non extra possint extendi. Vel asseramus cum eodem August. ep. 80. Illos dies breuiare dictos, vt Deo donante tolerantiam, minus sentirentur, ac sic, quæ magna essent, breuia forent.

Quomodo exponendi Sancti PP. loquentes de fine Mundi.

Error Florentij Episc.

Error Ioachim.

Error Petri Alliaci.

Error Nicolai Cusani.

Error Io. Pici.

Verus SS. Patrum sensus.

Quomodo intelligendus S. Vincentius Ferrerius.

Discrimen inter opinatiuè & assertiuè.

Quid significet hoc vocabulū, modicum, in sacra Scriptura.

Quid significet vocabulū, citò, in Sacra Scriptura.

Expositio S. August. circa verba sacra Scriptura.

Alia expositio S. Augustini.

Rationes, quibus Cornelius existimat finē Mūdi esse proximū.

Vnus inter recentiores P. Cornelius à Lapide Comment. in cap. 20. Apocalypſ. hac oratione validis, vt ipſe arbitratur, rationibus communita vniuerſalis occaſus vicinitatem nititur perſuadere. Verba ipſius huc translata ligātur. Ex dictis liquet, nos valdè accedere ad finem Mundi, cumque non longè abeſſe; Cuius rei multa

Ratio 1. ſunt ſigna. Primum, quod videamus Euangelium iam penè toto Orbe prædicatum, adeòq; ad extremos Sinas penetrari. Se-

Ratio 2. cundum, quod S. Vincentius Ferrerius, qui nuper vixit, mortuus eſt enim anno 1419. aſſeuerantur idipſum prædixerit, & prædicarit, idq; iuſſu Chriſti, vt habet vi-

Ratio 3. ta eius lib. 2. cap. 4. & 5. Tertium, quod apud Turcas cōſtans ſit oraculum, Mahomettis ſectam duraturam mille annos. Hi autem anni iam quaſi expleti ſunt; Huius enim ſectæ videtur vltima fore contra Ec-

Ratio 4. cleſiam perſecutio. Quartum eſt prophetia S. Malachiæ Archiepiſc. Hiberniæ, cuius vitam ſcripſit S. Bernardus, quæ extat apud Arnoldū Vuion in Chronicis Ord. S. Benedicti, ſiue in Ligno vitæ lib. 2. cap. 40. in fine, in qua S. Malachias omnes Romanos Pontifices à ſuo æuo, vſq; ad finem Mūdi futuros, ordine per ſymbola, & emblemata depingit, quæ ſymbola explicauit, & ſingulis Pontificibus vſque ad Clementem Octauum appoſitè adaptauit Alphonſus Ciaconius. In hac enim Prophetia poſt Gregorium Decimumquintum, qui modò præſidet Eccleſiæ numerantur tantum triginta duo Pontifices Romani, vltimuſq; dicitur fore Petrus Romanus. Si enim hæc prophetia vera eſt, tantumq; ſuperſunt 32. Pontifices Romani, ergo ſuperſunt ducenti circiter anni, vſq; ad finē Mundi. Quolibet enim annorum centenario facilè numerātur ſexdecim, imò plu-

Numerus Pontificū. res Pontifices. Vnde à S. Petro hucuſque, id eſt ad annum Domini 1623. numerantur Pontifices 238. quos ſi per annos Domini iam dictos diſtribuas, obuenient cuique Pontifici anni ferè ſeptem. Tot aſſigna cuilibet trigintaduorū, adhuc futurorum, & inuenies totam eorum ſucceſſionem, & durationem explendam annis 224. Si cuique decem des annos, explendi reſtabunt anni 320. Sin ſeptenarijs des fore duplū, explendi erunt anni totidem prçcisè, quot reſtant ad explendum ſextum Mundi millenariū, nimirū 430. Hactenus P. Cornel.

Redigam huius Authoris ſermonem ad capita. Et quidem primum caput, quo appropinquantem Mundi interitum demonſtrare contendit, eſt Euangelij in Vniuerſo Orbe prædicatio. Nos, qui ſequenti cap. de hac materia fusè agemus, compertum faciemus Euangelicam legem nondum per vniuerſum Mūdum eſſe diffuſam, hanc primam Authoris ſententiam in præſentiarum agitare prætermittimus. *Solutio primæ rationis ad aliū locum remittitur.*

Secundum Authoris caput eſt, S. Vincentij Ferrerij à nobis ſupra authoritas allata; de qua cum D. Antonino Florentiæ Archiepiſc. diximus nihil certi, ac firmi de tempore occaſus Mondani à S. Vincentio fuiſſe decretum, ſed tantum opinatiuè affirmatum, vel diuinitus inſpiratum ita locutum fuiſſe ad comminanda populorum peccata, de quibus cum gentes illius æui egerint pœnitentiam dilatum eſt comminatum ſupplicium extremæ deſolationis, iuxta S. Ambroſij effatum: Nouit Deus mutare ſententiam, ſcilicet comminatiuam, ſi tu noueris mutare delictum. *Solutio ſecunda rationis.*

Tertium caput eſt deſtructio Sectæ Mahomettanæ, quam citò futuram Author arbitratur ex prędictione Mahomettis, durationem mille annorum ſuæ ſectæ præſagientis. Lubet hanc rationem tantiſper amplificare. Mahomettes, ex aliquorum ſentētia ſpiritu diuinationis peritus fuit, vel vt alij ſatius autumant, Dæmone obſeſſus nonnulla ventura prædixit, quibus apud vulgares, & imperitos homines plurimum ſibi honoris, ac famæ comparauit; Qui deinde ope Sirij hæretici Neſtoriani legislator effectus, Alchoranum exarauit, in quo mille annorum ſpatio ſuam ſectam feliciter duraturam prodidit, poſt quod temporis decurſum infirmandam, tandemq; delendam eſſe affirmauit. Initium verò Mahomettanæ ſectæ ducendum non eſt ab ortu Mahomettis, qui natus eſt anno Domini 591. ſed ab eo tempore, quo ipſe propriam ſectam tutari cepit, quod factum eſt anno à Chriſti ortu 630. & ſequēti anno ſuæ ætatis quadrageſimo. Mahomettes vita functus ad inferos ſui ſimiles detruſus eſt. Quamobrem nunc temporis ſupra milleſimum decimus iam voluitur annus, quo Turcicam tyrannidem adhuc vigentem, atq; exultantem collachrymamur. Fuere ſani aliqui ex Aſtrologis, qui Turcarum Imperio cladem an- *Amplificatur tertia ratio.* *Quandiu duratura ſecta Turcarum.* *Initium ſecta Turcica.* *Sententia nonnullorū Aſtrologorū de excidio ſecta Turcica.*

no

no 1648. minitati sunt; postremum porrò excidium anno 1663. Sed quo veritatis fulcimento hæc effugiant non satis habeo compertum. Equidem non ignoro Astrologos quamdam contexere, & decantare fabulam, quæ exitium Mahomettanæ tyrannidis præsagiunt, asserũt enim sectam illam indicatam fuisse à Coniunctione maxima Iouis, & Saturni in Scorpione, cum Lunæ complexu, & Martis irradiatione, quæ contigit anno à Creatione Mundi 4272. Quare cum fiet transitus, inquiunt Astromantes à triplicitate aquea, in qua Mahomettica incepit secta, ad triplicitatem igneam, ipsa secta destruetur, quoniam triplicitas ignea aduersans aqueæ contrarios producet effectus.

Ratio Astrologorũ de excidio Turcarũ.

Quoniã verò hæc Coniunctio superiorum Planetarum Iouis, & Saturni post ceptum, & auctum Turcarum Imperium in triplicitate ignea iam facta est, quippè talis Coniunctio post octingentos circiter annos recurrit, vt in Astrologica Disputatione latius explicaui liquet Astrologos propriam leuitatem, & mendacium satis dissimulare non posse, cum adhuc Turcarum potentissimum stet Imperium, & superioribus annis ingẽtem de Persarum Rege victoriam reportauerit. Sed leuissimi astrorum inspectores, cum suis abeant deliramentis, Nosq; asseramus nullam de fine Mundi imminente ex Ottomano Imperio, vel nutante, vel deficiente coniecturam confici posse.

Solutio rationis Astrologiæ de excidio Turcarũ.

CAPVT QVARTVM.

Varia quæsita, & dispositio Auctoris.

Explicantur verba Christi Matthæi 24. Et prædicabitur hoc Euangelium Regni in Vniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio. Disputatur, an tempore Apostolorum Euangelium in Vniuerso Orbe fuerit prædicatum. Concluditur pars negatiua. Quæritur, an in veteris Orbis partibus, Europa, Asia, & Aphrica, iam annunciatum sit Euangelium, & concluditur affirmatiuè. Inuestigatur, an in nouo Orbe, scilicet in America sit prædicatum, adeò vt verum sit iam in Vniuerso Orbe esse annunciatum, & concluditur negatiuè. Quæ Disputationes per sequentes Sectiones diuiduntur.

SECTIO PRIMA.

Versamur in perscrutatione illorum signorum, ex quibus vniuersalis rerum interitus innotescere potest; Et quoniam inter cætera signa à Christo Domino Matth. 24. explicata, Euangelij prædicatio per vniuersum Orbem diffusa, tamquam signum instantis consummationis recensetur, in hac Euangelica prædicatione interpretanda, aliquid operis impendamus necesse est. Et quidem non est dubitandum, quin Redemptor noster per vniuersum Orbem intelligat totam terram ab hominibus habitatam, ita vt per vniuersas regiones, antequam Mundi finis adueniat, lex Euangelica promulganda sit. Ratio verò, ob

Quid significant hæc verba, vniuersus Orbis.

quam vbique terrarum disseminãdum sit Euangelium ante Mundi consummationẽ indicatur à Christo per ea verba; In testimonium omnibus Gentibus, idest, quemadmodum interpretatur Tostatus, vt instificetur apud omnes Gentes, ipsæq; doceantur, & sensus est Christi fidem omnibus omninò Gentibus annunciandam esse in toto simpliciter Orbe, ne aliquæ gentes possent ignoratione Euangelij excusatione propriæ infidelitatis prætexere, si enim ad aliquas rationes prædicatio Euangelica non peruenisset, possent se in supremo Iudicio defendere, se Christiana mysteria non credidisse, quia ipsa non audierunt, idcircò antequam supremus

Cur vbiq; disseminãdum Euãgelium.

deuntes, in quibus pre timore delituerant, excitabunt fideles ad perseuerantiam in Christiana lege, & infideles iam à præstigijs Antichristi delusi ad fidem conuertentur; Vnde beatus, qui tunc superstes erit, quia poterit absque timore Christianam colere Religionem. Verum dies mille trecenti triginta quinque excedunt quadraginta quinque diebus dies iam prædictos 1290. quibus persecutio Antichristi fideles torquebit, & quibus diebus 45. dabitur requies, & tempus illis, qui sub Antichristo defecerunt à fide, adeò vt possint resipiscere, & pœnitere, atq; propriæ animarum saluti consulere; Siquidem id temporis post necē Antichristi à Deo conceditur, vt clarissimum suæ pietatis argumentum; Ita exponentibus Lyrano, Peterio, Cornelio à Lapide, & alijs. Ergo hinc colligitur, quod post dies 1290 dies 45. qui superfuturi sunt, erit vltimum tempus mundanæ ætatis, & his diebus elapsis, immediatè euersio mundana continget. Igitur certò, ac determinatè præfinitur dies Iudicij, quod repugnat sententiæ Christi Matth. 24. De die illa, & hora nemo scit, neq; Angeli Cælorum, nisi solus Pater.

Tempus concessum hominibus à Deo post necē Antichristi.

Nō me latet aliquos Authores per dies 45. accipere annos 45. quos concedendos esse putant illis, qui lapsi sunt propter tyrannidem Antichristi, vt possint post ipsius necem rursus ad Deum se conuertere. Hæc opinio eo fulta est præsidio, quod quemadmodum Iudæis post mortē Christi fluxerunt anni, vel 37. vel 38. vel 40. iuxta diuersam chronologiam, vsque ad excidium Hierosolymæ factum à Tito, vt interiecto illo temporis interuallo Iudæi parricidium à seipsis impiè perpetratum agnoscentes, & detestantes pænitentiam agerent; Ita æquissimum videtur, vt post crudelissimum Antichristi imperium spatium quadraginta quinque annorum detur illis, qui à fide Christiana desiscere coacti sunt. Cæterum hæc opinio est omninò improbanda, quoniam si dies 1290. à Daniele accepti sunt pro diebus, & non pro annis, ex vnanimi interpretum consensu, cur dies 1335. sumendi sunt pro annis, vel cur soli dies 45. pro annis sunt computandi?

Expositio de Diebus 45. pro 45. annis, & eius confirmatio reijcitur.

Hæc dubitatio, quæ ex Danielis oritur Prophetia diluitur à Prophetia Ezechielis cap. 49. qui post necem Og, & Magog, qui cum Antichristo cadentur, ponit tempus septem annorum his verbis. Et egredientur habitatores de Ciuitatibus Israel, & succendent, & comburent arma, clypeum, & hastas, arcum, & sagittas, & baculos manuum, & contos, & succendent ea igni septem annis. Quæ verba exponens P. Cornelius, asserit, quod cæso Antichristo Gog, omniq; eius exercitu extincto, tanta erunt cæsorum spolia, hastæ, & arma, vt Iudæi ex omnibus vrbibus confluant ad ea deripienda; Ad quod præstandum, indigebunt cursu septem annorum, quibus ea igne comburent, & destruent; Ex quo apparet post mortem Antichristi non solum superfuturos esse 45. dies, vt supra ex Daniele retulimus, sed septem annos ad comburenda inimicorum spolia, & ad præstandum tempus pænitentiæ hominibus, qui præ Antichristi tyrannide à Christiana lege recesserunt. Vnde tradidit venerabilis Beda in cap. 2 5. Lucæ, quod tunc in Iudæa nouæ erigentur Ecclesiæ, & nouus Christianæ legis cultus vigebit; Cui consonat id, quod scripsit Lyranus in primum cap. ep. ad Thessalonicen. in hæc verba. Doctores, & Sancti communiter dicunt, quod mortuo Antichristo, & falsitate eius manifesta detecta, omnes gentes ad Christum conuertentur, quamuis id vndequaque veritati consonum non arbitror; quandoquidem multi in sua nequitia permanebunt, quos repentinus Christi aduentus, & Mundi interitus corripiet, & opprimet, non secus ac diluuium eos, qui fuerunt tempore Noe, sicut Dominus testatur Matth. 24. & Luc. 17. At cum paucis diebus, vel annis agere non possint pænitentiam tot gentes, quæ ad Deum conuertentur, putat Sebastianus Baradas tom. 3. lib. 9. cap. 7. §. Non est à probabilitate alienum, aliquot annos superfuturos esse à nece Antichristi ad diem Iudicij. Quod autem solum 45. dies transigere non debeant, non solum apertè demonstrat, tam exiguum tempus insufficiens tot gentibus ad pænitentiam agendam, sed etiam luculenter ostendunt verba Ezechielis cap. præallegato, quibus affirmat Iudæos, & alias gentes, per septem menses à nece Antichristi, & ab occisione Gog quæsitutas esse cadauera Gog ad ea sepelienda. Et sepelierunt, inquit, eos domus Israel, vt mon-

Solutio difficultatis de tempore post necem Antichristi.

Expositio P. Cornelij.

Tempus post necem Antichristi.

Lyranus de statu Mūdi post necē Antichristi.

Sententia Lyrani reijcitur.

Sententia Sebastiani Baradæ de statu rerū occiso Antichristo.

Homeri septenarÿ significatio in sacra Scriptura. vt mundent terram septem mensibus, id est vt eam liberent à fœtore cadauerum; Quare cum in Sacra Scriptura numerus septenarius sumatur pro numero indeterminato ad significandam copiam, & multitudinem, vel dierum, vel annorũ, reor Ezechielem per septem annos, quibus hostium spolia sunt comburenda, multos annos significasse, & per septem menses, quibus sepeliendi sunt cadauera pariter multos menses indicasse. Itaq; iam exploratum *Opinionis confutatio.* est dies dumtaxat 45. à morte Antichristi ad diem Iudicij non superesse; tum quia id repugnat euidẽter oraculis Ezechielis; tum etiam quia, vt animaduertit D. Hieronym. Daniel dicit post mortem Antichristi futurum silentium, & pacem 45. *Vaticiniũ Danielis non præfinit finem Mundi.* diebus. Sed non negat plures fore dies; Quare à verbis Danielis tempus occasus Mundani non præfinitur. Adde Sybillam lib. 3. oraculorum tradidisse, post mortem Antichristi regnaturam fœminã Viduam, quæ aurum, argentum, æs, & ferrum in mare proijciat, tuncq; futurum finem Mundi, ac Iudicij diem; quod sanè demonstrat maiorem temporis longitudinem, quam sit spatium septem annorum. Quo *Sybillæ oraculum de fine Mundi.* Sybillino oraculo tametsi P. Cornelius vtatur, ipsi tamen puto multum fidei non esse adhibendum, quia nihil huic Sybillæ pronunciato consonum in sacris litteris reperio.

Tempus post necem Antichristi ex Ioãne. Non est reticenda explicatio verborum D. Io. quæ valdè cohærent ijs, quæ à nobis hucusq; expostita sunt. Ioannes igitur cap. 11. Apoc. vers. 3. mentionem facit de mille ducentis sexaginta diebus, & asserit, Deum daturum hoc temporis spatium duobus testibus suis, scilicet Enoch, *Enoc, & Elias.* & Eliæ amictis saccis, ad prophetandum, & declamandum contra Antichristum; Quod temporis interuallum notant communiter Interpretes perinde valere, ac três annos cum dimidio. Animaduertendum quidem est cum Ribera mille du- *Expositio Ribera circa tempus præfinitũ a Ioan. de tẽpore per necem Antichristi.* centis sexaginta diebus, vt integrum spatium trium annorum, & dimidij complectatur, deesse octodecim dies; Affert rationem, quia quo tempore Ioannes Apocalypsim scripsit, iam cõputabatur annus iuxta Iulij Cæsaris constitutionem, qui singulis annis trecẽtos sexaginta quinque dies, & sex horas adscripsit; Quoniam verò [illegible] arbitrati Io. Hebræorum more scripsisse, qui vnicuiq; mensi triginta omninò dies, anno verò trecentos sexaginta tribuebant; ideò ad tres annos Iulianos conficiendos, addendos esse octodecim dies perbellè existimauit Ribera, licet id non penitus approbet Alcasar; qui *Expositio Riberæ nõ penitus approbatus.* animaduertens differentiam, quæ est inter Danielem, & Ioannem, quia Daniel enumerat annos mille ducentos nonaginta, *Differẽtia inter Ioannẽ & Danielem.* quibus Antichristus persequetur Ecclesiam, Io. verò mille trecentos sexaginta, quibus contra Antichristum prædicabunt Prophetæ supradicti, notat, inquam, Alcasar, quod Ioannes respicit solum tempus prædicationis Prophetarum, & Daniel *Antichristus superstes per Enoch, & Eliæ mortẽ.* tempus tum prædicationis, tum vitæ Antichristi, qui vno mense superstes erit post Enoch, & Eliæ interitum, & quo mense computato, resultat numerus dierũ 1290.

Expositio Scripturæ. Et animaduerto cum Alcasar in caput 11. Apocalyps. vers. 2. not. 4. spatium trium annorum cum dimidio in Sacris litteris solemne esse ad multa indicanda mysteria, multosq; Diuinæ prouidentiæ effectus; Quocirca hoc tempore vsus est Antiochus, in persequẽda synagoga Elias per tres annos atq; dimidium clausit Cœlum, ne plueret super terram, vt habetur ex 3. Reg. Tanto tempore Iudith pænitentiam egit, & suum corpus ieiunij maceratio, Iudith 8. Christi prædicatio tribus annis cum dimidio ferè durauit, vt persecutio quã contra ipsum gesserunt Iudæi; Neronis vexatio in Christianos eodẽ tẽpore *Neronis vexatio in Christianos.* deseuijt. Cœpit enim Neronis persecutio, vt communis fert opinio, anno vndecimo sui Imperij, & 14. tantum annis imperauit. Quare mirandum non est per hoc temporis spatium supradicta de Antichristo fuisse indicata.

Textus cõcordat Ioã. Consonant huic Io. dicto ea, quæ ab ipso pronunciata sunt cap. 12. Apocalyps. vers. 6. de mulieris fuga in desertum, vt ibi pascant eam diebus mille trecentis sexaginta. Et licet nomine mulieris aliqui, inter quos est Alcasar, accipiãt primitiuã Ecclesiam, quæ tamquam in desertum, se in gentilitatem recepit, & numerus prædictus mysticè ab eodem Authore accipiatur, attamen penitissimus Io. sensus est, *Ecclesia fuga timore Antichristi.* Ecclesiam, contra quam pugnabit Antichristus, instar Draconis, fugituram esse in latibula, ne ipsius acerbissima subeat supplicia, quæ fuga durabit tribus annis

cum

indicare videntur eo tempore cæpisse Antichristum sua flagitia perpetrare, sed nõdum fuisse reuelatum. Sed breuiter sensus ipsorum est, quod Nero, & similes Imperatores mysterium iniquitatis operaturi erant, tamquam typi, & figuræ Antichristi, ideò ipsorum iniqua operatio mysterium appellatur, quemadmodum Apocalyps. 17. Sacramentum, vel mysterium mulieris, quam Io. vidit, significat arcanam repræsentationem mulieris, quæ Romam, & Romanum Imperium significabat. Et quamquam, cum Paulus scribebat hanc Epistolam, nondum imperaret Nero, quippè Epistola scripta fuit anno Christi 53. quo adhuc regnabat Claudius, cui successit Nero anno Christi 57. potest tamen accipi hic locus de Nerone, non vt actu regnante, sed vt proximè regnaturo, & hic est mos Scripturæ sacræ, præsens ponere aliquando ipso futuro, vt alias memini, me obseruasse; Vel dicamus, non solum intelligi Neronem, sed alios Imperatores Romanos, qui Neronem, vel præcesserunt, vel secuti sunt, quique acerbissima tyrannide Christianas gentes afflixerunt; quales fuere C. Caligula, Decius, Heliogabalus, Diocletianus, & alij. Præcipuè verò ab Apostolo intelligitur Nero, tamquam insignis typus, & figura Antichristi, quippè qui omnium vitiorum genere cumulatissimus fuit, & Simonem Magum, suosque asseclas fauoribus prosequutus est; Vnde aliquorum est interpretatio, Paulum per mysterium iniquitatis Simonem Magum, tamquam præcursorem Antichristi, denotasse. Sensus igitur Pauli est. Tantum, vt qui tenet nunc, teneat; donec de medio fiat, idest necesse est, vt Nero, & similes typi Antichristi ipsum præcurrant, donec de medio tollantur, & Antichristus adueniat; Vel sensus est, quod Nero, & cæteri Romani Imperatores teneant Imperium, donec illud euertatur, & è medio tollatur; Nam, vt infra dicam, Romanũ Imperium prius destructur, & postea Antichristi erit accessus, atq; ita hunc locum interpretantur Chrysostomus, Theophylactus, & alij PP. Prudenter verò, & data opera, obscuro sermone vsus est Paulus, ne indicans Romani Imperij destructionem, aut Neronem, aut cæteros imperantes aduersus Christianos concitaret; Non hinc tamen

Sẽsus verborũ Pauli

Ponere tẽpus præsens pro futuro mos cũ sacra Scripturæ.

Expositio aliorũ circa verba Pauli.

Sẽsus verborũ Pauli.

Alius sensus Pauli.

Cur Paulus obscurè fuerit loquutus.

putandum est, vt aliqui perperam senserunt, vel Neronem à Paulo præcipuè indicatum, non esse mortuum, vel sanè in fine Mundi resuscitandum, vt ipse Antichristi subeat officium, quemadmodum multi veterum autumarunt, testantibus D. Hieronymo in cap. 11. Danielis, & D. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 19. cuius verba sunt hæc. Nonnolli Neronem resurrecturum, & futurum Antichristũ suspicantur, alij verò nec eum occisum putant, sed subtractũ potius, cum putaretur occisus, & viuum occultari in vigore eius ætatis, in qua fuit, cum crederetur extinctus, donec suo tempore reueletur, & restituatur in Regnum, sed multum mihi mira est hæc opinantium præsumptio. Sic Augustinus. Vnde satis mirari nequeo tam falsam opinionem approbatam fuisse à Seuero Sulpic. lib. 2. Hist. cum certum sit ex Suetonio, Tacito, & alijs Neronem fuisse occisum, resurrecturum verò, & Antichristi partes acturum, neque Paulus, neque alius Propheta prædixit.

Error nonnullarum reiectus de Nerone.

Quoniam verò tota suspitio de propinquitate consummationis sæculi oritur ex vsurpatione verborum, quæ in sacris litteris adhibentur, nimirum, Nouissimum tempus, Nouissima hora, sciendum est, tempus Euangelicæ legis vltimum esse, & aliud tempus post ipsum non esse successurum. Etenim lex scripta successit legi naturæ, & legi Moysi traditæ successit lex Euangelica, cui altera non succedet; Ideò tempora Euangelicæ fidei appellãtur nouissima, postrema, consummatio sæculorum; Quamobrem, cum finita hac ætate legis Euangelicæ, alia ætas succedere nequeat, dicitur propinquus aduentus Christi, in ordine ad hanc ætatem, quæ est vltima, & postquam nulla est spes, vt Iudicium, & finis Mundi differatur; Quare cum nomine nouissimi diei, nouissimi temporis, & nouissimæ horæ describatur tempus noui testamenti, & legis gratiæ, vt obseruant Hieronym. Lyranus, & Rebera, rectè sęculi consummatio per hęc nouissima indicatur, quoniam tẽpore Euangelij, & Christianæ legis, & hoc gratię seculo debet ipsa consummatio contingere, non quod vniuersalis mutatio per hęc nomina nouitatem pręseferentia, propinqua significetur. Addo Apostolos, dies nouissimos vocare illa temporum spatia, quę

Lex euangelica cum vltima.

Quid significet tẽpus nouissimũ.

Quid sint dies nouissimi apud Apostolos

post se ventura erant, iuxta illud Pauli 1. ad Timot.4. Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, Idest post tempora Pauli, in quibus multi hæretici prauis opinionibus Christianam fidem, & veritatem labefactate conati sunt; Et hæc explicatio, tamquam regula adhibenda est, ad respondendum ijs, quæ ex sacris litteris finalis consummationis proximitatem demonstrare præsumunt.

Expositio memoria tenenda.

Quomodo intelligendi Patres de propinquitate finis Mũdi.

Equidem inficiari non possum, multos ex SS. Patribus, & Scriptoribus Ecclesiasticis Mundanæ euersionis propinquitatem suis scriptis decantasse, quod tamen qua ratione sit accipiendum, & interpretandum, infrà breuiter explicabo. Tertullianus lib. de fuga in persecutione, quem, vt Annales Ecclesiastici adnotarũt, & Schollastes Pamelius obseruat, vltimo Seueri Anno conscripsit, hæc cap.2. tradidit. Cum igitur nihil nobis Cæsar indixerit in hunc modum stipendiariæ sectæ, sed nec indici vmquam tale quid possit, Antichristo iam instante, & in sanguinem, non in pecunias, hiante Christianũ; Qua loquẽdi ratione indicat Tertullianus, Antichristi tyrannidem iam imminere, sed re vera Tertullianus, quoniam tunc temporis hauserit Montani venenum, iacula reprehensionis aduersus eos retorquet, qui persecutionem data pecunia redimebant, quod tamen licuisse, & licitè compertissimum est. Atque vt negotium grauius constitueret, dixit, Antichristum instare; Vel dicendum est nomine Antichristi iuxta sensum D. Pauli, & Io. supra traditum, intelligere præcursores ipsius, & viros Ecclesiam persequentes.

Expositio circa verba Tertulliani.

Quomodo intelligendus S. Cyprianus de propinquitate finis Mundi.

S. Cyprianus Ep.66. hæc ait: Scire debetis, & pro certo credere, ac tenere, pressuræ diem super caput esse cepisse, & Occasum sæculi, atq; Antichristi tempus appropinquasse, vt parati omnes ad prælium stemus, & reliqua. Quæ consignata fuerunt à Cypriano, diuino afflato spiritu, præuidente persecutionis cladem sub Gallo, Volusiano, & Valeriano excitatam; Vnde, vt fideles ad martyrium suis præpararet hortamentis, propinquitatem Antichristi, & Mundani Occasus ante oculos proponit, vt ea fortitudine animos firmaret, quæ in certamine cum Antichristo à fidelibus strenuissimè est exercenda, non quod putaret præ foribus Antichristum esse, & sæculi interitum impendere. Propterea subdit post plura; Venit Antichristus, sed superuenit Christus, grassatur, & sæuit inimicus, sed statim sequitur Dominus passiones nostras, & vulnera vindicaturus. Ecce non appropinquantem Antichristum, sed iam ipsius aduentum demonstrat, intelligens nomine Antichristi Gallum, & Volusianum; Sed hoc vtitur nomine, vt milites Christi corroboraret, præpararet, & ad cęleste, ac spirituale certamen, vel ad ipsum martyrium, fortius animaret.

Quomodo intelligendus alius locus S. Cypriani.

Eodem sensu loquutus est Hilarius Ep. ad fideles contra Auxentium, qua scripsit se in ætatẽ Antichristi incidisse, siquidem Arium, Antichristi præcursorem designabat, qui tum temporis hæreticá prauitate purissimam Christi fidem fædabat.

Quomodo intelligendus locus S. Hilary.

Porrò S. Hieronym Ep.11. ad Ageruchiam, hæc scripsit: Verum quid ago? fracta naui de mercibus disputo. Qui tenebat, de medio fit, & non intelligimus Antichristum appropinquare, quem Dominus Iesus Christus interficiet spiritu oris sui; Et quidem Hieronymus innumeras sui sæculi ærumnas contemplatus, hæc scripsisse videtur, & appropinquare Antichristum putauit, quia similia perspiciebat sæcula illis temporibus, quibus ille filius perditionis summa clade vniuersum Orbem afficiet. Igitur hæc appropinquatio à Hieronymo indicata, typicè, & per similitudinem est intelligendam.

Quomodo intelligendus locus S. Hieronymi.

Hac eadem interpretatione legenda sunt verba Chrysost. homil. 33. in Io. de fine Mundi iam aduentãre sic declamantis. Non enim, longè à fine absumus, sed iam Mundus properat, hoc bella, hoc afflictiones, hoc terræmotus, hoc extincta charitas significat. Prætermitto reliqua, quæ ipse aureo eloquij flumine hominum animis instillabat, illud præ oculis potissimum habens, quod fideles animos præpararent ad diem Iudicij, tamquam certum, & proximè venturum, sæcula similia depingens illis, quibus crudelissimo dominatu Antichristi immanitas in fideles debacchabitur.

Quomodo intelligenda verba Io. de fine Mundi.

Quid dicam de S. Bernardi Declamatione, habita serm.6. in Psalm.90. quo loco considerans sui sæculi corruptos, & deprauatos mores, Antichristum non longè abesse

Quomodo explicandus S. Bernardus de fine Mũdi

abesse

abesse proloquitur. Ipsa, inquit, quoq; Ecclesiasticæ dignitatis officia in turpem quæstum, & tenebrarum transeunt negotium, nec in his salus animarum, sed luxus quæritur diuitiarum, Ecclesiarum redditus in superfluitatis, & vanitatis vsus dissipantur. Superest, vt reueletur homo peccati filius perditionis. Hoc lachrymarum scilicet fonte caliginosa illa Ecclesiæ sæcula deplorans Bernardus, tantæ infelicitati nil aliud superesse putabat, quam Antichristi Aduentum, non existimauit tamen, proximum esse ipsius accessum, sed quidem homines multa flagitia committentes, ipsi Antichristo satis latam sternere viam. Quare cum multi varijs temporibus præcenterint Antichristi ante

Quomodo exponendi Sancti PP. loquentes de fine Mundi.

ambones, dixerunt PP. non longè subsecuturam esse ipsius Antichristi tyrannidem, non tamen certum, & præfinitum annum, aut diem Aduentus Antichristi, & finalis destructionis designarũt; Vt per-

Error Fluentij Episc.

peram fecit quidam Fluentius Episc. Florentinus, qui suo tempore asserebat, Antichristum natum esse, cõtra cuius errorem anno Domini 1105. coactum fuit à Paschali 2. Romano Pontif. Concilium Flo-

Error Ioachim.

rentiæ; Vt fecit Abbas Ioachim, qui vixit circiter annos Domini 1200. & putauit Antichristum intra spatium sexaginta annorum à suo tempore venturum. Vt er-

Error Petri Alliaci.

rauit Petrus Alliacus Cardinalis lib. de Concordia Astronom. & Hist. cap. 60. & 61. qui ex Astronomicis calculis arbitratus est Antichristum affuturum anno Domini 1789. Vt grauiter hallucinatus est

Error Nicolai Cusani.

Nicolaus Cusanus lib. de diebus nouissimis, ausus asserere Antichristi aduentum futurum esse anno Christi 1700. Vt tandem in hunc erroris scopulum impegit Io.

Error Io. Pici.

Picus in assert. 9. conclus. coniectans, Antichristum affuturum, anno nostræ salutis

Verus SS. Patrum sensus.

1994. SS. Patres propria de Antichristo pronunciata certi, & determinati temporis erratis non inuoluentes, ipsum solum appropinquare tradiderunt, vt instar solertium speculatorum, ingruentes perspicientes mala, animos fidelium in vera fide firmarent, & cũ animaduerterent suorum temporum improbitates, atroces in Christianos persecutiones, horrendas hæresũ inuasiones, & omnigena mala vniuersum Orbem inundantia, veluti præludia, & signa venturi Antichristi, & imminentis finis Mundi prædicarunt, vnde non culpandi, sed potius excusandi sunt, & celebrandi, quemadmodum non accusandus est S. Vincentius Ferrerius, qui Ep. ad

Quomodo intelligendus S. Vincentius Ferrerius.

Benedictum Pontif. scripta hæc habet. Tempus Antichristi, & finis Mundi erunt citò, & benè citò, ac valde breuiter. Quæ verba expendens S. Antoninus monet considerandum esse, quod verba à D. Vincentio scripta, & prædicata, opinatiuè, & non assertiuè prolata fuerunt, nec prop-

Discrimen inter opinatiuè & assertiuè.

terea determinasse tempus aduentus Antichristi, sed sub illo verbo, Citò, comprehendi posse tempus modicũ, & multum. Ita enim sonant verba Aggæi Prophetæ, cap. 2. in persona Dei loquentis: Adhuc vnum modicum, & ego mouebo Cælum, & Terram, & veniet desideratus cunctis

Quid significet hoc vocabulũ, modicum, in sacra Scriptura.

gentibus; Quod oraculum intelligitur de Christo, & tamen illud, Modicum, rursus fuit spatium quadringentorum annorum, & vltra. Ita Io. in Apocalyp. cap. 22. Ecce venio citò, & merces mea mecum est, loquens de secundo Christi aduentu, nam

Quid significet vocabulũ, citò, in Sacra Scriptura.

aduerbium, Citò, in sacris litteris temporis longitudinem importat, & ob id iuxta hunc sensum loquutus est D. Vincentius, qui spiritu diuino percitus, talia verba ad cõmouendas fidelium mentes proferebat.

Expositio S. August. circa verba sacra Scriptura.

Et quoniam propinquitati aduentus Antichristi, necnon Mundani interitus, suffragantur verba Christi Matth. 24. Breuiabuntur dies illi, placeat Augustini expositionem super illis verbis afferre, ab ipso Ep. 79. expressam. Si hæc verba, inquit ille, intelligantur de hebdomadibus Danielis, quomodo falsa erit prophetia Danielis, quæ tanta diligentia hebdomadatum numerũ definire curauit, vel quomodo prophetia Christi prophetiam destruet Danielis; Quare August. ita interpretatur. Quod dies nouissimus venturus sit intra illud tempus à Deo præfinitum, & vltra tale tempus venire non possit; Itaq; cum tempus Aduentus Domini, & antecedentes Antichristi præfinitum à Deo habeat aliquam latitudinem, dicuntur breuiati dies illi, idest ita constituti, vt intra illud temporis spatium sint inclusi, & non

Alia expositio S. Augustini.

extra possint extendi. Vel afferamus cum eodem August. ep. 80. Illos dies breuiare dictos, vt Deo donante tolerantiam, minus sentirentur, ac sic, quæ magna essent, breuia forent.

Rationes, quibus Cornelius existimat finē Mūdi esse proximum. Vnus inter recentiores P. Cornelius à Lapide Comment. in cap. 20. Apocalypſ. hac oratione validis, vt ipſe arbitratur, rationibus communita vniuerſalis occaſus vicinitatem nititur perſuadere. Verba ipſius huc translata ligātur. Ex dictis liquet, nos valdè accedere ad finem Mundi, cumque non longè abeſſe; Cuius rei multa *Ratio 1.* ſunt ſigna. Primum, quod videamus Euangelium iam penè toto Orbe prædicatum, adeòq; ad extremos Sinas penetrari. *Ratio 2.* Secundum, quod S. Vincentius Ferrerius, qui nuper vixit, mortuus eſt enim anno 1419. aſſeuerantur idipſum prædixerit, & prædicarit, idq; iuſſu Chriſti, vt habet vita eius lib. 2. cap. 4. & 5. *Ratio 3.* Tertium, quod apud Turcas cōſtans ſit oraculum, Mahometis ſectam duraturam mille annos. Hi autem anni iam quaſi expleti ſunt; Huius enim ſectæ videtur vltima fore contra Ec- *Ratio 4.* cleſiam perſecutio. Quartum eſt prophetia S. Malachiæ Archiepiſc. Hiberniæ, cuius vitam ſcripſit S. Bernardus, quæ extat apud Arnoldū Vuion in Chronicis Ord. S. Benedicti, ſiue in Ligno vitę lib. 2. cap. 40. in fine, in qua S. Malachias omnes Romanos Pontifices à ſuo æuo, vſq; ad finem Mūdi futuros, ordine per ſymbola, & emblemata depingit, quæ ſymbola explicauit, & ſingulis Pontificibus vſque ad Clementem Octauum appoſitè adaptauit Alphonſus Ciaconius. In hac enim Prophetia poſt Gregorium Decimumquintum, qui modò præſidet Eccleſiæ numerantur tantum triginta duo Pontifices Romani, vltimuſq; dicitur fore Petrus Romanus. Si enim hæc prophetia vera eſt, tantumq; ſuperſunt 32. Pontifices Romani, ergo ſuperſunt ducenti circiter anni, vſq; ad finē Mundi. Quolibet enim annorum centenario facilè numerātur ſexdecim, imò plu- *Numerus Pontificū.* res Pontifices. Vnde à S. Petro hucuſque, idest ad annum Domini 1623. numerantur Pontifices 238. quos ſi per annos Domini iam dictos diſtribuas, obuenient cuique Pontifici anni ferè ſeptem. Tot aſſigna cuilibet trigintaduorū, adhuc futurorum, & inuenies totam eorum ſucceſſionem, & durationem explendam annis 224. Si cuique decem des annos, explendi reſtabunt anni 320. Sin ſeptenarijs des fore duplū, explendi erunt anni totidem preciſè, quot reſtant ad explendum ſextum Mundi millenariū, nimirū 430. Hactenus P. Cornel.

Solutio primæ rationis ad aliū locum remittitur. Redigam huius Authoris ſermonem ad capita. Et quidem primum caput, quo appropinquantem Mundi interitum demonſtrare contendit, eſt Euangelij in Vniuerſo Orbe prædicatio. Nos, qui ſequenti cap. de hac materia fusè agemus, compertum faciemus Euangelicam legem nondum per vniuerſum Mūdum eſſe diffuſam, hanc primam Anthoris ſententiam in præſentiarum agitare prætermittimus.

Solutio ſecunda rationis. Secundum Authoris caput eſt, S. Vincentij Ferrerij à nobis ſupra authoritas allata; de qua cum D. Antonino Florentiæ Archiepiſc. diximus nihil certi, ac firmi de tempore occaſus Mundani à S. Vincentio fuiſſe decretum, ſed tantum opinatiuè affirmatum, vel diuinitus inſpiratum ita locutum fuiſſe ad comminanda populorum peccata, de quibus cum gentes illius æui egerint pęnitentiam dilatum eſt comminatum ſupplicium extremæ deſolationis, iuxta S. Ambroſij effatum: Nouit Deus mutare ſententiam, ſcilicet comminatiuam, ſi tu noueris mutare delictum.

Amplificatur tertia ratio. Tertium caput eſt deſtructio Sectæ Mahomettanæ, quam citò futuram Author arbitratur ex prędictione Mahomettis, durationem mille annorum ſuæ ſectæ præſagientis. Lubet hanc rationem tantiſper amplificare. Mahomettes, ex aliquorum ſentētia ſpiritu diuinationis percitus fuit, vel vt alij ſatius autumant, Dæmone obſeſſus nonnulla ventura prædixit, quibus apud vulgares, & imperitos homines plurimum ſibi honoris, ac famæ comparauit; Qui deinde ope Sirij hæretici Neſtoriani *Quandiu duratura ſecta Turcarum.* legiſlator effectus Alkhoranum exarauit, in quo mille annorum ſpatio ſuam ſectam feliciter duraturam prodidit, poſt quod temporis decurſum infirmandam, tandemq; delendam eſſe affirmauit. Initium verò Mahomettanæ ſectæ ducendum non *Initium ſecta Turcica.* eſt ab ortu Mahomettis, qui natus eſt anno Domini 591. ſed ab eo tempore, quo ipſe propriam ſectam tutari cepit, quod factum eſt anno à Chriſti ortu 630. & ſequēti anno ſuæ ætatis quadrageſimo Mahomettes vita functus ad inferos ſui ſimiles detruſus eſt. Quamobrem nunc tem- *Sententia nonnullorū Aſtrologorū de excidio ſecta Turcica.* poris ſupra milleſimum decimus iam voluitur annus, quo Turcicam tyrannidem adhuc vigentem, atq; exultantem collachrymamur. Fuere ſani aliqui ex Aſtrologis, qui Turcarum Imperio cladem an-

no 1648. minitati sunt; postremum porrò excidium anno 1663. Sed quo veritatis fulcimento hæc effugiant non satis habeo compertum. Equidem non ignoro Astrologos quamdam contexere, & decantare fabulam, qua exitium Mahomettanæ tyrannidis præsagiunt, asserūt enim sectam illam indicatam fuisse à Coniunctione maxima Iouis, & Saturni in Scorpione, cum Lunæ complexu, & Matris irradiatione, quæ contigit anno à Creatione Mundi 4272. Quare cum fiet transitus, inquiunt Astromantes à triplicitate aquea, in qua Mahomettica incepit secta, ad triplicitatem igneam, ipsa secta destruetur, quoniam triplicitas ignea aduersans aqueæ contrarios producet effectus.

Ratio Astrologorū de excidio Turcarū.

Quoniā verò hæc Coniunctio superiorum Planetarum Iouis, & Saturni post ceptum, & auctum Turcarum Imperium in triplicitate ignea iam facta est, quippè talis Coniunctio post octingentos circiter annos recurrit, vt in Astrologica Disputatione latius explicaui liquet Astrologos propriam leuitatem, & mendacium satis dissimulare non posse, cum adhuc Turcarum potentissimum stet Imperium, & superioribus annis ingētem de Persarum Rege victoriam reportauerit. Sed leuissimi astrorum inspectores, cum suis abeant deliramentis, Nosq; asseramus nullam de fine Mundi imminente ex Ottomano Imperio, vel nutante, vel deficiente coniecturam confici posse.

Solutio rationis Astrologiæ de excidio Turcarū.

CAPVT QVARTVM.

Varia quæsita, & dispositio Auctoris.

Explicantur verba Christi Matthæi 24. Et prædicabitur hoc Euāngelium Regni in Vniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio. Disputatur, an tempore Apostolorum Euangelium in Vniuerso Orbe fuerit prædicatum. Concluditur pars negatiua. Quæritur, an in veteris Orbis partibus, Europa, Asia, & Aphrica, iam annunciatum sit Euangelium, & concluditur affirmatiuè. Inuestigatur, an in nouo Orbe, scilicet in America sit prædicatum, adeò vt verum sit iam in Vniuerso Orbe esse annunciatum, & concluditur negatiuè. Quæ Disputationes per sequentes Sectiones diuiduntur.

SECTIO PRIMA.

Versamur in perscrutatione illorum signorum, ex quibus vniuersalis rerum interitus innotescere potest; Et quoniam inter cætera signa à Christo Domino Matth. 24. explicata, Euangelij prædicatio per vniuersum Orbem diffusa, tamquam signum instantis consummationis recensetur, in hac Euangelica prædicatione interpretanda, aliquid operis impendamus necesse est. Et quidem non est dubitandum, quin Redemptor noster per vniuersum Orbem intelligat totam terram ab hominibus habitatam, ita vt per vniuersas regiones, antequam Mundi finis adueniat, lex Euangelica promulganda sit. Ratio verò, ob

Quid significant hæc verba, vniuersus Orbis.

quam vbique terrarum disseminādum sit Euangelium ante Mundi consummationē indicatur à Christo per ea verba; In testimonium omnibus Gentibus, idest, quemadmodum interpretatur Tostatus, vt iustificetur apud omnes Gentes, ipsisq; doceantur, & sensus est Christi fidem omnibus omninò Gentibus in toto simpliciter Orbe, ne aliquæ gentes possent ignoratione Euangelij excusatione propriæ infidelitatis prætexere, si enim ad aliquas nationes prædicatio Euangelica non peruenisset, possent se in supremo Iudicio defendere, se Christiana mysteria non credidisse, quia ipsa non audierunt, idcircò antequam supremus Iudicij

Cur vbiq; disseminandum Euāgelium.

Secunda ratio prædicationis Euāgelicæ per vniuersum Orbē. Iudicij dies accedat, & Mundi exitium, indicat Christus Dominus Euāgelicæ doctrinæ promulgationem per vniuersum Orbem. Adijcitur altera ratio, quia cum Christo, & sub eius Imperio promissæ sint omnes rationes, iuxta Psalm.71. Dominabitur à mari vsq; ad mare, & à flumine vsque ad terminos orbis terrarum; & Psalm.85. Omnes Gentes quascumq; fecisti; venient, & adorabunt coram te Domine, & Psal. 2. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuā terminos terræ, necesse est, Euangelium vbique terrarum diffundi, & celebrari, vt media prædicatione Euangelica, omnes gentes imperio Christi subdantur. *Dubitatio circa sacrā Script.*

Sed dubitandum est, an hæc verba Christi significent, post prædicationem Euangelij in vniuerso Orbe secuturam, finalem consummationem immediatè futuram esse, an verò post aliquod temporis interuallum; Etenim videtur hoc esse signum proximum, & demonstratiuum finalis interitus imminētis; Siquidem Apostoli interrogarūt Christum de signis consummationis sæculi his verbis, Quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Et Christus inter alia signa, Euangelij posuit promulgationē. Quare si hoc signum non est immediatè executioni demandandum, ante ipsius aduentum, & sæculi consummationem, videtur inanis responsio, eò magis, quòd si inter prædicationem Euangelij, & Mundi interitum intercedat tempus, non erit propriè signū, cuius natura est significare tem quasi cum signo coniunctam; Nihilominus cum Maldonato asserendum est, solum verba Christi significare, non ante futurum Mundi interitum, si primum Euangelium in toto Orbe non fuerit annunciatum, non quod Euangelicam prædicationem factam in vniuerso Orbe, immediatè subsecutura sit consummatio sæculorum. *Prædicatio Euangelij est vnum ex signis indicantibus finē Mūdi.* *Sententia Maldonati circa verba sac. Script.*

Et id mihi videtur hæc ratio conuincere; quod si post prędicationē Euangelicam in vniuersis Mundi oris immineret, & instaret Mundi excidium Angeli, quibus compertum erit, vbique terrarum diffusum esse Euangelium, scient certò, & infallibiliter prædefinitum tempus consummationis Mundanæ aduersus verba Christi Domini Matth. 24. De die autem illa nemo scit, neque Angeli Cælorum; Quare post Euangelicam vniuersalem prædicationem, adhuc incertum erit tempus, quo Mundana vniuersalis clades contingent. *Angeli ignorāt finē Mūdi.*

Consonat testimonium Augustini Ep.78. ita loquentis. Vnde si iam nobis certissimè nunciatum fuisset in omnibus gentibus Euangelium prædicari, nec sic possumus dicere, quantum temporis remaneret vsque ad finem, sed magis magisq; iam appropinquare meritò diceremus, & fusiùs idem August. in Ep. eadem exponens verba supradicta Matthæi. Et tunc veniet consummatio, ita interpretatur. Tunc veniet; Quid est nisi ante non veniet? Quantò post ergo veniat, incertum nobis est, ante tamen non esse venturum dubitare vtique non debemus; Si ergo susciperent hunc laborem serui Dei, vt peragraro orbe terrarum, quantum possent colligerent, quod remansit gentium, vbi nondum est Euangelium prædicatum, hinc aduertere vtcumque possemus, quantum hoc tempus longè sit à fine sæculi; Quod si propter quædam loca inaccessibilia, & inhospita fieri posse non creditur, vt à seruis Dei peragretur Orbis, & quot quantæq; sint adhuc Gentes sine Christi Euangelio fideliter renuncietur, multò minus existimo in scripturis posse comprehendi, quanta vsque ad finem futura sint tempora, quandoquidem in eis legimus; Nemo potest cognoscere tempora, quæ Pater posuit in sua potestate. Hactenus Augustinus. *Incertum est tempus finis Mūdi post vniuersalem prædicationē Euāgely.* *Sententia S. August. circa verba Christi.* *Non vbiq; est prædicatum Euangeliū.*

Præterea sciendum est, hanc Euangelij, de qua Christus loquitur, promulgationē, non ita esse in toto Orbe adimplendam, vt antequam adueniat Dominus, & Mundus pereat, vno & eodem tempore vniuersus terrarum Orbis simul Euāgelicam Religionem amplectatur. Sed sat est, vt in diuersis temporibus Euangelica tuba inter nationes Mundi præcipuas insonuerit, ne gentes possent ignorantiæ excusationem obtendere, & adhærere Antichristo, quia de Christo, vero Messia, & filio Dei, notitiam non habuerunt. Itaque non opus est, vt tunc temporis apud omnes Mūdi nationes Euangelica lex vigeat, sed sufficit, vt aliquando viguerit, quamuis per apostasiam, paganismum, schismata, & hæreticas prauitates à fide orthodoxa multæ nationes defecerint, quæ non erunt excusandæ, quoniam cum lumen ipsis præfulserit, se tenebris inuolutarunt, & in lumine ipso caligare statuerunt. *Sēsus verborū Christi de vniuersali prædicatione Euangelij.*

SE.

SECTIO SECVNDA.

An prædicatum sit Euangelium in vniuerso Orbe Apostolorum tempore.

EXplicatis Christi Domini verbis de prædicatione Euangelica, ante consummationem seculi adimplenda, nec non explicato, an hoc sit signum aduentus immediati ipsius Christi supremi Iudicis, proximè sequitur, vt disquiramus, an hoc Seruatoris nostri oraculum sit impletum, & præsertim an Apostolorũ tempore, per vniuersum Orbem prædicatum sit Euangelium. Et quidem affirmatiuam partem suadere videtur verba eiusdem Domini Marci 16. ita suos Apostolos alloquentis, eisq; præcipientis. Euntes in Mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturę, vel vt est apud Matth. 28. Docete omnes gentes; Quamobrem credendum est ab Apostolis mandatum Domini impletum fuisse, & Apostolorum tempore, iam per vniuersum Orbem denunciatũ fuisse Euangelium: Confirmant verba Pauli ad Roman. 10; Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Vult enim Paulus eo loco protestari nullum siue Gentilem, siue Iudæum posse causam suæ infidelitatis afferre, eò quod ad ipsum non peruenerit Euãgelium, asserens ad omnes omninò gentes iam perrexisse. Quæ Pauli Epistola scripta fuit, anno 4. Neronis, qui fuit quinquagesimus octauus à Christi ortu, & vigesimus quartus à Domini passione. Huc spectant verba eiusdem Pauli ad Colossens. cap. 1. In verbo veritatis Euangelij, quod peruenit ad vos, sicut & in vniuerso Mundo est, & fructificat, & crescit; Et infra, immobiles à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatum est in vniuersa creatura, quæ sub cælo est; & ad Romanos cap. 1. Fides vestra annunciatur in vniuerso Mundo.

Quæstio præsens.

Ratio affirmatiua.

Ratio 2.

Tertia ratio.

Quarta ratio.

Innuunt vniuersalem Euangelij prædicationem, Apostolorum tempore ea, quæ describuntur in Actibus Apost. cap. 2. de missione Spiritus Sancti in Apostolos, cuius Spiritus Sancti linguæ, ita Apostolos docuerunt, vt omnibus linguis loquerentur, vel saltem infinitæ gentes ipsorum linguas intelligerent. Vnde hæc habentur: Nonne ecce isti omnes, qui loquuntur Galilæi sunt? & quomodo audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi, & Medi, & Helamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Ægyptum, & partes Lybiæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani; Iudæi quoque, & Proselyti, Cretes, & Arabes audiuimus eos loquentes nostris linguis magnalia Dei. Et quamuis hæc verba vniuersas Mundi nationes non representent, tamen magnam orbis partem ipsius Euangelij primordijs Christianam fidem audiuisse declarant. Atq; vt rem propius attingamus; Illo eodem anno, quo Spiritus Sanctus in Apostolos cælitus missus est, ipsimet Apostoli Hierosolymis profecti, in vniuersũ Mũdum abierunt, non sortitione illicita, vt Socrates, & alij perperam autumant, neq; pro ratione linguarum, prout nonnulli asseuerant, sed peculiari instinctu Spiritus Sancti; Petro primarchio disponente, & iubente. Hinc Ioannes Zebedei filius in Asiam minorem migrauit, vt testatur Eusebius lib. 3. easq; Prouincias, in quibus etiam Petrus Euangelium prædicauerat, pluresq; Ecclesias erexerat, prædicatione Euangelicæ veritatis excoluit; Inter illas septem Ecclesiæ Asianæ numerantur, quæ sunt Ephesina, Smyrnensis, Pergamensis, Thiatyrena, Sardensis, Philadelphia, & Laodicena, reliquas verò Ecclesias ipse Ioannes fundauit. Nihil dicam de Iacobo Zebedei, qui ex Hispania redux, vbi Christianam fidem prædicauit. Hierosolymis ab Herode cæsus est, vt S. Lucas apertè testatur. Thomas Persas, Brachmanas, Medos, Indos, aliasq; nationes finitimas ad Christi fidem conuertit, referente Theodoreto lib. 9. de veritate Euangelica. Ad Æthyopiam perrexisse, Æthyopasq; dealbasse, testis est Chrysostomus Hom. de duodecim Apost. & ad Taprobanam insulam venisse,

Quinta ratio.

Error Socratis, & aliorum.

Quæ loca inuiserit Ioannes Zebedei filius.

Mors Iacobi Zebedei.

Quæ loca inuiserit Thomas prædicans Euangeliũ.

tradit

tradit Nicephorus lib. 2.cap. 40. & qui apud Indos reperti sunt Christiani in regione Narsingensium, affirmant antiqua traditione statutum esse, Thomam Apostolum in illis regionibus Euangelium prædicasse, Ecclesias erexisse, & multa ad Christianorum institutionem constituisse. *Quibus locis prædicauerit Andreas Euangeliū Dei.* Qua de re infrà aliquid subnectam. Andreas ad Scythas missus est, inde Græciā, & Epirum descendit; hinc Thraciam, Macedoniam, Thessaliam, & Achaiam peragrauit, ibiq; prædicationibus,& prodigijs Christum glorificans tandem à Proconsule Ægea in Crucem actus est. *Mors Andreæ.* Authores sunt Origenes lib. 3. in Genes. Euseb. lib. 3. cap. 1. Nazianzenus orat. in Arianos. *Loca, quæ inuisum Philippus prædicādo.* Philippus Asiam superiorem, & aliquam partem Scythiæ Euangelij semine conseruit,& vna cum Bartholomæo, aliquo temporis spatio prædicauit; Demum Hierapoli martyrium subijt. *Mors Philippi.* Bartholomæus verò in maiorem Armeniam profectus, Lycaonas eius Prouinciæ populos veritatem *Loca Bartholomæi prædicantis.* docuit Euangelij, Albanos etiā, Sophron citerioremq; Indiam penetrauit. Matthæus ad Æthyopiam accessit, & Simon Chananæus in Mesopotamiam profectus, *Matthæus* Euangelium ibi prædicauit, & in Perside quoq; penetrauit ex Theodoreto de curandis Græcan. affect. lib. 9. *Iudas Thadeus.* Iudas Thadęus, Edessenis, & Mesopotamijs prædicauit, vt refert Hieronym. in Matth. cap. 10. *Matthias.* Matthias in locum Iudæ subrogatus Æthyopiam profectus est, & in illas nationes Crucifixi leges induxit. *Iacobus Alphæi.* Taceo Iacobum Alphæi fratrem Domini, qui tamquam Episcopus Hierosolymis remansit. Misit quoq; Petrus Apostolos discipulos in Aphricam, *Præfecti Ecclesiarū a S. Petro creati.* qui populum illum Euangelico dogmate instruerent. Testes sunt Innocentius primus Papa, ep. ad Decentium, & Gregorius Magnus ad Dominicum Carthaginen. Episc. Et Petrus statuta Romę Cathedra Antiochenę Ecclesię Euodium præficit,& diuersis alijs vrbibus Episcopos instituit, vt Siciliæ Pancratium, Mattianum, Berillum,& Philippum, Capuę Priscum, Neapoli Asprenatem, Terracinæ Epaphroditum, Æquicolę populis Marcum, alium tamen ab Euangelista, Nepe Ptolomæum, Fęsulis Romulum, Lucę Paulinum, Rauennę Apollinarem, Veronæ Eupropium, Patauio Prosdocimum, Ticino Syrum. *Galliæ.* In Gallijs Lemouicensibus, Tholosanis, & Burdegalensibus Martialem adscribit. Tungrensibus, Coloniensibus, Treuerensibus, Maternum, & Valerium, Rhemensibus Syxtum, Arelatensibus Trophimum, Senonensibus Sauinianum, Cenomanensibus Iulianum, Viennæ, & Maguntiæ Crescentem, Bituricensibus Vrsinum, Aruernensibus Austremonium, Hispaniæ Torquatum, Ctesiphontem, Secundum, Indoletium, Cæcilium, Hesychium, Euphrasium, & alios. *Britannia.* In Britanniam quoque Euangelium penetrasse à Petri missione; traditum est, quod facilè fuit anno superiore Insula subiugata à Claudio Imperatore, vt in notis ad Martyrolog. Romanum obseruat Baronius, & aliqui asserunt ad Britāniam Insulam Iosephum ab Arimathia Euangelium detulisse. *Barnabas, Saulus.* Quid verò dicam de Barnaba, & Saulo, qui Hierosolymis reuersi Antiochiam ex monitu Spiritus Sancti ordinantur Apostoli, extra numerum duodecim, vt Christi fidem prædicarent. *S. Paulus.* Hinc vnus Paulus tam longè, latèq; Euangelium disseminauit, nempè ab Hierusalem, & Syria, & circumadiacentibus regionibus, ad Illyricum, & Hispaniam vsq; & in alijs Orbis partibus. *Barnabas.* Barnabas verò, visitatis, & confirmatis Cypri Ecclesijs, in Italiam venit, & in Liguria prædicauit Euangelium, & Ecclesiam Mediolanensem erexit, & tandem septuaginta duo discipuli, & eorum comites, & sectatores per vniuersum Orbem Christianam fidem disseminasse, putandum est.

Authoritates SS. Patrum probantes prædicationem Euāgely per vniuersum Orbem. Fauent huic opinioni de prædicatione Euangelij per vniuersum Orbem Apostolorum tempore diffusa Theodoret. lib. 9. de curand. Græc. affect. Beda in cap. 13. Marci, & Chrysostom. homil. 76. in Matth. ostendit tempore Apostolorum vbique diuulgatum fuisse Euangelium, & ante euersionem Hierusalem vbiq; fuisse diffusum; Quin addit maximum signum virtutis Christi esse, quod triginta annis, aut parum amplius Euangelicum verbum fines Orbis terræ impleuit.

Sententia Lyrani. Adhæret Nicolaus Lyranus in cap. 24. Matt. vbi affirmat promulgatum fuisse Euāgelium in toto Orbe ante euersionem Hierusalem, & præsertim in tribus partibus Orbis Asia, Aphrica, & Europa; *Qua loca audierint Euangelium viuente Petro.* Etenim, viuente Petro, ait ipse fides prædicata est in Italia non solum, sed etiam in Gal-

cætera insignis est attestatio Bedæ lib. de temp. ratione cap. 68. cuius verba sunt hæc. Percusso autem illo perditionis filio, siue ab ipso Domino, siue à Michaele Archangelo, vt quidam docent, & æterna vltione damnato, non continuo dies Iudicij secuturus esse credendus est, alioqui scire possent homines illius æui tẽpus Iudicij, si post tres semis annos inchoatę persecutionis Antichristi confestim sequeretur. Nunc autem, quia ante consummatum tempus persecutionis illius dies Iudicij non veniet, scire omnibus licet. Post quantum verò tempus consummatæ eiusdem persecutionis venturus sit, nemini prorsus scire conceditur. Hæc Beda. Et sanè clarissimè testatur post consummationem persecutionis aliqua temporis interualla ad diem Iudicij posse decurrere, eaq; prorsus humanã latere cognitionem.

Mors Antichristi.

Incertum tempus finis Mũdi.

SECTIO QVARTA.

Examinantur aliquæ opiniones, quæ sacræ Scripturæ testimonijs malè innixæ tempus consummationis sæculi præsignant.

Sententia Hesychij de fine Mũdi reiecta.

Exordiar ab Hesychij Episcopi sententia, qui fuit coętaneus August. & ad quem scribit idem Augustin. Epistolam 78. & 79. & 80. considerans ea omnia, quæ ab eodem Hesychio afferebantur pro definiendo tempore determinato Mundani excidij, & quarum Epistolarum argumentum infra paucis perstringam, & explicabo. Hesychius igitur putauit finem Mundi, & extremi Iudicij annum inuestigari posse per septuaginta septimanas Danielis supra à nobis relatas, & quemadmodum, inquit ipse, à tempore vaticinij Danielis, ad primum Christi aduentum intercesserunt septuaginta septimanæ, idest anni 490. Ita à primo Christi aduentu ad secũdum totidem annorum septimanæ intercedent. Hunc calculum euentus refutauit, cum iam sexcenti quadraginta supra millesimum decurrant anni à Christi ortu.

Sententia Lactantij reiecta.

Lactantius multa de hac materia finalis excidij confinxit, & cum vixerit anno Christi trecentesimo, Mundi finem retulit ad annum à Christo nato quingẽtesimum. Omnis, inquit, expectatio non amplius quam ducẽtorum videtur annorum lib. 7. cap. 25. & hunc pariter calculum irridet euentus.

Sententia nonnullorũ reiecta.

Augustini temporibus quidam ab Ascensione Domini, vsque ad finem sæculi, numerarunt annos 400. alij 500. alij 1000. vt refert lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 53.

Alij, cum Politiam Iudaicam intelligerent durasse annis 1582. totidem quoq; annis regnum gratiæ circumscripserunt, & hoc refutauit euentus.

Alia sententia reiecta.

Aliqui tot Iubilæi annis Mundum permansurum in suo statu prædixerunt, quot Christus annos in terris vixit, qui cum exegerit annos triginta tres, Iubilæi triginta tres anni conficiunt annos naturales 1650. Itaque ex horum sententia ad Mundi finem solum superessent decem anni à præsenti anno 40. in quo hæc scribo. Sed lubricum omninò est fundamentum, & gratis affirmant, spectandos esse Iubilæi annos in Mundi duratione, eosq; computandos esse, iuxta Christi ætatem.

Alia sententia reiecta.

Non defuerunt aliqui, qui Mundi finẽ retulerunt ad annũ à Christo nato 1670. Conferunt Authores huius sententiæ viriusq; Adami primi, & secundi tempora, & quemadmodum primus Adam à suo inobedientiæ lapsu, vsque ad vniuersale diluuium annos habuit 1656. Sic ab anno Christi decimo tertio, quo secundus Adã Redemptor noster in templo sedens Hierosolymitano primum suæ obediẽtiæ actiuæ specimen publicum præbuit, vsq; ad Annum Christi 1670. totidem anni euoluentur. Itaq; ex horum sententia, triginta tantum anni ad finem Mundi superessent. Sed nihil solidi habet hæc opinio, & nullo firmata est scripturæ præsidio.

Alia opinio.

Non est prætermittenda eorum opinio, qui arbitrati sunt, Mundum post Christum natum tot annis duraturum esse, quot ante Christi natiuitatem durauit. Propterea iuxta diuersam chronologiam annorum à creatione Mundi ad ortum Christi, diuersam Mundi ætatem constituunt, & iuxta septuaginta Interpretum calculum, quem

nos secuti sumus, effluxerunt à Mundi creatione ad Christi natiuitatē anni quinquies mille centum nonaginta nouem; Quare ex hoc calculo iam restarent ad Mundi finem anni ter mille trecentum septuaginta. Verum quod tot annis duraturus sit Mundus à Christi ortu, quot anni præcesserunt Christi aduentum, probant testimonio Habacuch cap.3. vbi hæc habet Propheta. Domine opus tuum in medio annorum viuifica illud, in medio annorum notum facies. Hinc putantes his verbis significari filium Dei in medio durationis Mundi carnem assumpsisse, censent tot exactè annos elapsuros à Christi ortu, vsque ad Mūdi interitum, quot anni Christi aduentum præcesserunt; & hanc sententiam recitat Finus lib.4. flagelli cap.8. & eam tuetur Antonius Zara Episc. Petinen. in sua Anatom. Ingen. sect.4. membr.

Confirmatio opinionis.

12. Cæterum obseruandum est, Prophetam pro medio annorum non sumere exactum, & iustum medium, idest æqualem ab vtroq; distantiam, quam vocamus medium Geometricum, sed in medio annorum idem valet, quod intra annos, vt Symachus transtulit; Ita medium vsurpatur Psalm. 100. Non habitabit in medio domus meæ, qui facit superbiam, hoc est intra domum meam; Et 4. Reg. In medio populi mei habito, idest intra populum meum. Quare in medio annorum exponendum est in intimo, seu profundo annorum, vel post multos exactos annos.

Expositio vocabuli, medium.

Quapropter vaticinium Habacuch, nihil huic falsæ opinioni suffragatur; tum quia incertus est numerus ab exordio Mundi, vsque ad Christi ortum, propter varias Chronologias, tum quia verbum illud, Medium, non importat exactum sæculorum diuisionem.

Confutatio opinionis.

Apparet autem incertitudo Mundi ætatis ex eo, quod refert Esdra lib.4. cap. 14. asserens sibi diuinitus reuelatum fuisse, Mundi ætatem in duodecim partes distribui, addens suo tempore partes decem effluxas esse, & duas dumtaxat, & dimidiam remanere. Verba Esdræ sic ponuntur. Duodecim partibus diuisum est sæculum, & transierunt eius decima, & dimidium vndecimæ partis, supersunt autem eius post medium decimæ partis. Esdra verò, testante Eusebio, floruit Olympiade 80. anno à Mundi creatione 4740. Quare iam elapsa esset maiori pars annorum, quam requirant duę partes superstites, pro complemento duodecim partium. Itaque cum obscura omninò sit hæc temporum suppositio, planè sequitur, nullo niti fundamento supradictam, quam redarguimus opinionem.

Confutatio certitudinis finis Mundi.

Addo, quod obseruat Sixtus Senen. lib. 3. Bibliothecæ in lib. Esdræ, quod oporteret iuxta Esdræ dicta mundū iam desijsse annis ab hinc mille quingentis, nam si tempus, quod à creatione Mundi, vsque ad Esdram intercessit, iuxta Diuinę Scripturæ supputationem continet annos circiter ter mille quadringentos septuaginta, & hæc annorum summa complectitur decem partes, & dimidium ex duodecim partibus totius Mundanæ ætatis, consequens est, vt residuum temporis ab Esdra ad finem sæculi quingentorum annorum numerum non excedat, cum tamen ab Esdra, vsq; in præsentem annum 1570. quo hæc scribimus, fluxerint anni ferè bis mille. Hæc Sixtus.

Caballistæ & ipsi, qui Scripturæ arcana summa temeritate indagare conati sunt, putarunt sex millibus annorum ab Orbe condito elapsis, homines cum omnibus animantibus esse delendos; Itaut in septimo millenario nulla sit futura species humana, neque animalium. In octauo autem millenario arbitrati sunt rursus homines renouandos esse, & animalia in statu perfectiori constituenda, atq; ita de septenario in septenarium dixerunt, futurum esse processum, vsq; ad quadraginta, & nouem annorum millia. Sed hactenus de hac materia.

Sententia Caballistarum.



CAPI-

CAPITIS III. ET QVÆSITI III.

SECTIO PRIMA.

Incertitudo nouissimi diei demõstrat.

Sacræ Scripturæ, & Sanctorum Patrum testimonijs, nec non rationibus incertitudo nouissimi diei, & finalis Consummationis demonstratur.

QVoniam in anteacta Sectione satis, arbitror, ostensum est Sacrum Codicem nullum suppeditare argumentum, quo supremus dies certus, ac determinatus præsignetur, proximum est, vt eiusdem diei incertitudinem; tum rationibus, tum Sacris Scripturæ, & Sanctorum Patrum authoritatibus comprobemus. Atq; vt à ratione exordiar, quam me docet D. Thom. in quæst. disput. quæst. 5. de Conseruat. rerum in esse à Deo art. 6. corp. eam ita conficio. Omne id, quod scitur, vel scitur naturaliter, vel per diuinam reuelationem; Illud, quod scitur naturaliter, scitur per causam, aut Astronomus scit naturaliter tempus Eclypsis Lunæ; per euenturam interpositionem terræ inter Solem, & Lunam, cuius interiectionis tempus calculis adhibitis astronomicis tenere potest; Vel aliquid impropriè scitur, non certa cognitione, sed coniectura, vt Medicus dicitur scire, vel mortem, vel sanitatem ægroti ex aliquibus signis, ex quibus, vt plurimum talis oritur notitia medica fallax tamen, & incerta. Primo modo obtineri non potest cognitio de Mundi exitio, quia nobis non innotescit, neq; naturaliter innotescere potest causa consummationis Mundanæ; Siquidem causa est diuina voluntas, cuius imperio cælestes cessabunt motus, & hæc Mundi moles per igneum cataclysmum dissoluetur; Nam conflagratio ignium Mundanorum, vt tradit D. Thom. loc. cit. in resp. ad 10. non creditur esse futura ex aliqua naturali causa, sed ex imperio diuinæ voluntatis proueniet. Porrò coniecturis, aut signis determinatum talis consummationis tempus assequi nequimus. Etenim, quamuis in Euangelio ponantur aliqua signa Aduentus Domini, qui erit in fine Mundi, & quæ habentur Matth. 24. & Luc. 21. & 1. ad Timot. cap. 4. & ad Thessalonic. 2. tamen, vt docet S. Doctor in quæst. & art. prænot. in resp. ad 5. illa signa posita sunt ad manifestandum, quod Mundus quandoque finietur, non autem ad patefaciendum determinatum tempus, quo finietur; Quandoquidem ponuntur inter illa signa aliqua signa, quæ ferè à Mundi incunabulis apparuere, sicut quod surget gens contra gentem, & quod terræ motus erit per loca; Sed instante Mundi fine, hæc abundantius euenient. Quæ autem sit ista mensura horum signorum, quæ circa Mundi finem erunt, compertam nobis esse non potest.

Cognitio duplex, naturalis, & supernaturalis.

Cognitio cõiecturalis.

Cognitio naturalis non habetur de fine Mundi.

Signa præcedẽtia ad uẽtum Domini non indicant certum tẽpus finis Mundi.

Per reuelationem autem hæc cognitio non conuenit nisi Christo Redemptori. Ratio potissima à S. Doctore adducta est, quia finis Mundi non erit, nisi completo numero electorum, cuius numeri completio, cùm sit executio totius prædestinationis, notitiam de tali complemento conuenit solum habere illum, cui de tota prædestinatione diuina fit reuelatio, & per quem tota humani generis prædestinatio, quodammodò adimpletur, hunc verò esse Christum Dominum, nemo non videt, de quo Ioannis 5. dictum est. Pater diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.

Cognitio per reuelatiõnẽ non habetur de fine Mundi.

Multa verò sunt *Sacræ Scripturæ*, quibus hæc veritas corroboratur, testimonia. Et primùm habetur vaticiniũ Daniel. cap. 12. vbi Propheta interrogans Angelum de tempore, quo euenirẽt illa, quæ ab Angelo nunciata erant, spectantia in primis ad venturum Antichristum, & sęculi consummationem; Et dixi, Domine mi, quid erit post hæc? Angelus respondit. Vade Daniel, quia clausi sunt, signatiq; sermones, vsq; ad præfinitum tempus; Ex quibus patet tale tempus omninò incertum esse, ac ignotum.

Incertitudo finis Mundi, ex Daniel.

Christus Dominus Matth. 24. ait, Sicut

Incertitudo finis Mundi ex Matth.

in diebus Noe, ita erit aduentus filij hominis, & sensus est, quod sicut Noe temporibus, præter impiorum expectationem, Diluuium venit, & omnia consumpsit, sic vltimum Iudicium veniet, præter hominum prophanorum expectationem.

Incertitudo eadem ex similitudinibus S. Scripturæ.

Id etiam per quasdam similitudines sacra explicat Scriptura. Etenim 1. ad Thessal. 5. habemus. Ipsi penitus scitis diem illum Domini, vt furem in nocte ita venturum esse, Luc. 12. proditum est. Hoc autem scitote, si sciret Pater familias, qua fur veniret, vigilaret, nec sineret perfodi Domum suam. Et vos igitur estote parati, quia qua hora non putatis filius hominis veniet. Idem reperitur Matth. 24. 2. ep. Petri cap. 3. Apocalyp. 3. cap. & multis Apoc. locis. Primo ad Thessal. 5. Cum dicent pax, & tuta omnia, tum repentinum eis imminet exitium, sicut dolor partus mulieri vterum ferentis & Matth. 24. scriptum est, sicut fulgur exit ab Oriente, & apparet vsq; in Occidentem, ita etiã erit aduentus filij hominis. Luc. 21. Vt loquens inuadet in omnes, qui habitant in superficie terræ. Quamobrem, cum ex his pateat, quam inopinatus, & improuisus futurus sit secundus Christi aduentus, liquet etiam, quam incertũ sit tempus, quo Mundi consummatio continget.

Incertitudo finis Mundi ex Sanctis Patribus, & primo ex S. Augustino.

Concordant cum Sacræ Scripturæ testimonijs SS. Patrum pronunciata, & inprimis D. August. qui ep. 80. ad Hesychiũ hæc tradidit. Quæro verum sic saltem posse definiri tempus aduentus, vt eum adpenturum esse dicamus intra istos, v. g. vel centũ annos, vel quinquaginta, aut quodliber, seu minoris numeri, seu maioris annorum. Hoc autem omninò ignorantes sumus. Ergo non potest sciri quocumque numero annorum dato, vel decem millium, vel viginti millium, vel duorum, vel trium, verũ infrà illud tempus finis Mundi futurus sit.

Testimoniũ D. Augustini.

Et in eadem ep. hæc ponit verba. Ille, qui dicit se ignorasse, quando Dominus sit venturus, verum ad breue tempus, vel ad magnum, Euangelicæ sententiæ concordat; Inter duos autem, qui scire se dicunt, periculosius errat, qui dicit, in proximo Christum venturum, vel finem Mundi instare, quia hæc potest esse occasio, vt omninò desperaretur esse futurum, si tunc non erit, quando futuram esse prædicetur. Hæc August. Quæ sanè temeritatis accusant illos, qui vt supra retulimus, ausi sunt determinatum tempus Iudicij præfinire.

Inconueniens, quod sequitur ex certitudine finis Mundi.

Si enim ipsis aliqua fides esset adhibenda, hoc inconueniens sequeretur, quod si tempore ab ipsis prænunciato dies nouissimus non illucescat, facilè adducantur homines, ad opinandum, ipsum amplius non euenturum.

Testimonium D. Augustini.

Idem Augustin. lib. 83. Quæst. q. 18. cap. 4. tradidit, quod vltima Mundi ætas comparatur vltimæ hominis ætati; quæ determinato annorum numero non definitur, sicut aliæ definiuntur ætates, sed quandoque tantum extenditur, quantum omnes aliæ, vel etiam longius protenditur. Quare ista vltima Mundi ætas, ex mente Augustini, determinato annorum numero nequit definiri. Propterea ipsemet August. ep. 60. hæc habet.

S. Augustinus.

Tempora ergo computare, vt sciamus, quando sit finis huius sæculi, vel Aduentus Domini, nihil aliud mihi videtur, quam scire velle, quod ipse ait neminem scire posse, & in ep. 80. adeò incertum putat Augustin. Occasus Mũdani tempus, vt existimet, quod etiam quando Christus, venerit ad iudicandum, immediatè non sit subsecutura consummatio sæculi.

S. Augustinus.

S. Augustinus.

Propterea considerans verba Christi Luc. 21. Videte ficulneam, & omnes arbores, cum producunt iam ex se fructum; scitis, quoniam propè est æstas; Ita & vos cum videritis hæc fieri, scitote, quoniam propè est regnũ Dei; Ita exponit Augustin. Cum dicit: Cum videritis hęc fieri, quæ intelligere poterimus nisi ea, quæ supra commemorata sunt? In his est autem etiam, quod ait, & tunc videbunt filium hominis venientem in nube cum potestate magna, & maiestate; Proinde etiam hoc cum visum fuerit, non iam erit regnum Dei, sed propè erit; Quibus verbis Augustinus ostendit, immediatè post Iudicium non esse futuram sæculi consummationem, postquam erit Regnum Dei; Et tandem in ep. 79. exponens verba Matth. 24. de die illa, & hora nemo scit, hæc habet.

S. Augustinus.

Ego autem pro possibilitate intellectus mei dico, neque diem, neque mensem, neq; annum aduentus ipsius sciri posse; Et cum in lib. de Ciuit. Dei 18. cap. 53. irrideat calculus eorum, qui præfinitum tempus Mundanæ euersionis indigitare conantur, hæc scripsit.

S. Augustinus.

Frustra

igitur

igitur annos, qui huic sæculo remanent computare, ac definire conamur, cum hoc scire non esse nostrum ex ore Veritatis audiamus. Omnium verò de hac re calculantium digitos resoluit, & quiescere iubet ille, qui dicit: Non est vestrum scire tempora, quæ Pater in sua posuit potestate.

Auctoritas Cyrilli de incertitudine finis Mundani.

Præter tot Augustini testimonia, accedunt etiam dicta Cyrilli Hierosolymit. catech. 15. sic loquentis. Tempus nemo curiosè inquirat; Non est enim nostrum scire tempora, quæ Deus posuit in potestate sua, neque audeas determinare, quando hæc fiant. Confirmat Beda de rat. temp. cap. 66. in hunc modum. Cunctis in communi suademus, vt si quis ex hæbraica veritate, siue ex septuaginta Interpretũ translatione, siue, ex vtrisque commixto opere codicibus, yt sibi visum fuerit, temporũ cursum notauerit, siue prolixiora, siue breuiora transacti sæculi tempora signauerit, aut signata repererit, nullatenus tamen ex hoc longiora, vel breuiora, quæ restant, sæculi tempora putet, memor semper Dominicæ sententiæ: De die autem illa, & hora nemo scit.

Auctoritas Bedæ.

Auctoritas Concilij Lateranẽsis.

Tandem extat Sacrum in Concilio vltimo Lateranen. sess. 11. promulgatum edictum, quo effrænis hominum temeritas in perquirendo nouissimo die proterretur, atq; inter alia hæc habentur. Mandamus omnibus, qui hoc onus prædicandi susti-nent, quiq; in futurum sustinebunt, vt tempus quoque præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum diem Iudicij prædicare, vel asserere nequaquam præsumant, cum Veritas dicat; Non est vestrum nosse tempora, vel momenta.

Fateor equidem humana ingenia huiusce inquisitionis nouitate plerumq; deliniri, ac demulceri; Quod etiam tradidit Chrysostomus homil. 9. in primam ad Thessalonic. Nihil ita, inquit, vt apparet, curiosum est, & auidum ad rerum obscurarum, & reconditarum cognitionem, & humana natura. Properat itaq; animus noster ad multa quidem iam cognoscenda, & comprehendenda, maximè tamen ad sciẽdum consummationis tempus. Et quid mirum, si nobis hoc accidit? Ipsi namque Sancti illi, omnium purissimi, idem perpessi sunt. Audi igitur, quæ idem B. Paulus dicat 1. Thessal. 5. De temporibus autem, ac temporum articulis fratres, non opus habebitis, vt vobis scribam; Quod enim dicit, non opus habetis, tamquam superfluum, & veluti inutile non permittit, vt quærant.

Desiderium innatum homini sciendi.

D. Paulus de fine Mundi.

Quod si incertum prorsus est tempus consummationis Mundanæ, idest incertũ est constituere annum, quo cõtinget, multò magis incertum est id, quod admittit Antonius Zara Episc. Petinen. op. suprà cit. sect. 4. membr. 12. scilicet excidium vltimum, & incendium faciendum esse, vel die Sabbathi, quo die Mũdum Deus condere finiuit, vt similiter eodẽ die destruere incipiat; Vel feria sexta, scilicet die Veneris, quo Christus ab impijs Iudæis iudicatus est, vt ipse eodem die iustissimi Iudicis munere fungatur; Vel die Dominico, in quo, quemadmodum ipse resurrexit, ita resurgere iubeat omnes, vt cum Beatis ad gloriam reuertatur. Cum hæc probabilia videantur, non est, quod vni potius diei, quam alteri vltimum excidium adscribatur, sed res omninò dubia, & obscura relinquatur. Ita potiori iure obscura est hora, qua id eueniet, & quamuis apud Matth. habeamus. Media nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, venite obuiam ei, & confirmat Lactant. lib. 17. cap. 19. Christum intempestiua nocte aduenturum, Tamen pro nocte media imparatum tempus ponitur, quod patet ex verbis Christi Marc. 13. testantis. Neminem scire, venturusne ille sit vespere, an medio noctis, an in gallicinio, aut diluculo.

Incertum tempus annus, dies, hora de fine Mundi.

Solutio.

Et sanè, si huius rei notitia denegata fuit Adamo, omnigena rerum scientia instructissimo, iure meritò nobis hominibus ignorantiæ labe fœdatis non est concedenda. Iosephus lib. 2. de Antiquit. Iudaicis cap. 4. asserit, Adam exterminationem rerum omnium prædixisse, alteram aquarum diluuio, alteram igne venturam esse. Etenim, cum omnia nosset, quæ ad vniuersum spectabant, illuuionem, & conflagrationem Mundi cognouisse, maximè congruum est affirmare, sed tempus vtriusque, & præsertim conflagrationis, neque prædixit, neque demonstrauit. Quod si Adam tanta prædıtus sapientia, tempus incendij, & exitij mundani ignorauit, profectò de hac re nihil certi in Scripturis Sãctis, vel Sanctis Patribus explicatur.

Adam nescijt tempus statutum finis Mundi.

Causa verò, ob quam Deus noluerit ignotũ esse nobis tempus mutationis Vni-

uersi, est, vt incerti de tempore perpetuò vigilemus, & oremus, ne incautos non inueniat, & opprimat tremenda illa dies. Vnde Marci 13. Sic nos monet Dominus. Vigilate igitur, nescitis enim, quando Dominus domus veniat, sero, an in media nocte, an in gallicinio, an mane, ne cum repente venerit, inueniat vos dormientes. Quod autem vobis dico, omnibus dico: Vigilate. Elegantibus verbis id expressit Hilarius lib. 9. de Trinit. Cur autem extremi diei scientia abscondita sit, non in obscuro est; namque dum monet nos intermissa fide intentos semper manere, securitatem cognitionis ademit, vt pendulæ expectationis incerto mens sollicitata festinans, & aduentus diem semper expectans speret, curamque peruigilem incertum ipsum, non ambigendi tamen temporis detineret.

Cur incertum tempus finis Mundi.

Cur incertum sit tempus finis Mundi ex Hilario.

Simili sententia locutus est Hieronym. exponens verba Matth. Non est vestrum nosse tempora. Non expedit, inquit, nobis diem nosse Iudicij, sed semper incerti de aduentu Iudicis, sic quotidie viuamus, quasi die altera iudicandi simus. Quod praxi comprobabat Hieronym. his verbis, quæ frequenter proferebat. Siue comedam, siue bibam, siue aliquid aliud faciam, semper vox illa sonare videtur in auribus meis. Surgite mortui, & venite ad Iudicium. Et quoties diem Iudicij cogito, totus corde, & corpore contremisco; lib. de Regulis Monachorum. Agmen tot SS. Patrum claudat Augustin. in Ep. ad Hesychium. Si qua præsentis vitæ est lætitia, ita agenda est, vt numquam amaritudo futuri Iudicij recedat à memoria. Quare, si nobis suprema illa dies comperta esset, & tamquam remotissima haberetur, nullum nobis incuteret timorem, sed cum incerta prorsus sit, & continua viuimus tristitia, & continuò bona spe nutrimur.

Ex Hieronymo.

Ex D. Augustino.

Magis verò conspicua incertitudo Mūdanæ mutationis fiet in disputatione Theologica; in qua explicabimus verba Christi Matth. 24. de die autem, & hora illa nemo scit, neque Angeli cœlorum, nisi solus Pater; & Marci 13. De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque filius, nisi Pater. Iuxta illud Zachar. 14. Et erit dies vna, quæ nota est Domino, non dies, neque nox.

Clariora argumenta afferentur de incertitudine finis Mundi.

SECTIO SECVNDA.

Afferuntur, & declarantur aliqua sacræ Scripturæ, & SS. Patrum pronunciata, propinquitatem Mundanæ consummationis indicantia, & quomodo dies persecutionis Antichristi sint abbreuiandi, explicatur.

Nondum mihi videtur in superiori Sectione satis firmata diei nouissimæ incertitudo, cum ipsamet, tamquam propinqua, & in foribus, à D. Paulo, & Io. & à multis Patribus iactetur; Quamuis enim dies præsignata non constituatur, attamen cum proxima prædicetur, de ipsa certa, & constans notitia haberi videtur. Quamobrem suscepti argumenti de incertitudine vniuersalis mutationis ratio exigit, vt quid de ipsius propinquitate sentiendum sit aperiamus.

Propinquitas finis Mundi.

Extat primo loco testimonium Christi Matt. 24. vers. 33. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. Loquitur Christus Dominus de Iudicio postremo, & Mundi fine, & videtur indicare, quod præsentes homines non peribunt, donec adueniat dies Domini; Igitur Christus hunc diē tamquam proximum, & ferè in ianuis pronunciauit. Pro quorum verborum explicatione repetendum est id, quod supra tradidimus, scilicet Saluatorem eo cap. promiscuè agere de Hierosolymitanæ vastatione, & de sæculi consummatione, vt diuersis Apostolorum interrogationibus responderet. Itaque si hæc verba ad Hierosolymitani templi, & vrbis destructionem referantur, hunc habent sensū, quod præsens hominū ætas deuastationem Hierusalem spectabit. Quod fuit comprobatum euentu; nam, vt supra retulimus, in explicandis hebdomadibus Daniel; Hierusalē euersa est, iuxta men-

Varia expositio S. Scripturæ de fine proximo Mundi.

mentem Peterij, post quadraginta annos à Christi nece; Vnde illa hominum ætas, ac generatio, quæ tunc viuebat, cum à Christo hæc verba fuere prolata, Hierusalem euersam vidit, ac deuastatam. Quin multi, qui morti Christi interfuerunt, vt notat Baronius, ingentem illam Hierosolymam calamitatē perpessi sunt. Si autem verba Christi spectant vniuersalem Mundi cladem; asserendum est cum Chrysostomo, Theophylacto, & Euthymio, pro generatione intelligendum esse fidelium propagationem, ita vt sensus sit, Ecclesia vsque ad finem Mundi non desinet, donec eueniant ea, quæ Christus prædixit, vel cum D. Hieronymo dicamus, Generationem accipi pro humano genere, cuius propagatio nō finietur, donec à Christo prænunciata contingant; Vel pro generatione totus Mundus sumatur, qui non finietur, nisi à Christo prædicta compleantur.

Alia expositio sacræ Scripturæ.

Non leuem difficultatem ingerunt verba Io. Ep. 1. cap. 2. Filioli, nouissima hora est, & sicut audistis, quia Antichristus veniet, & nunc Antichristi multi sunt, vnde scimus, quia nouissima hora est. Quibus verbis Ioannes non solum propinquitatem, sed aduentum Antichristi indicare videtur, post cuius aduentum, cum futura sit sæculi consummatio, ipsa pariter proxima significatur; nihilominus: Venit Antichristus, inquit Ioannes, præsenti tempore vsus pro futuro, propter certitudinem aduentus futuri: Antichristi multi facti sunt, subdit Io. quia, vt Syrus vertit, multi Pseudochristi apparuerūt, & quemadmodum Io. per morum similitudinem dictus est Elias, Iudas proditor, diabolus appellatus, sic Irenæus Antichristos cognominat Valentinianos, & Marcionitas, Arianos Hilarius, Cyprianus Nouatianos, Origenes, & Hieronymus quoslibet hæreticos. Quamobrem, cum Antichristus multos habiturus sit suæ iniquitatis ministros, quem ipsum præcedent, quales fuerunt Nero, Domitianus, Diocletianus, Iulianus Apostata, & alij, de his loquitur Io. Cuius sensus est; Scimus venturum Antichristum in fine Mundi, sed nunc adsunt multi illius præcursores, ergo signum est, hanc esse nouissimam horam, & ætatem. Sed paulò longior est ista hora nouissima, dies, tempus, ætas, nec præcisè constat, quando postrema continget pars eius, qua verus veniet Antichristus; Ita exponit Io. Lorinius.

Productio verborum Io. de propinquitate finis Mūdi.

Expositio vocabuli, venit.

Qui sint Antichristi.

Et hæc eadem verba Io. considerans Augustin. Ep. 79. hæc habet. Si tunc essemus hoc audito, quantos crederemus tot annos postea transituros, ac non potius ipso adhuc Ioanne in corpore constituto, Dominum spectaremus esse venturum, neq; enim dixit nouissimum tempus, aut nouissimus annus, aut mensis, aut dies, sed nouissima hora, & ecce ista hora, quam longa est, nec tamen est ille mentitus, sed vtique intelligendus est, horam pro tempore posuisse, quę hora, quā longa sit ignoramus, quamuis eam nouissimam esse nouerimus. Quare ex hoc Io. dicto nihil de propinquitate Mundanæ euersionis colligitur.

Sensus D. Augustini circa verba Ioānis.

D. Paulus ad Thessalonic. 1. cap. 4. declarat, non solum aduentum fore secundum Christi aduentum, sed ipsimet aduentus corpore interesse, ita loquens. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt. Mox subiungit. Deinde nos qui viuimus, qui relinquimur, simul rapiemur cum illis in nubibus obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. Paulus ita de se loquitur ac si victurus esset vsque ad aduentum Christi, & ad diem Iudicij, non quod ita futurum putaret, sed vt illius diei terribilis, & incertæ memoriam, & perpetuū hominibus timorem incuteret, vt semper suspensi illum diem expectent, & ad ipsum se parent. Itaque verba illa, Nos, qui viuimus, significant illos, qui viuent, quorum personam induebat Apostolus, & de illis in sua persona loquebatur. Ita exponit August. lib. 20. de Ciu. cap. 20. Repræsentat igitur Apostolus personas illorum, qui tempore, vel die Iudicij vitali fruentur vita, quos propterea viuos appellat, non quod morituri non sint, antequam iudicentur; docet enim August. loco præcitato, & sequuntur Anselmus, & D. Thomas, omnes omninò homines morituros, illos etiam, qui tempore cladis vniuersalis vitam ducent. Ita siquidem debitum persoluent naturæ, & luent pœnam originalis peccati. Sed quoniam breuissimo tempore morientur, statimq; à morte resurgent, viui appellantur, quia vix mori viden-

Expositio verborum D. Pauli de propinquitate finis Mūdi.

Expositio S. August. circa verba D. Pauli.

Gallia, quia S. Sauinianus, qui fuit vnus de septuaginta Discipulis missus à B. Petro in Galliam cum pluribus alijs Ciuitatem Senonensem, quæ tum erat Metropolis Galliæ, & vocabatur Ciuitas aurea, cõuertit ad Christum, vbi tribus Euangelijs ædificatis, vna scilicet in honorem B. Virginis, alia in honorem B. Stephani Protomartyris, & alia in honorem S. Io. Baptistæ, nec non quarta ædificata in honorem Apostolorum, quæ, quia viuente Petro, constructa est, ideò Ecclesia B. Petri viui adhuc nominata est, vt ait ipse Lyranus, vsque in hodiernum diem. Ex loco autem illo S. Sauinianus socios suos circa alias partes Galliæ misit ad prędicandum; Ex quo patet, quod viuente Petro fidei prædicatio peruenit versus mare Occidentis, vbi terminatur vltimum clima nostræ terræ habitabilis, ex parte Galliæ; Ex parte verò Hispaniæ, vbi Paulus prædicauit, probabile, est, quod à Hierusalem vsq; ad alios terminos terræ habitabilis, peruenit prædicatio fidei per alios Apostolos, & Discipulos ad hoc missos. Hæc desumpta sunt ex Lyrano, loco commemorato.

Sententia opposita S. Augustini de prædicatione Euangelij in vniuersum Mundũ. D. Augustin. contrariam iniuit sententiam, & Ep. 80. respondens Hesychio putanti, Euangelium per vniuersum Mundum prædicatum esse, ita loquitur. Quod enim putat Venerabilitas tua iam hoc per ipsos Apostolos factum, non ita esse certis documentis probaui. Sunt enim apud nos, hoc est in Aphrica Barbaræ innumerabiles gentes, in quibus noodum esse prædicatum Euangelium, ex ijs, qui ducuntur inde captiui, & Romanorum seruitijs iam miscentur, quotidie nobis addiscere in promptu est.

Sententia S. August. Idem Augustin. ep. 78. indicat Euangelium vbique terrarum non esse disseminatum; sed quidem breui tempore diuulgandum esse, nisi quis fortè respondeat, inquit ipse, tanta celeritate, prædicato Euangelio, Romanas gentes, & plerasq; barbaras occupatas, atq; ita nonnullas, non paulatim, sed subitò ad fidem Christi fuisse conuersas, vt non sit incredibile paucis annis, & si non vitæ nostrę, qui iam senuimus, certè iuuenum, qui venturi sunt, ad senectam, vniuersas omninò residuas gentes, Euangelio posse impleri.

Præterea idem Augustinus exponens verba Psalm. 71. Dominabitur à mari vsque ad mare, & à flumine vsq; ad terminos Orbis terræ, ita interpretatur. A mari vsque ad mare totus est Orbis, cum omnibus Gentibus, quoniam mari Oceano cingitur Vniuersus. Et à flumine, scilicet vbi baptizatus est, quia inde cępit Euangelium prædicare. Addit Augustin. Orbem terrarum Vniuersum, tamquam omnium quodammodo maximam esse Insulam, quia & ipsam cingit Oceanus, ad cuius littora in Occidentalibus partibus Ecclesiam peruenisse iam nouimus, & quocumq; littorum eius nõdum peruenit, peruentura est vtique fructificando, atq; crescendo. Quare compertissimum est, Augustinum existimasse non solum tempore Apostolorum, sed nec sua ætate Euangelium vbique terrarum insonuisse. *Expositio S. Augustini via Scripturā Sacram.*

Tostatus considerans cõtrouersiam supra allatam inter PP. in cap. 24. Matth. quæst. 92. distinguit duplicem prędicationem Euangelicam, scilicet alteram in quit factum esse non per præsentiam prædicantium in omni loco, sed per famam, & rumorem, qui in omnibus locis percrebuit, celebratum miraculis inauditis, & prodigijs, quæ faciebant Apostoli, & discipuli Christi Domini, atq; hoc modo existimat Euangelicam prædicationem ad omnia loca permeasse, & totum Orbem impleuisse ante deuastationem Hierusalem. Altera verò prædicatio fit, inquit ipse, verbis, & præsentia prædicantium, atq; hoc modo asserit disseminatam non esse prædicationem per totum Orbẽ, tum quia ad omnes Orbis partes prædicantes non perrexerunt, tum etiam, quia in omni parte Orbis nõ fructificat Euangelium; imò in multis partibus inter Christianos sunt Pagani, & Iudæi per Euangelicam prædicationem adhuc conuertendi, quod non complebitur vsque in finem sæculi. Propterea concordat supradictas opiniones Patrum, & interpretatur sententiam Augustini, & Origenis idem sentiẽtis cum Augustino, non quod ad illas gentes barbaras, non peruenerit fama Euangelij, sed quod ipsam prædicationem Euangelicam non receperunt, & apud illas gentes non fuerunt fundatæ Ecclesiæ; Vnde concludit, quod ante euersionem Hierusalem prædicatio Euangelij per famam vbique terrarum celebrata erat, atq; ita *Duplex prædicatio Euangelij in Tostato.*

implentur verba Christi dicentis; & prædicabitur Euangelium regni in toto Orbe, & veniet consummatio, quam consummationem interpretatur Tostatus Hierusalem destructionem.

Reijcitur duplex prædicatio Euangelica Tostati. Cæterum hæc duplex consideratio, adhibita à Tostato de prædicatione Euangelij non est admittenda; ita vt vno sensu prædicatio consumpta sit ante Hierusalem euersionem, altero autem sensu sit ante Mundi finem adimplenda; nam hoc modo exposita verba Christi æquiuocatione, & ambiguitate laborant; Atqui verba sacri textus attentè percurrat, clarissimè prospiciet, Apostolos interrogasse Christum Dominum, non solum de tempore Hierosolymæ deuastationis, sed etiã de tempore aduentus Christi his verbis, Dic nobis, quando hæc erunt? Et quod signum aduentus tui, & consummationis sæculi? Quare responsio Christi de signo prædicationis Euangelicæ, quę præcedere debet, referenda est ad ipsius aduentum, & sæculi consummationem, non ad excidium Hierusalem. Neq; vt verificetur prædicatio Euangelica, per vniuersum Orbem à Christo prædicata, sufficit prædicatio per famam, & miraculorum celebrationem; Nam iam consummatio, & Mundi interitus contigisset, quoniam per vniuersi partes iam hęc fama diuagata est, *Verus sensus verborũ Christi.* sed sensus verborum Saluatoris coarctandus est ad prædicationem Euangelij, cum fructu faciẽdam à præsentia Euangelizantium, & in illis locis Ecclesias constituentium; Quamobrem cum multis in locis hoc nondum aduenerit, vt infrà demonstrabimus, remanet adhuc multum temporis sæculorũ consummationi cõplendæ.

Reijcitur sententia Tostati, & expositio verborum Christi. Perperã igitur exponit Tostatus quæst. 94. in cap. 24. Matth. quod prædicatio Euangelica à Christo prænunciata, completa sit tempore Apostolorum, & nomine consummationis intellexisse destructionem Hierusalem, quia, vt subdit idem Tostatus, si verba Domini referãtur ad Mundi finem, non faciunt ad propositum, neque vlla certitudo datur Apostolis, quia nemo scit, quando absoluenda est prædicatio Euangelij. Sed hallucinatur Tostatus, quia, vt dixi, hæc verba non respiciunt Hierosolymæ destructionem, sed Mundi interitum, & quamuis nulla possit haberi certitudo, de tempore, quo complenda est Euangelica prædicatio, tamen indicatur à Christo, hoc esse signum certũ proximi aduentus ipsius, qui, vt exponit Maldonatus, non veniet, donec Euangelium *Expositio Maldonati.* sit prædicatum, non tamen completa prædicatione, certum est ipsum statim esse venturum, sed inter complementum prædicationis, & Christi aduentum intercedent dies, & tempora, quæ humanitus ignorantur.

Respõdetur argumẽtis contraria sententia. Superest, vt respondeamus sacræ Scripturæ testimonijs supra allatis, quibus indicatum est, Euangelij promulgationem Apostolorum tempore factam fuisse. Et quoad testimonium Saluatoris Domini Marc. 16. mandantis Apostolis, vt in Mundum vniuersum irent, Euangelium omni creaturę prædicantes, & vniuersas gentes docentes, dicendum est cum Tertulliano lib. 4. aduersus Marcionem cap. 43. ea verba prolata esse à Christo, & ordinata, non solum ad Apostolos, sed ad ipsorum successores, & Christianę fidei sectatores, quorum opera ante Mundi finem Euangelica prędicatio in toto Orbe complebitur.

Respõdetur ad argumẽtum ex D. Pauli sumptum. Verba Pauli ad Rom. 10. Numquid non audierunt? Et quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, &c. Quę verba sunt Psaltis Psalm. 18. & aduertit Augustinus, quod Psaltes dixit; Exiuit sonus eorum, vsus pręteriti temporis verbis, *Tempus præteritum pro futuro sæpe accipitur in sacra Script.* explicans illud, quod erat futurum, quod adeò certum est per certitudinem Prophetię, vt præteritum pro futuro ponatur, & hic est modus loquendi sacrę Scripturæ, iuxta illud Psalm. 21. Foderunt manus meas, & pedes meos, quod tam longè postea factum nouimus; Ita D. Paulus ad Timot. cap. 3. loquens de Ecclesia habet: *Probatio.* Et sine dubio magnum pietatis Sacramẽtum, quod manifestatum est in carne, iustificatum est in spiritu, apparuit Angelis, prędicatum est in gentibus, creditum est in Mundo, assumptum est in Gloria. At Ecclesia tunc temporis assumpta non erat in Gloria, sed assumetur, quando dicetur. Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, & tam ẽ, tamquam factum à Paulo denotatur, quia iamquam certum futurum sciebatur. Similiter Paulus, quamuis Euangelium nondum Mũdum teneret vniuersum, tamen quia id certò erat futurum, vsus est præterito tempore. Et quidem scien-

Quomodo intelligendum oraculum Dauidis. sciendum est, Dauid oraculum, à Paulo Apostolis accōmodatum, primo litterali sensu de cęlestibus orbibus exponendum esse; Vnde hebraica lectio habet, atq; ita etiam interpretatur Aquila: filium pro sono, & significat illud perpendiculum, siue restienlam mensoriam, seu mensorium funiculum, quo vtuntur Architecti ad sua opera affabrè construenda; Et quoniam verba Psaltis primò, vt dixi, enunciantur de Cęlo, & postea allegoricè, & symbolicè de Apostolis Euangelium prædicantibus, eorum verborum sensus est, omnes nationes à Cęlo accipere filium, idest regulam, normam, & mensuram suarum operationum, non per Astrologicas vanitates, sed quatenus ipsa cęlestia corpora motu, & lumine influunt in hæc inferiora, & Sol, & Luna sunt Planetæ moderantes diem, ac noctē, & Sol moderator dierum, & annorum diuersa anni tempora constituens, & Luna indicatrix temporum serendi, & plantandi, & lignacædendi. Allegorico verò sensu de ipsis Apostolis, & alijs Euangelij præconibus verba sunt appositè exponenda, adeo vt sensus sit Apostolorum, & cęterorum Christi Discipulorum doctrinam, ac prædicationem, veluti filium perpendiculum, vitam Christianam, vbique terrarum ædificasse.

Sensus litteralis sacræ Script.

Sensus allegoricus.

Sententia Iacobi de Valentia. Non est hoc loco pętermittenda expositio Iacobi de Valentia in eadem verba Dauid, qui notat Apostolos non transijsse ad Hunnos, & Gothos, qui habitabant in Orbe iguoto, & inaccessibili vltra Męotidem Paludem, sed in die Natiuitatis Domini omnia Idola clamarunt, Regem pacis, & Dominum totius Mundi in medio Mundi natum fuisse, & sic congregati omnes Gothi, & Hunni duobus agminibus factis, & relictis sedibus transierunt Męotidem paludem super aquas glaciales, & peruenerunt ad partes nostras, & per successionem baptismum susceperunt; Quod factum est Diuina prouidentia, vt vocem Euangelij audirent, quod etiam euenit apud Aethiopes, vnde Virgilius in 6. cecinit:

Quomodo venerunt ad fidem nonnulla nationes.

Huius in aduentu iam nunc & Caspia regna
Responsis horrent Diuûm, & Męotica Tellus,
Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.

Itaque si ex interpretatione Iacobi supradicti Apostoli ad Hunnos, & Gothos non perrexerunt, sed per vniuersum prædicatio fama dumtaxat, & rumore effusa per orbem intelligenda est, nostra confirmatur assertio nequaquam Apostolorum tempore, vbi vis terrarum cum fructu, & plantatione Ecclesiarum prædicatum fuisse Euangelium.

Expositio Cassiodori. Non est reticenda interpretatio Cassiodori exponentis ea verba; Et in fines orbis terræ verba eorum, pro Regibus ipsis terræ, qui, vt ipse loquitur, quasi termini; & fines agrorum sua regna custodiunt, ad indicandum, non solum ad humiles, sed etiam ad Principes gentium, Euangelicæ tubæ sonum peruenisse; Quæ expositio consonat nostræ sententiæ, quod tempore Apostolorum nequaquam Euangelium in vniuerso Orbe fuerit promulgatū. Paulus igitur vsus est oraculo Dauid, vt demonstraret, per rumorem, & famam Euangelium iam totum Orbem peruasisse, ideò reprehendit Iudæos, & gentes per illa verba: Numquid non audierunt? Idest, quomodo fieri potest, vt gentiles, & Iudæi aliquam de Messia, & ipsius fide incredulitatis causam prætexant, cum iam Euangelium vbique personet, & per omnes terrarum tractus ipsius nomen, ac fama diuagetur? Ex quo Pauli dicto colligitur, Euangelium prædicandum esse, tum Gentilibus, tum Iudæis, quamquam prædicatio Euangelij facta Iudæis distinguatur à prædicatione facta Gētilibus, per sequentia verba: Numquid Israel non cognouit? neq; solum Iudæis erat annunciandum, vt S. Petrus, & Apostoli Act. 10. dubitarunt, quia primò Abrahæ, & semini eius, non autem cæteris promissus erat Messias, sed omnibus, vel Gentibus erat prædicandum, in testimonium, vt ait Christus, idest, vt testificaretur fidei veritatis, & filij Dei doctrina.

Cur S. Paulus vsus fuerit oraculo Dauid.

Quid intelligā Paulus oraculo Dauidis. Vel dicendū est, Paulum vtentem oraculo Dauid, intelligere pro omni terra illum Orbem, & terram, quæ erat Romano Imperio subiecta, vt in hoc sensu accipiuntur verba Luc. 2. Exijt edictum à Cęsare Augusto, vt describeretur vniuersus Orbis,

Verba autem Pauli ad Colossens. 1. scilicet, quod Euangelium in vniuerso Mundo fructificat, & crescit, non repugnant

Solutio tacitæ obiectionis ex D. Paulo. allatæ interpretationi; Etenim vt doctè animaduertit Bellarminus lib. 3. de Romano Pontif. cap. 6. non id asseruit Paulus, quasi iam actu diffusum sit Euangelium, sed virtute tantum, & potentia, quia Apostoli illud Euangelij semen diffuderunt, quod postea sequentes Christi discipuli ita colere debebant, vt in toto Orbe cresceret, & fructum ferret; Et quod addit Paulus de prædicato Euangelio in vniuersa creatura, quæ sub cęlo est, exponit *Expositio Caietani.* Caietanus, Euangelium vniuersis hominibus commune esse, ac ipsis esse prædicandum ad differentiam hæreticorū dogmatum, quæ non omnibus hominibus, sed peculiaribus sectis prædicantur.

Soluitur obiectio. Neque obstant verba eiusdem Pauli ad Rom. 1. Pro omnibus vobis, quia fides vestra annunciata est in vniuerso Mundo; Etenim P. Cornel. à Lapide interpretatur ea verba, fama excellentia, & constantia Romanorum fidem diuulgatam esse, qui cum essent rerum Domini, credentes Euāgelio, fidei Christianæ famam per totum Orbem diffundebant, nempè per totum Orbem Romanorum imperio subiectum.

Solutio nōnullarum obiectionē. Ad illa omnia, quæ supra allata sunt de missione Apostolorum à Petro facta, per vniuersas Mundi partes, vno verbo respondendum est, & concedendum Apostolos præcipuas Mundi oras peragrasse, & in illis Euangelium semē disseminasse; Remanserunt tamen multæ istarum regionum partes, ad quas præsentialiter non peruenerunt, neq; in illis Ecclesias ædificarunt, sed tantum fama miraculorum, & Christianæ fidei illuc peruenit, quod non sufficit, vt supra dixi, ad adimplenda verba Christi de prędicatione Euāgelica, per vniuersum Mundum facienda. Taceo, Apostolos ad Antipodes, neq; ad *Apostoli nō fuerunt vbiq;* Americam, saltem vniuersam, petrexisse, vt infrà demonstrabimus, ostendentes, maximam Occidui Orbis partem, & Poli Australis oram ignotam esse, quæ prius detegenda est, & dein in ipsa prædicandum Euangelium.

Ad testimonia verò Theodoreti, Bedę, Chrysostomi, & Lyrani simili ratione *Soluuntur obiectiones desumpta ex SS. Patribus.* prorsus respondendum est; Et quoad Chrysostomum, cuius authoritas est magni facienda, respondet D. Thom. lect. 3. in cap. 10. Epist. ad Roman. his verbis; Tempore Apostolorum ad omnes gētes, etiam vsq; ad fines Mundi peruenit aliqua fama de prædicatione Apostolorum per ipsos Apostolos, vel Discipulos eorum; Matthæus enim prędicauit in Aethiopia, Thomas in India, Petrus, & Paulus in Occidente, & hoc est, quod Chrysostomus dicere intendit, non tamen sic fuit impletum tempore Apostolorum, quod in omnibus gentibus Ecclesia ędificaretur, quod tamen implendum est ante Mundi finem. Hæc D. Thomas. Non propterea ex ipsius verbis infertur D. Thomā approbasse *Expositio S. Thomæ, & eius sententia.* verba Christi duplicem habere sensum, qualem reprehendimus, iuxta Abulensis interpretationem, sed S. Doctor voluit exponere intentionem Chrysostomi de prædicatione Euangelij, fama diuulgata; Hactenus de primo Quæsito, quod erat de prædicatione Euangelij tempore Apostolorum.

SECTIO TERTIA.

Sequitur Quæsitum, An prædicatum sit Euanglium in Orbe vetere, nimirum in antiquis Orbis partibus, quæ sunt Europa, Asia, *Qui sit vetus Orbis.* & Aphrica, & quidem præter ea, quæ à nobis superius tradita sunt, de prædicatione facta ab ipsis Apostolis, vt habetur in Actibus Apostolorum cap. 2. & de missione facta à Petro primate Ecclesię eorumdem Apostolorum, & Discipulorum in partes Mundi nobiliores, extant testimonia Patrum, quæ mox subiungam, *Sententia Tertulliani de ijs gētibus, quæ receperunt Euangeliū Dei.* asserentiū Euangelij promulgationē in Mundi oris insignioribus.

Hinc Tertullianus, qui floruit tēpore Seueri Imperatoris, aduersus Iudæos cap. 7. testatur Getulos, Mauros, Hispanos, Britannos, Sarmatas, Dacos, Germanos, Scythas, Normandos, & abditarum multarum gen-

gentium Prouincias Christi nomen colecte; Idem affirmat Origenes, Homil. 9. in Genes. qui tempore Decij, Galli, & Volusiani vixit, nimirum semen Christi, & Christianam Religionem propagaram esse ad Britanoos, ad Mauritanos, & ad vniuersos, qui sub Sole degunt, quod tamen intelligendum est de illis, qui habitãt partes Mundi notas, quãdo Origenes authoritas alibi exarata, affertur à Tostato loco supra memorato pro sententia illorum, qui autumant Apostolorum tempore, vbique Euangelium non fuisse prædicatũ.

Sententia Origenis.

Sententia Arnoby.

Consensit Arnobius lib. 2. aduersus Gentes, affirmans apud Alemanos, Persas, Scythas, Syros, Asianos, Hispanos, Aquitanos, Getulos, Gallos, Mauros, Christianam religionem fuisse disseminatam. Quæ religio per vniuersam Asiam, tempore Constantini Magni, adeò creuerat, imò per Aphricam, & Europam, vt in Concilio Nicæno Oecumenico, tempore eiusdem Imperatoris, & Siluestri Papæ celebratum, conuenerint trecenti decem, & octo Episcopi, ex præcipuis quidem Orientalibus plagis, sed etiam ex alijs, vt ex Occidente Osius Cordubensis Episcopus, Siluestri Papæ Legatus. Porrò celebratum fuit anno 347. ab ortu Saluatoris Sardicẽse Concilium Generale, quod pro vno, & eodem cum Nicæno habetur, tum quia in hoc fuerunt ferè ijdem Præsules, qui in illo, tum etiam, quia Nicænam Synodum confirmarunt, & in ipso præsidebat nomine Iulij Papæ Osius supradictus; Quæ Synodus ex pluribus quam triginta quinque Prouincijs coacta est cõtra Arianorum malitiam; Tantus verò Prouinciarum numerus indicat tunc temporis Christianam fidem maximè propagaram esse. Propterea S. Chrysostomus narrat, Iulianum Imperatorem, qui à Christiana apostatauit fide, ægrè tulisse Christianam religionem remotissimas Mundi partes occupasse, & Athanasius de fide ad Ionin. Imperatorem, cuius tempore vixit, recenset Ecclesias fundatas esse in Hispania, Britannia, Gallia, Italia vniuersa, Dalmatia, Dacia, Misia, Macedonia, vniuersa Græcia, tota Aphrica, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphilia, Lycia, Isaurla, Aegypto, Lybia, Ponto, Cappadocia.

Concilium Nicænum.

Concilium Sardicẽse.

S. Chrysostomus de Iuliano Apostata.

S. Athanasius.

Nobile in confirmationem huiusce veritatis extat testimonium Diui Hieronymi, qui vixit tempore Arcadij, ità loquentis in Epitaphio Neoporiani. Nunc totius Orbis homines ab India vsque ad Britanniam, à rigida Septentrionis plaga vsque ad feruores Athlantici Oceani, tam innumerabiles populi, & tantarum gentium Christianæ sunt multitudines. Bessorum feritas, & Pellitorum turba populorum, qui mortuorum quondam Inferijs homines immolabant, stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos, & totius Mundi vna vox est Christus. Idem Hieronymus eamdem prosequitur sententiam his verbis Epist. 7. ad Lætam. De India, Perside, Aethiopia, Monachorum quotidie turmas suscepimus; Deposuit pharetras Armenius, Hunni discunt Psalterium, Scythæ frigora feruent calore fidei, Getarum rutilus, & flauus exercitus Ecclesiarum circumfert tentoria, & ideò forsan contra nos æquali pugnant acie, quia pari religione confidunt.

Sententia S. Hieronymi de prædicatione Euãgelica.

Idẽ S. Hieronymus.

Memoriæ proditum est anno 179. à Christi natiuitate Lucium Britannorum Regem ad sanctum Pontificem Victorem Legatos misisse, per quos enixè petiuit Diuini Verbi ministros aliquos, & Sacerdotes, qui populos in fide, & moribus Christianis instruerent. Hinc Sanctus Pontifex duos quasi Apostolos, Domitianum, & Fugatium misit, qui innumeras illas gẽtes ad Christi fidem conuerterunt: Atq; huc respexit Tertullianus lib. allegato aduers. Iud. cap. 7. scribens, Britannorum inaccessa loca Romanis, Christo colla subdidisse, & per idem tempus Christiana Religio felicissimè apud Indos propagata est, opera, & studio Pantani Philosophi Christiani, Alexãdriæ sub Iuliano Episcopo docentis, vt narrant Euseb. lib. 5. hist. cap. 10. & Hieronym. ep. 84.

Lucius Rex Britanniæ.

Scoti, & Hiberni acceperunt fidem à S. Palladio, & à S. Patrio, illo primo Scotorum, hoc primo Hibernorum Episcopo.

Ruthenos, & Moscouitas ab Apostolis Thadæo, & Bartholomæo Euangelium audiuisse, antiqua fama est.

Tempus quo nõnullæ Nationes acceperunt Euãgeliũ Dei.

Poloni, dominante Miezislao anno salutis 965. Ecclesiæ sunt aggregati; Vuandali, & Lechitæ sub Io. 13. Papa baptizati sunt; Dani, & Sclaui sub Othone 1. & Agapito 2. Papa ãno salutis 949. fidem receperũt. Hũgaria sub Geilca Principe S. Adalberti Ep. Pragẽsis opera cõuersa est.

De

Quando Abyssini acceperunt Euangeliū. De Imperio autem Christiano Abyssinotum, & de fide illorum, qui interiorem incolunt Aethiopiam, quid attinet plura dicere? Sat sit illud recensere, quod litteris consignauit elegantissimus scriptor Io. Petrus Maffeus lib. 8. hist. Indicarum. Accessit inquit ab Aethiopico, seu Abassino Rege Legatus ad Lusitanum Regem nomine Zagazabus, itemq; cum donis, ac litteris ad Romanum Pontificem Franciscus Aluarus, Rhotetici Comes. Is in Lusitania reuectus, Italiam deinde petijt, ac *Bononia:* Bononiæ in celeberrimo conuentu, cum Cæsar coronatus adesset, Clementi Septimo, vti vniuersæ Ecclesiæ Pastori, & summo in terris Vicario paratā ad omne obsequium voluntatem Abassini Regis, ac studium solemni cum adoratione, & pedum osculo detulit. Quo facto clarissimè demonstratur, Christianam Religionem, tum antiquioribus, tum recentibus sæculis apud Aethiopes floruisse. Commemoraui prisca sæcula, quia proditum est Regnum illud recepisse fidem non solum à Thoma Apostolo, sed etiam ab Eunucho Candacis Reginæ Aethiopum, qui à Philippo Diacono fuit baptizatus, vt fidem faciunt Iræneus, Cyrillus, Eusebius, Hieronymus epist 103. ad Paulinam. Hæc promiscuè de Europa, & Asia prolata sunt. *A quibus Aethiopes acceperint Euangeliū.*

De Aphrica verò quid dicam? In cuius celeberrima Mundi parte ager Domini cultus vomere prædicationis, Euangelij semen suscepit copiosissimum, & imbre sacris baptismatis fuit irrigatus. *A quibus Aphrica acceperit Euangel.* Sanctum Simonem Chananæum Apostolū Aphricanos Christiana Doctrina instituisse, tradunt S. Augustinus de vnitate Eccles. cap. 15. & Saluianus lib. 7. de Prouidentia Dei, & S. Innocent. Papa Epist. ad Decentium scripsit à S. Petro missos in Aphricam Discipulos, qui terras illas Christiana religione initiarent. Ideò tempore Constantini Magni Christiana veritas per omnes Prouincias Aphricæ, Numidiæ, & Mauritaniæ amplificata est, referente Eusebio lib. 10. hist. cap. 6. *Constantinus Magnus.* Propterea ætate S. Augustini, quæ fuit sub Imperio Honorij, & Theodosij, extiterunt in Aphrica quadringenti, & sexaginta sex Episcopales sedes Catholicæ, & centum quinquaginta nouem Donatistarum, & compertissimum est Trasamundum Vuādalorum Regem Hunnerici successorē, relegasse in Sardiniā ducentos vigintiquinque Episcopos, inter quos erat S. Fulgentius Doctrinæ, & Sanctitatis fama conspicuus. *Exilium Episcoporū* Superioribus verò sæculis totis Aphricæ littoribus, atque adiacentibus Insulis, per verbi Dei Legatos, & præcones Christianam Religionem explicatam fuisse, non est quod referamus; Nimis enim prolixum opus conficeremus, si omnia singillatim persequeremur.

SECTIO QVARTA.

Sequitur inuestigandum, An in nouo Orbe prædicatum sit Euangelium; & quemadmodum nomine veteris Orbis intelligendæ sunt Zonæ temperatæ, ita pro nouo Orbe accipiendæ sunt Zonæ extremæ, & etiam Zona Torrida. *Proponunt quæsita.* Et quærendum est, An sub Zona Septentrionali, Australi extrema, & torrida, seu sub Aequinoctiali Christiana Religio instituta sit. Et primum quidem in parte Septentrionali noua Gallia inuenta est à Gallis, illuc nauigantibus, atq; ideò ad illam ingentem Prouinciam Gallos Christianam fidem profitentes, Euangelicam cognitionem deportasse, affirmandum est. *Noua Gallia.* Insula ipsa Groenlandia, quasi sub Septentrionis axe posita fidem recepit, & in ipsa adest Monasterium Fratrum ex Ordine D. Dominici, quamuis habitatores in parte Mediterranea eiusdem Insulæ Euangelium non cognoscant. Verum per extremas Septentrionales plagas nequaquam diffusa est Euange-

lica co-

Iacobus Quartierus. lica cognitio, quoniam Septentrionalis oræ confinia nondum nota sunt. Iacobus Quartierus ad illam vltimam partem peruenit, anno 1535. Scilicet vsque ad gradus quinquaginta Poli perrexit, *Gasparus Corterealis.* & Gasparus Cortercalis vsque ad gradus 60. nauigauit, vbi reperit immensa figura, & flumina glaciata; Et Sebastianus Gabot, expensis Henrici Septimi Angliæ Regis, vsq; ad grad. 67. progressus est, vltra quos gradus dicitur terra ignota. Quin in ea Septentrionali parte adest inter cæteras Prouincias illa, quæ *Antonius Zenus Venetus.* Esotilantes appellatur, quæ inuenta fuit ab Antonio Zeno Veneto, anno 1390. cuius Prouinciæ termini versus Boream habentur ignoti. *Fides christiana ignota in vltimis partibus Septentrionalibus.* Quamobrem in vltimis Septentrionalibus oris Christianam fidem ignotam esse, putandum est, quamuis ipsam rigentem Zonam Aquilonarem habitatam esse, dubitandum non sit.

De Zona Torrida non est quod hic multa disputemus, cum in Philosophica Disputatione, nõnulla à nobis tradita sint; *Error nonnullorum de Zona Torrida.* Quamquam enim Zonæ torridæ habitationem impossibilem putauerint Aristoteles, M. Tullius, Virgilius, Ouidius, Plinius, Macrobius, & alij; tamen ipsis aduersatur Ptolomæus, qui Taprobanę Insulæ partem sub Aequinoctio, & multas Aethiopum gentes collocauit; *Vbi sit Paradisus terrestris.* Imò nonnulli Paradisum terrestrem sub ea Cęli parte situm crediderũt, quod difficile est sacris literis conciliare, quæ Tigrim, & Euphratem fama notissimos omnes ex Paradiso defluere commemorat, quos à Septẽtrionali plaga in Persicum deuolui sinum non ignoramus. Addo, maiorem Aphricæ partem Torridæ esse subiectam, & notum est Caput viride, Insulam S. Thomæ, in medio Aequinoctiali positam esse, & Moluchæ Insulæ, multo aromate, atque vnionibus Beatæ, sub Aequinoctiali linea sitæ sunt. In hac Zona Christianam religionem ędificatam *Nicephorus.* fuisse testatur Nicephorus lib. 2. cap. 4. asserens in Taprobane D. Thomam Euangelium prædicasse; In qua Insula est mons, in cuius fastigio hominis apparent vestigia, quem illæ gentes asserunt venisse ad reuocandos populos à falso Deorum cul- *Vestigia hominis, quæ apparent in Monte.* tu ad veri Numinis cognitionem. Dixerunt aliqui illa vestigia fuisse Eunuchi Candacis Reginæ Aethiopiæ, quia Dorotheus Tyri Episcopus, qui floruit, imperante Constantino Magno, refert, hunc Eunuchum Euangeliũ prædicasse in Arabia felici, & in Taprobane. Ego tamen libentiùs adhæreo opinioni Nicephori supradictæ, asserentis illic Apostolum Thomam Euangelium celebrasse.

Nimis prolixa hæc duceretur tractatio, si omnes Prouincias persequi vellem, quæ sub Zona torrida collocatæ, Christianam agnoscunt, colunt, & venerantur veritatem. Intra hanc Zonam adest noua Hispania, quæ extenditur à florida, vsq; ad *Noua Hispania.* mare Californicæ, & à meridie terminat cum Guatimala, & Iucutan. In qua noua Hispania pręcipuè, & insignis Ciuitas est *Ciuitas Mexicana.* Mexicana, à qua vniuersum Regnum, & Prouincia denominatur, quæ distat ab Insulis Fortunatis centum gradibus, & est antiquissima Prouincia, in qua iam prædicatum est Euãgelium, cuius prædicationis initio Gentiles illi, ac Idolatræ vsq; ad *Numerus hominum baptizatus.* octo milliones sacro baptismate initiati sunt; Et licet Dæmon horrifico aspectu illos à Religione suscepta deterreret, tamen permanentes in vocatione, Dæmonem, præsidio Eucharistici Sacramẽti fugarunt.

Non me latet ab Antonio Speculati *Nouum Mexicũ.* anno 1583. inuentum fuisse regnũ quoddam mediterraneũ, quod Hispani nouum Mexicum appellarunt, in quo pariter disseminatum esse Euangelium pro certo habeo.

Porrò Prouinciam Mechiocam fidem Christianam recepisse memoriæ *Baptismus Regi Prouincia Mechiocam.* proditum est, quippè Rex ille spontè Cortesium pro Regem Hispaniæ, & celeberrimum Ducem adiuit, & ipsius opere baptismate ablutus est, atque in huius Prouincię

uinciæ Vrbe dicta Pascuara residebat Episcopus, qui sedem Episcopalem transtulit ad Vrbem Valiadolit, & antequam viri Religiosi ex nostratibus ibi Euangelium explicarent, fama est, ipsos populos aliquam de Christi fide habuisse notitiam, quia credebant Mũdum habuisse initium, hominem creatum fuisse ex terra, & aquas vniuersum Mundum occupasse.

Regnum Peruanum accepit Euangelium. In Peruano Regno, sub Zona torrida collocato Christianam ardere fidem non est ambigendum; Etenim illa regio habitata est à naturalibus, seu proprijs ciuibus, ab Hispanis, & à Nigris, qui veniunt ex Congo, & Ginea, vt in fodinis elaborent; Vnde Hispani, acerrimi fidei nostræ cultores, Ciues Peruanos ad fidem assiduè conuertunt; Hinc in Peruana regione est Ciuitas, nomine Lima, vbi vna cum Prorege residet Episcopus, qui multis præsidet Episcopis.

Molucha insulæ acceperunt Fidem. Molucas Insulas fidem tenere Christianam notum est, atque cum aromaticis affluant odoribus, abundant etiã odore illo diuino, de quo scriptum est. Curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Brasilienses. Competentissimum etiam est, ad Brasilienses, qui summoperè gaudent incantationibus, Euangelicam peruenisse veritatem, illosq; genres Christianæ Doctrinæ dulcedine illectos, naturalem aliqua ex parte exuisse immanitatem. Tamen Lusitani, qui nostrates fructus illuc detulerunt, multum elaborant in inferendis fructibus Christianæ sapientiæ.

Regnum Tucumanum. In Regno Tucumano vigere fidem Christianam, testatissimum est; Etenim in Ciuitate, quæ dicuntur à S. Iacobo, & quę est pręcipua illius Regni vrbs, residet Episcopus, & apud Paraguaios populos, finitimos Tucumanis Thomam Apostolum prædicasse fama est, ibiq; in lapide pedum vestigia impressa reliquisse.

Insula Iaponij. Quid dicam de Insula vastissima Iaponij, quæ in quinquaginta tria regna, vel Principatus diuiditur? Iam potioribus illius Regni partibus fidem nostram illucescere testantur locupletissimè tot Patrum Iesuitarum Epistolæ, & apertissimè comprobarunt Legati, seu Oratores Regum Iaponiorum, scilicet Francisci Regis Bungi, Protasij Arimanorum, & Bartholomæi Omurensorum ad Gregorium Decimumtertium Summum Pontificem missi, anno 1585. post quam summus ille Pontifex, accuratissimus fidei propagator, Aegypti, Aethiopiæ, & Moscouitum Legatos pariter audiuisset. Meaca Prouincia est inter omnes Iaponius oras insignis, & caput Regni, atq; in hac nostram adolescere religionem monumenta testantur, quamuis innumera sint Iaponensium errata, & superstitiones, quas ipsos docent Sacerdotes Bonzi vocati, vt fusè enarrat Posseuinus in sua Bibliothec. l. b. *Meaca Prouincia.*

Si verò ad Brasiliam Iaponiam oram fides Christiana peruenit, non est dubitandum, quin ipsa quoque perrexerit ad Insulas Fortunatas, quæ à pręcipua Insula, Magna Canaria dicta, Canariæ appellantur, in Atlantico Oceano positæ, per quas panditur iter ad Peruanas, & Brasilicas regiones, quæ Insulæ post lapsum Imperij Romani absconditæ fuerunt, donec à Ioanne Bontecor Gallo, anno 1405. inuentæ fuerunt, ad quas acquirendas Hispaniæ Regina misit classem, anno 1444. Si enim Gallus vir in primis nobilis, & Christianus illas reperit, & deinde classis magna ex parte, ex Christiana gente composita illuc missa est, sine dubio coniectandum est, illic quoque fidem nostram cum armorum, & tubarum sonitu insonuisse. *Insula Fortunata.*

Quid cõ memorabo de Insula Madera in Atlantico Oceano collocata, quæ reperta fuit anno 1420 cuius Insulę caput est Ciuitas nomine Funcalia, in qua residet Episcopus, eiusdem Insulę Primas. *Insula Madera.*

Tandem in Insulis Noui Orbis iam Christiana fides radices agit, vt in Insula, quæ Italicè appellantur Canbbi, & Boriquen, quæ partim habitantur à Christianis, partim ab Indis, atq; in Insula, quæ Hispanica dicitur, inter alias Vrbes est Ciuitas Sancti Dominici, in qua residet Archiepiscopus. *Aliæ Insulæ.*

Hæc à nobis tradita sunt de illis regionibus, quæ partim sub Zona torrida sitæ sunt, partim ipsi finitimæ, vt nimirum compertum sit, Euangelicam religionem ibi vna cum Cęli ardore humana pectora inflammare.

Antequam ad Zonam Australem, seu Meridionalem, vel Polum Antarcticum sermonem conuertam, aliquid breuiter dicendum est de Sinarum regione, quæ vulgò dicitur China, in qua clarissimum est superioribus sęculis Lusitanorum præ- *China audijt Euangelium.*

nauigatione ita sinuum, & aditum n esse, sit illuc inferri Christiana fidè potuerit. An verò antiquiori... ulis ante Lusitanorum nauigationistiana Religio ad Sinas penetraincertum aliquibus videtur Scriptos; Ego tamen adstipulor ijs, quæ à ffeo tradita sunt lib.2.& 6.hist. Indic. olrum] Thomam Apostolum ad Sinas netrasse, ibique Euangelicam legem promulgasse, & cum multa à Masfeo afferantur argumēta, ad probandum D.Thomam apud Sinas commoratum fuisse, ego quoque obseruo id suadere dogmata à Sinensibus obseruata, Nam, vt de ipsis referunt historiæ, & præsertim Epist. Patrum ex Soc. Iesu, Animorum Immortalitatem constituunt, admittunt locum, in quo animæ post corporis obitum luunt pœnas peccatorum, & deinde purgatis fordibus ad beatas euolant sedes. Fundunt preces pro Defunctis, & eleemosynas, & alias expiationes; Quæ omnia indicant ante nouam Christianæ fidei introductionem primum Sinas Christi Euangelium nouisse. Et tandem illud conuincere videtur, Tomam in India fidem prædicasse, quia est Indis sit Sinis finitima, probabile est, vsque ad Sinarum regnum apud antiquos celeberrimum penetrasse; In India verò Thomam Euangelicam legem promulgasse notius est, quam demonstretur; Id enim Sacra Scriptorum caterua vnanimi tradit consensu; & in primis Gregorius Papa Homil.17.in Euang. Greg. Nazianzenus orat. contra Arianos; qui Thomas deinde claro martyrio in Calaminia Indiæ Vrbe occisus est, ibique sepultus.

India accepit euan. gelium à Thoma Apostolo.

Hinc certissimum est Christiana Sacra in Insulas Philippinas, à Philippo 2. ita appellatas, & sua classe subiugatas, illata esse; Nam Philippinis victricibus armis inuictis, & superatis faciliori negotio Sinarum gentes clarius apertæ, & patefactæ sunt, apud quas cum nunciatum sit Euangelium in ipsis quoque Philipinis Insulis iam celebratum esse perspicuū est. Sed vt ad Sinas reuertar, earum conuersionem putant aliqui indicatam fuisse à verbis Isaiæ cap. 11. vers. 11. quæ ita se habent. Et erit in die illa: Adijciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethyopia, & ab Aelam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab Insulis maris. Etenim nomine Sennaar aliqui interpretati sunt Sinarum regionem, & putarunt hoc Prophetæ oraculum Sinarum conuersionem ad fidem significare. Sed hæc verba Cornelius à Lapide interpretatur de Iudæis, quarum prima vocatio, & possessio fuit, quando Deus per Moysen ipsos euocauit, & eduxit ex seruitute Aegyptiaca. Indicat verò Propheta Israelitas colligendos esse à præconibus Euangelij in fine Mundi, vt ad Christum conuertantur, & fidelium Cōgregationi aggregētur. Ideò primò inquit Relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto ad significandum Prouincias Assyriacas, & Aegyptiacas, per quas ob bella, & clades diuersas dispersi fuerunt Israelitæ; quorum plurimi in Aegyptum cum Rege Ioachaz à Pharaone Nechao abrepti fuerunt, vt loquitur Scriptura 4. Regum cap. 23. Qui Israelitæ fugerunt etiam in Phetros, idest in Arabiam petreā, quæ ita appellatur, quia eius Metropolis erat Vrbs Petra; nomine verò Aelam significantur Persæ, Medi, Sogdiani, & Bactriani, & Aelam significat Aelamitarum regionem, quæ supra Eulæum flumen sita est; Sennaar autem non pro Sinis, sed pro Babylonia exponitur, & nomen Emath ad Libanum spectat, non longè distans à Damasco. Tandem Insulæ maris, de quibus loquitur Propheta significant Græciam, Italiam, Hispaniam, & totam Occidentalem plagam, quæ quasi clauditur Oceani ambitu, & sensus Prophetæ est; quod vbilibet locorum, & gentium dispersæ fuerint reliquiæ Iudæorum, inde à Deo euocabuntur, & ad Christum conuertentur, atque ita hoc Prophetæ oraculum interpretatur D. Hieronymus. Quare non est, quod hæc verba ad Sinarum populos retorqueantur.

Insulæ Philippinæ acceperunt euangeliū.

Sensus nominis Sennaar.

Expositio Cornelij.

Fuga Israelitarū.

Sensus vocabuli Aelam.

Sensus vocabuli Sēnaar.

Iudæi dispersi vbiq; locorum.

Hac præstita occasione, obiter dicam Isaiæ verba, quæ traduntur cap.8. non esse intelligenda de noui Orbis conuersione ad fidem Christi, vt aliqui ex recentioribus exposuerunt. Væ inquit Propheta, terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Aethyopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectan-

Quomodo intelligenda verba Isaiæ.

tem, & cõculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius. Et quamuis hæc verba Ludouicus Legionensis, & Montanus interpretentur de Indijs, ac nouo Orbe, subiugando, & conuertendo, tamen sanius est asserere Prophetam prędicere cladem Aethyopum, instantem per Sennacherib, & futuram per Nabuchodonosor, quam enim inchoauit Sennacherib, compleuit Nabuchodonosor. Ideò ipsos Aethyopes ad Dominum conuertendos esse, prædicit Propheta, qui simul significat Aethyopes afflicturos esse Iudæos, quoniam cum Sesac Rege Aegypti contra ipsos Iudæos coniurarunt, vt legitur 2. Paralipom. 12. & Zaram Aethyopem cõtra Iudęos venisse cum exercitu decies cẽtena millia continente, & curruus trecentos traditur 2. Paralipom. cap. 14. quamuis Asa, qui tunc Tẽporis regnabat, ipsos Aethyopes, auxiliante Domino, vsque ad internecionem fugauerit, & Domino cædente contriti sint in exercitu illo præliante. Illa verba, quæ est trans flumina Aethyopię, confirmant hanc expositionem, quia nõ significant Aegyptum, quæ propriè nõ est trans, sed intra riuos Nili, Aethyopia verò est trans ipsos Nili riuos. Subiungit Propheta: Et in vasis papyri super aquas, vt significaret naues ex papyro frutice compositas, quarum vsus est tum in Aegypto, tum in Aethyopia. Per cymbalum verò alarum, intelliguntur ipsæ naues Aethyopicæ, adeo veloces cursu, vt volitare videantur, & remigijs instar alis vti, iuxta illud Poetæ Remigio alarum; Cymbalum autem significat, Aethyopes inter nauigandum leuis concrepare, vt solent etiam Aegyptij. Vnde Plutarchus in vita Antonij describit nauẽ Cleopatrę, in qua remi ad tibię, fistulęq; modulos mouebantur, & personabant. Porrò illa verba; Populus, post quem non est alius, indicant Aethyopicas gentes, quæ quasi sunt in fine Orbis versus meridiem; pertingunt enim per regnũ Gongi, & Monomotapæ ad promptorium Bonæ spei, in quo videtur terra terminare, & vltra, non nisi Oceanus transcurrere. Quare hæc Prophetæ verba sensu litterali nihil habent commune cum noui Orbis cõuersione; Inficiari tamen nequeo, Vatabli expositionẽ accusandam non esse, qui sensu potius allegorico, & symbolico, quam litterali interpretatur de gentibus maximè remotis, quæ vocandæ sunt ad Christi fidem, & ad eas mittendi Angeli, idest Apostoli, vt ipsæ iam à Dæmone conuulsæ infidelitatis, & Idolatriæ peccato, per Christi gratiam, & Euangelicam legem restaurentur, & saluentur. Itaque si litteraliter exponantur supradicta verba, non sunt accõmodanda conuersioni noui Orbis, si verò allegoricè, & symbolicè, nõ est prorsus redarguenda interpretatio.

Expositio Ludouici Legionensis. *Sensus melior.* *Aethyopũ conuersio ad Fidem, & eorum vexatio.* *Exercitus Zara.* *Confirmatio vera expositionis.* *Explicantur nonnulla verba Prophetæ.* *Velocitas nauium.* *Nauis Cleopatræ.* *Monomotapa.* *Verus sensus verborum Prophetæ.* *Vatabli expositio.* *Sensus litteralis, allegoricus.*

Verum nostra iam tempus est, vt reuertatur tractatio ad Prouincias, & Regna, quę Christi nomen, & insignia receperunt in nouo Orbe; Et quoniam supra in America, Parte noui Orbis, lustrauimus Prouincias, quæ tum in plaga Septentrionali, & Zona rigente, tum in Zona torrida collocatæ sunt, reliquum est, vt illas percurramus oras, quæ in parte Australi, siue Mediterranea Americæ constitutæ sunt.

Propositio.

Si igitur loquimur de oris Australibus, iam motis vetustioribus sæculis, non est, quod multum immoremur in demonstrãda promulgatione Euãgelica in illis partibus, in quibus iam omnibus est notissima; Non prætermittam quidem breuiter examinare, an conuersio ad fidem illarũ regionum prædicta sit à Propheta Abdia, cap. 1. vers. 2. vt aliqui sunt interpretati, Et Transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit Ciuitates Austri. Hæc sunt Prophetæ verba, quibus Maluenda lib. 3. de Antichristo cap. 17. contendit probare, Hebræos Hispanos, iam factos Christianos nouum Orbem Christianis doctrinis imbuisse; Nam vbi hebraica lectio ponit Bosphorum, alij legunt Sepharad, quam vocem dicunt sonare Hispaniam, vt exponunt Lyranus, Burgensis, & Vatablus; Et pro trãsmigratione Hierusalem, iuxta hanc expositionem, intelliguntur Hebræi ex Iudęa in Hispaniam translati. Quod factum est, quando Nabuchodonosor ingenti exercitu ex habitatoribus terræ Hierusalem, & Chanaam cõflato venit in Hispaniam, teste Iosepho lib. 10. Antiquit. cap. 11. & Strabone lib. 15. de situ Orbis. Præterea Titus Vespasianus ita appellatus, quia Vespasiani fuit filius, ex clade Hierosolymitana multos Iudæos in Hispaniam captiuos extrusit, vt fidem facit Maria-

Conuersio ad Fidem regionum Australiũ. *Malachiæ expositio circa verba Prophetæ.* *Bosphorus.* *Iudæi in Hispaniã delati.*

riana lib. 4. de ṛebus Hiſpanicis cap. 4. Hadrianus quoque, confecto bello Iudaico, ſuperſtites Iudęos in Hiſpaniam tranſtulit; Et ex Philone habemus, tempore Chriſti Domini in Aſiam, Aphricam, & Europam innumeras Hebręorũ colonias

Vbi fuerint Coloniæ Iudæorum.

petrexiſſe, & vulgatiſſimum eſt Ferdinãdum, & Eliſabetã, Catholicos Reges anno Domini 1492. expuliſſe ex Hiſpanijs 124. millia familiarum Iudaicarum, quæ

Expulſio Iudaorum.

nolebãt Chriſtianam colere Religionem, cum tamen multæ remanſerint, Chriſtianam Religionem amplectentes. Itaque ſenſus Abdiæ eſt, ex Maluendæ, & aliorum expoſitione, Iudæos Hiſpaniam habitantes, poſtquam ſe Chriſtianæ Religioni dederunt, peruenturos eſſe ad Ciuitates Auſtri; & ad nouum Orbem Auſtralẽ, ibique Euangelium prædicaturos.

Senſus verborum Abdia.

Ego, qui hãc expoſitionẽ prorſus extortã, & diſſonam agnoſco, Lyrani expoſitioni ita interpretantis Prophetæ verba, libenter adſtipulor. Vtiq; admittit hic Author, vocem, In Boſphoro, in hebræo haberi in Sepharad, & accipit pro Hiſpania, ſed addit, oraculum Abdiæ impletum fuiſſe à Iacobo Apoſtolo, ac eius diſcipulis, in Hiſpania Chriſti fidem, primordijs Eccleſię, prædicantibus, & ſenſus eſt, Iacobum annunciaſſe Euangeliũ vſque ad terminum terræ; nam Sepharad D. Hieronymus obſeruat Chaldaicè terminum ſignificare.

Significatio vocabuli, Boſphorus.

Expoſitio Lyran. circa verba Abdia placent.

Itaque Iacobus Apoſtolus ex Hieruſalem diſcedens, in Hiſpaniam profectus eſt, & peruenit ad oppidum, quod finis terræ vocatur, propè Vrbem Compoſtellæ, quo in loco Antiquitas orbem cognitum, & ad Occidentem poſitum deſinere exiſtimauit. Quocirca Prophetia impleta eſt per prædicationem, factam à D. Iacobo in extremis partibus Auſtri cognitis, & habitatis.

Iacobus Apoſtolus.

Compoſtella.

Non eſt igitur, quod hæc Prophetia ad partes Americæ Auſtrales transferatur; Nihilominus ſi ſupradicta verba, Ciuitates Auſtri, Americanis oris accommodemus, dicendum eſt, per Ciuitates Auſtri intelligi regiones torridæ Zonæ, eò magis, quia alij transferunt ex hebræo, Ciuitates ariditatis, quales ſunt illæ, quæ ſub Torrida collocantur, ſub qua, cum maior ſit pars Americæ, fortaſſe Abdiæ vaticinium applicari poteſt cõuerſioni factæ in illis partibus, ad quas cum peruenerint claſſes Hiſpanicæ primum ductæ à Chriſtophoro Columbo, poſtea à Ferdinando Magalanes, iure meritò dicuntur Hiſpani illas Prouincias ſuauiſſimo Chriſti iugo ſubieciſſe.

Prophetia malè intellecta.

Expoſitio Abdia.

Chriſtophorus Columbus.

Legendus eſt tamen in hæc verba Abdiæ Franciſcus Ribera, qui multis rationibus probat hebraicam vocem Sepharad Hiſpaniam non ſignificare, maximè cum Septuaginta legant, Ephrata, & alij codices habeant Apharatha, & præſertim conſiderat D. Hieronymum hebræorum arcana optimè callentem, atque in Iudæa ſuam vitam agentem nũquam Hiſpaniam Sepharad appellaſſe; Præterea redarguit hic Author illos, qui putarunt, à Nabuchodonoſor Hebræos in Hiſpaniam captiuos ductos eſſe, quoniam in vincula coniecti, non in Hiſpaniam, ſed in Babyloniam extruſi fuerunt, vt patet ex 2. Paralipom. cap. ſupra memorato.

Senſus vocis Sepharad.

Quo abierint occiſi Iudai.

Inficiatur etiam alios Hebræos, euerſa Hieruſalem, à Tito in Hiſpaniam miſſos eſſe; neque id aſſerit Ioſephus teſtis oculatus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 16. vbi narrat, latrones, & ſeditioſos omnes Hebræos Titi mãdato occiſos eſſe, iuuenes electos, procero, & formoſo corpore, triumpho ſeruatos, & maiores ſeptem; & decem annis vinctos ad Aegyptũ miſſos eſſe, laborioſis operibus deputatos, & plurimos tandem per Prouincias diſtributos, in ſpectaculis ferro, & beſtijs conſumendos. Propterea ex Ioſepho non conſtat, Hebræos à Hieruſalem in Hiſpaniam translatos eſſe.

Error nonnullorum.

Iudai occiſi.

Itaque Ribera interpretatur, transmigrationem Hieruſalem ad Ciuitates Auſtri, ſignificare, illos captiuos, qui ex Hieruſalem in Babylonia migrarunt, & illa verba, quæ in Boſphoro eſt, ſonant, vt diximus in Sepharad, ideſt in extremis, & remotiſſimis Chaldęorum finibus, vbi detinebuntur Iudæi, qui tandem, fauente Deo, redibunt in Iudæam, & poſſidebunt Ciuitates Auſtri, nimirum tenebunt Vrbes ſuas, quaſi antea poſſedebant, quæ vocantur Ciuitates Auſtri, quoniam Iudæa ad Auſtralem plagam, vna cum terra promiſſionis poſita eſt; Ideò illi captiui redierunt ad vrbes ſuas, cum Zorobabel, & Ieſu filio Ioſedech, & cum Neemia. Cõfirmat Ribera ſuam interpretationem ex eo, quod Boſphorus, de quo loquitur Propheta, ſignificat anguſtum mare, quale nũc eſt fretum Conſtantinopolitanum,

Sententia Ribera circa Abdia verba.

Significatio vocis Boſphor.

Reditus Iudaorum.

Boſphorus.

& quale est fretum propè Mæotidem paludē, quod Cimmeriū appellatur. Quamobrem sensus est, quod Iudęi relegari fuerunt in eam partem Babylonis, quæ erat in extremis Babyloniæ partibus, & propè fretum angustum. Itaque, ex interpretatione Riberæ, quam ego penitus approbo, nullatenus colligitur, ex orsculo Abdiæ, Hebræos in Hispaniam traductos, & Christianos euasos, in partibus Australibus Euangelicam legem patefecisse.

Locus exilij Iudæorum.

Neq; recipienda est, vt hæc obiter dicam, opinio Gilberti Genebrardi Episcopi Aquensis, viri cæteroquin eruditissimi, putantis, auolas Americæ esse ex tribubus Israel, & ex illis, quæ sub Oseę Rege Israel à Salmanasare Assyriorum Rege captiuæ in Assyriam ductæ fuerunt; ex qua regione, quanam via ad nouas Americæ oras transierint, non satis explicat. Propterea hæc opinio prorsus à veritate dissentire videtur, quoniam si Americani Iudaicæ essent prosapiæ, dubio procul apud illos aliqua recordatio Iudaicorum rituum seruaretur, & præsertim per aliquod tempus adhibita fuisset Circumcisio; Cæterum, cum apud Americanos nulla hebraicæ legis extet memoria, nullus Iudaicus ritus vigeat, explodenda est prorsus Genebrardi sententia; Neq; suffragatur, vt ipse obseruat, quod in Insulis Terriarijs hebraici characteres, sepulchris insculpti, aliquando lecti fuerint; Nam esto hoc verum esse, dicendum est, Insulas Tertiarias non ita à veteri orbe diuulsas, & remotas esse, vt Iudæi, vel ex Gallia, vel ex Hispania ad ipsas pertingere nō potuerint, eo tempore, quo continens Americæ erat ignota; Itaque hinc nō infertur, Americanas gentes ex supradicta tribu Hebraica progenitas esse. Fateamur tamen necesse est, Americanos homines verè ex Adamo satos esse, & progenitos, & quomodo illuc peruenerint, non est certum, & exploratum;

Sententia Gilberti reiecta.

Soluitur obiectio.

Putandum tamen est, Nepotes Noe, viros peritissimos, totius Orbis, & sideralis scientiæ callentissimos, referente Iosepho lib. 1. Antiquit. cap. 2. illas regiones propriæ scientiæ auxilio cognouisse, atq; illuc se recepisse, vel medio aliquo continente, nostrum veterem Orbem cum illo coniungente, vel mari aliquo angusto, seu freto, cuius deinde continentis, vel freti memoria, cum ad habitatores nostri Orbis propagata non fuerit, interclusus remansit aditus ad illas extremas regiones Americæ, donec Columbus, & Magalanes ipsum aditum aperuerūt, & viam strauerunt; Vel satius affirmandum est, viros illos ex Noetica stirpe progenitos nō minus doctrina, quam sanctitate conspicuos ab Angelis illuc delatos esse, vt etiā in illis partibus humanum genus propagaretur; & quemadmodum, ex aliquorum mente, Apostolus Thomas ad illas ignoti Orbis Insulas se transtulit per mare, proprio pallio, tamquam nauigio, vectus, ita diuinitus Noe filij, & nepotes illuc se contulerunt ad humanam prolem multiplicandam.

Nepotes Noe adierunt Americam.

Columbus, Magalanes.

Alia expositio.

Thomas vsus pallio pro nauigio.

An verò in nouo Orbe, quem Americam vocamus, antequam Columbus ad illas ignoras plagas puppim dirigeret, & ad eas accederet, Euangelica veritas illuxerit, dubia prorsus, & incerta res est; Siquidem aliqui autumant, vt supra dixi, ex sententia Nicephori, & aliorum, tempore Apostolorum, vel Thomā Apostolum, vel aliq̄t ex discipulis prædicandi Euangelij causa ad illas Insulas profectum esse, vel Angelorum ministerio deuectum, & ibi ante Columbi nauigationem Christianam veritatem explicasse. Ita tradidit P. Iosephus à Costa lib. 5. Indic. hist. cap. 27. vbi obseruat multos Christianos ritus à Peruanis seruari, & antiquitùs etiam seruatos esse. Hinc aliqui Indicarum rerum scriptores memorię prodiderūt, apud Brasilios à maioribus traditam conseruari memoriam, S. Thomam Apostolum ad illas oras appulisse. Quid in hac re sit sentiendum, non habeo aliquid, quod tamquam firmum proferam, & inconcussum. Existimo tamen, ad regiones Americæ ignotas, ante Columbi, & Magalanis nauigationes nullum Euangelicum nūcium peruasisse; Atque in hanc opinionem me adducunt ingentes, quos adhibet Dominus Deus, Christi fidelium labores, & religiosorum hominum martyria, quibus in illis agris Christiana seritur religio; Etenim, si aliquando ibi radius fidei emicasset, necesse non esset, vt tot martyrum sanguinem ager ille Domini irrigaretur; Siquidem sufficit, ad reddendas inanes excusationes illarum gentium, quæ antea fidem Christi receperunt, certum esse illas aliquando voces Domini excepisse

America dicitur nouus orbis.

Incertū an in Americam peruenerit euāgelium ante Columbi nauigationem.

Sententia nonnullorum.

Sententia scriptoris.

Ratio.

Non

Non enim amplius propter ignorantiam inuincibilem suam infidelitas est culpanda. Quare probabilius arbitror ante apertionem, & cursum Columbi illis regionibus à nostro Orbe penitus remotis, & di-

Probabilior sententia.

uullis Euangelium non innotuisse. Neq; huic assertioni officiunt ea, quæ passim à scriptoribus noui Orbis enarrantur, vt à Petro Martyre Anglerio, Ferdinando Cortesio, Francisco Gomara, Iosepho à Costa, & alijs, nimirum, Americanos vniuersale diluuium nosse, animam humanam immortalem declarare, præmia, & supplicia post hanc vitam bonis, & malis constituere, receptacula diuersa probis, & improbis in altera vita decernere, quandoquidem hæc ferè omnia à Gentilibus approbátur, & commemorata sunt à Platone pluribus in locis, cum tamen neque Plato, neq; cæteri Gentiles de Christiana religione notitiam haberent; multa enim vel naturæ lumine, & quodam afflatu diuino humanis ingenijs innotescunt, vel per maiorum traditiones ab hominibus excipiuntur; Quamobrem cum Nepótes Noe ad oras Americanas, & ad Antipodes, vt infra dicam peruenerint, ab ipsis Americanæ, & Antipodes gentes multas notitias antiquitus hauserunt, & præsertim vniuersalis Diluuij cognitioné, quam etiam illæ gentes experientia didicerunt, quando vniuersum Orbem ingens ille, & communis aquarum catachlysmus occupauit. Quamobrem statuendum censeo, quod sicuti Christi fides per totum veterem Orbem diffusa fuit, nó quidem Apostolorum tempore, sed successiuis sæculis, in quibus multi summi Pontifices ad diuersas Orbis regiones verbi Diuini ministros miserunt, vt inter cæteros Innocentius Quartus, Nicolaus Quartus, Ioannes vigesimus secundus, Innocentius sextus, Gregorius nonus, & alij, quos longum est referre; ita veritati consentaneum puto, in illa noua Ecclesia, tamquám in noua vinea Christianá doctrinam non egerminasse, ante Nauigationem Columbi, & tot Lusitanorum, & Castellanorum, qui per varios casus, per tot discrimina rerum Euangelicos præcones illuc deferendo, Catholica dogmata traduxerunt. In quo opere elaborarunt, & assiduè defatigant viri sanctitate, & doctrina præstantes, ex ordine S. Dominici, Franc. sci,

Obiectio nonnullorum soluitur.

Nepotes Noe.

Conclusio.

Augustini, & præsertim Patres ex Societate Iesu, qui tamquam vasa pretiosa à Leo electa, D. Pauli æmulatores, ad illas barbaras, & immanes gentes nomé Iesu summa cum admiratione detulerunt. Quoniam verò multæ regiones in America nondum patefactæ sunt, quæ ingentes, & vastissimæ creduntur, vt ea Continens, quę supra fretú Magellanicum ab Oriente in Occidentem excurrit, & ille pariter terrarum tractus, qui supra Floridá in Aquilonem extenditur, & illa portio, quæ supra caput Mendozzinum, & Calephornias versus Orientem, & Septentrionem diffunditur, cum inquam hæ amplissimæ terræ regiones, hoc sæculo adhuc ignotæ sint, statuendum est Euangelium nódum per vniuersum terrarum Orbem diffusam esse; Quamuis enim superioribus annis Iacobus Le Maire soluens ex Colao Limo Prouinciæ Peruanæ versus axem Antarticum prætergressus sit fretum Magellanicum in Australi Oceano ad quinquaginta sex gradus, quo nullus adhuc peruenerat, tamen illarum terrarum nulla ad nos delata est notitia, & solum fretum illud à proprio Authore fretum Le Maire est nominatum. Cosmographi tamen opinantur, tum supra fretum Magellanicum, tum supra fretum Lamaiium latissimam extendi continentem; Nam quemadmodum extremę partes zonæ frigidæ septentrionalis sunt habitabiles, in quibus potissimum iacent Scandia, seu Scandinauia, Iurna, Corellia, Biarmia, Lapia, Phinlandia, Phinmachia, Stricphinia, Islandia, Groenlandia, sub ipso pené axe posita, similiter putandum est extremas partes Australes Poli Antartici habitari, & quoniam ad cingulum illum vltimum Australem non extat memoria, aliquem progressum esse, asserendum est Euangelium in illis partibus nunciatum non esse, & consequenter nondum impletum esse oraculum Christi dicentis. Prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio. Matth. 24. si enim illæ gentes nobis ignotæ, ex morte ad vitam supremo Iudicij die reuocandæ sunt, & coram cælesti Iudice sistendæ, & de fide, vel ab ipsis non recepta puniendæ, vel pro Catholica religione excepta, & pro bonis operibus beatificandæ, nemo non

Pater disseminantes euangeliũ in America.

Nonnulla regiones adhuc ignota.

Iacobus Le Maire

Sententia Cosmographorum.

Nomina nonnullarum Insularum.

Nondum euãgelium prædicatum in vniuerso orbe.

videt

Ante indicium prædicantur vbiq; euangelium. videt illis gentibus primum annunciandum esse Euangelium: Quæ est ratio Soti in 4. Dist. 46. art. 1. cum enim gentes reprobari debeát, quod Fidem Christi non receperint, iuxta illud Matth. 16. qui verò non crediderit, condemnabitur, oportet sine dubio, vt illis Christi fides innotescat, vt postea in rebelles, & infideles, iusta Iudicis sententia promulgetur.

Tametsi quæ de America diximus, partim Antipodis conueniant, tamen aliqua breuiter de ipsis Antipodis adijcienda sunt, & quærendum, An ipsis exploratum sit Euangelium. Antipodes esse, hoc tempore ita notum est, vt nulla indigeat probatione, quamquam ipsos Lactantius, & D. Augustinus negarunt, vt à nobis adnotatum est in Dispur. Philosophica. Qui negabant Antipodes hoc nitebantur fundamento. *Dantur Antipodes sententia nonnullorum negātium est, eorū ratio.* Quod Adam in hoc nostro Hemisphærio fuit creatus; Propterea, cum ab Adamo descendentes ad illam Mundi sphæram, in qua homines nobis aduersa premunt vestigia, nequaquam peruenire potuerint, ne daretur aliqua gens humana ab Adamo non genita, Antipodes negarunt. *Ratio negans Antipodes reijcitur.* Cæterum cum falsum sit immensum, interfusum Oceanum inter nostrum Hemisphærium, & illum permeari non posse, dicendum est, homines ab Adamo progenitos ad illas nobis contrarias oras migrasse, ibique sedem fixisse. Hinc Magalianes ad quasdam Insulas, quæ Desertæ vocantur, perrexit, quas Italiæ Antipodes esse Cosmographi tradiderunt, & Prouincia Florida longitudinis quattuorcentum milliarium, quæ Florida dicitur, *Magnitudo Prouincia Floridæ.* vel quia tēpore Paschatis Floridi fuit inuenta, vel quia maxima gaudet amœnitate, omni genere fructuum opulentissima, dicitur iacere sub paralello Mauritaniæ, ipsi simillima, & Antipoda; Neq; obstat negat o Augustini, & Lactantij terræ figuram sphæricam, & rotundam negantium, *Ratio S. Augustini, est Lactātij soluta.* quæ etiam fuit opinio aliquot veterum Philosophorum, referente Plutarcho de Placit. Philos. lib. 2. Nam Peripatetica, & Mathematica doctrina exploratissimū est, Cælum, & quattuor Elementa esse sphæricæ figuræ; Quare, cum vniuersa terra, vt alias dixi, sit magna Insula, Oceano circumfusa, & ad omnes ipsius partes *Antipodes tum peruij.* nauigatione pertingere homines possint, asserendum est, ad supradictas oras Antipodum homines peruenisse, sed non ad omnes, ad quas consequenter nondum traductum est Euangelium, absque cuius notitia Antipodes in finale Iudicium non sunt vocandi.

Iam verò nostra oratio, vniuerso terrarum Orbe emenso, ex tam longo itinere defatigata, in hac demonstrata veritate conquiescat, nimirum, Euangelium vbique terrarum nondum esse prædicatum, *Corollariū.* neq; impletum Christi Domini oraculum de futura sæculi consummatione; Ideo, hoc expleto Quæsito, postremum aggrediemur, quod est de bellis, & cæteris infortunijs supremam Mundi diem præcedentibus. *Transitus.*

CAPVT QVINTVM.

Quæsita discutienda. Continet hoc Caput tria Quæsita per tres lectiones diuisa; nimirum quæritur, An destruenda sit Roma, ante Mundi consummationem; Num euertendum sit Romanum Imperium, ante eumdem Mundi finem; & quænam sint bella Gog, & Magog, antecedentia Mundi occasum. Omnia ex sacra Scriptura, & ipsius Interpretatione disputantur.

SECTIO PRIMA.

Quæritur an Romana Vrbs, ante Mundi interitum sit deuastanda subeat Lectorum animos recordatio, nostrum institutum in hac suscepta scripturali Disputatione esse inuestigare, num ex sacris literis signa aliqua colligantur, ex quibus Vniuersalis rerum consummatio certo tempore *Scopus cōtinuet scripturis.*

pore

pore designari possit. Quoniam verò inter cæteras coniecturas, seu signa, approximationem supremæ diei præcedentia, Christus Dominus Luc. cap. 21. his verbis, prælia, & seditiones enumerat (Cum audieritis prælia, & seditiones, nolite terreri, oportet hæc primum fieri, sed nondum statim finis) incumbit nobis onus disquirendi, de quibus prælijs, & seditionibus Redemptor noster loquatur. Et quidem constat ipsum verba non facere de bellis, quæ præcesserunt euersionem Hierusalem, quæ bella recensentur à Tostato, in cap. 24. Matth. vbi per Quæstiones 59. 60. & 61. conatur omnia à Christo prænunciata referre ad euersionem Hierusalem; quæ certè, si rectè considerentur, non applicantur appositè Hierusalem destructioni, sed Mundi consũmationi; Etenim Luc. 21. & Marc. 13. præmittit Christus hæc verba. Videte ne seducamini; multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego sum, & tempus appropinquauit. Venire autem in nomine Christi; aliud certè non significat, quam aduentum Antichristi, qui se Christum, & Messiam iactabit. Vnde verba, qui sequuntur cum audieritis prælia &c. sunt referenda, non ad Hierusalem, sed ad Mundi consummationem.

Prælia sũt signa vniuersalis interitus.

Expositio circa verba S. Scripturæ.

Opinio Tostati reijcitur.

Neque Christus sermonem habet de seditionibus excitatis aduersus Christianos, & contra summos Romanos Pontifices, quia loquitur Christus Dominus de prælijs, & seditionibus, quibus erit proxima vltima dies, vt indicatur illis verbis. Sed nondum statim finis. Persecutiones verò, quibus Romani Imperatores, Ecclesię primordijs, Christianę fidei sectatores acerbissimè afflixerunt, non sunt hoc loco recensendæ, quia cum iam retrò multis sæculis ipsæ contigerint, & nondum postrema dies appareat, de illis non loquitur Dominus, neque minus de persecutionibus, quibus aliquando in summos Pontifices sæuitum est, quæ à Cardinale Baronio in suis Annalibus explicantur. Hæ siquidem iam transactæ sunt, & nondum sæculi finis accessit.

Expositio nonnullorũ reijcitur.

Alia expositio reijcitur.

Neque Christi sermo est de bellis, quę per vniuersum orbem retrò exactis sæculis, & etiam præsenti tempestate circumsonant, etenim cum hæc, vel similia bella semper Orbem vexauerint, nec tamen adhuc Mundi interitus aduenerit, patet ipsa non esse signa Mundanum exitium præcurrentia. Quare loquitur Christus de seditionibus, & bellis, adeò sæuis, & atrocibus, vt nũquam talia fuerint, & meo quidem iudicio, ad tria bellorum genera reuocantur, scilicet ad bellum, quo, ex aliquorum sententia, Vrbs Romana destruenda est; ad bellum, quo Imperium Romanum est euertendum, & tandem ad bella Gog, & Magog, quibus Antichristus dicitur pugnaturus aduersus Christianos; Propterea de his tribus bellis à nobis est instituenda tractatio.

Alia expositio reijcitur.

Sac. Scrip. intelligẽda de tribus bellis.

Fundamentum destructionis Romanæ Vrbis, euenturæ, ante Mundi finem, constitutum est in vaticinijs D. Io. in cap. 17. & 18. Apocalyps. in quibus, ex communi SS. Patrum, & Interpretum placito, loquitur de aduentu Antichristi, & de illis, quæ ipsum aduentum præcedent; Inter quæ est destructio Romæ, quæ significatur, & repræsentatur imagine Meretricis magnæ, sedentis super aquas multas, imò sedentis super septem Montibus, quę septem capita à Ioanne appellãtur; Quæ Ciuitas Babylon dicitur, non quidem illa antiqua Chaldæorum Metropolis; nam cum in frõte sua scriptum habeat nomen Mysterium, significat mysticè, & allegoricè esse sumendam. Hinc decem cornua, quæ apparent in bestia à Ioanne visa, quæ cornua pro decem Regibus exponuntur, Romam diuastabunt, quod indicat D. Io. his verbis: Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicariam, & desolatam faciẽt illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt; Quam destructionem prosequitur Io. cap. 18. atq; inter cætera ait: Cecidit cecidit Babylon magna, & paulò post. In vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis est Deus, qui iudicabit illam, & flebunt, & plangent se super illã Reges terræ, qui cum illa fornicati sunt.

Romæ destructio.

Symbolum Romæ in S. Script.

Quid significent cornua decem, penes Io.

Excidium Romæ.

Quod Roma Babylonis nomine significetur, perspicuum est ex verbis Petri ep. 1. cap. 5. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone. Hinc Tertullianus aduersus Iudæos cap. 9. & lib. 3. aduersus Marcionem cap. 13. testatur, apud Ioannem Babylonem Romanæ Vrbis figuram præferre, & S. Hieronymus præfat. in libros

Roma significat nomine Babylonis, ex Tertull. & Hieron.

Di-

uinciæ Vrbe dicta Pascuara residebat Episcopus, qui sedem Episcopalem transtulit ad Vrbem Valiadolit, & antequam viri Religiosi ex nostratibus ibi Euangelium explicarent, fama est, ipsos populos aliquam de Christi fide habuisse notitiam, quia credebant Mūdum habuisse initium, hominem creatum fuisse ex terra, & aquas vniuersum Mundum occupasse.

Regnum Peruanum accepit Euangelium. In Peruano Regno, sub Zona torrida collocato Christianam ardere fidem non est ambigendum; Etenim illa regio habitata est à naturalibus, seu proprijs ciuibus, ab Hispanis, & à Nigris, qui veniunt ex Congo, & Ginea, vt in fodinis elaborent; Vnde Hispani, acerrimi fidei nostræ cultores, Ciues Peruanos ad fidem assiduè conuertunt; Hinc in Peruana regione est Ciuitas, nomine Lima, vbi vna cum Prorege residet Episcopus, qui multis præsidet Episcopis.

Molucha insula acceperunt Fidem. Molucas Insulas fidem tenere Christianam notum est, atque cum aromaticis affluant odoribus, abundant etiā odore illo diuino, de quo scriptum est. Curremus in odorem vnguentorum tuorum.

Brasilienses. Competentissimum etiam est, ad Brasilienses, qui summoperè gaudent incantationibus, Euangelicam peruenisse veritatem, illasq; gentes Christianæ Doctrinæ dulcedine illectas, naturalem aliqua ex parte exuisse inhumanitatem. Tamen Lusitani, qui nostrates fructus illuc detulerunt, multum elaborant in inferendis fructibus Christianæ sapientiæ.

Regnum Tucumanum. In Regno Tucumano vigere fidem Christianam, testatissimum est; Etenim in Ciuitate, quæ dicuntur à S. Iacobo, & quę est pręcipua illius Regni vrbs, residet Episcopus, & apud Paraguaios populos, finitimos Tucumanis Thomam Apostolum prædicasse fama est, ibiq; in lapide pedum vestigia impressa reliquisse.

Insula Iaponij. Quid dicam de Insula vastissima Iaponij, quæ in quinquaginta tria regna, vel Principatus diuiditur? Iam potioribus illius Regni partibus fidem nostram illucescere testantur locupletissimè tot Patrum Iesuitarum Epistolæ, & apertissimè comprobarunt Legati, seu Oratores Regum Iaponiorum, scilicet Francisci Regis Bungi, Protasij Arimanorum, & Bartholomæi Omurenorum ad Gregorium Decimumtertium Summum Pontificem missi, anno 1585. post quam summus ille Pontifex, accuratissimus fidei propagator, Aegypti, Aethiopiæ, & Moscorum Legatos pariter audiuisset. Meaca Prouincia est inter omnes Iaponiis oras insignis, & caput Regni, atq; in hac nostram adolescere religionem monumenta testantur, quamuis innumera sint Iaponensium errata, & superstitiones, quas ipsos docent Sacerdotes Bonz vocati, vt fusè enarrat Posseuinus in sua Bibliothec. l. b. *Meaca Prouincia.*

Si verò ad Brasiliam Iaponiam oram fides Christiana peruenit, non est dubitandum, quin ipsa quoque pertexerit ad Insulas Fortunatas, quæ à pręcipua Insula, Magna Canaria dicta, Canariæ appellantur, in Atlantico Oceano positæ, per quas panditur iter ad Peruanas, & Brasilicas regiones, quæ Insulæ post lapsum Imperij Romani absconditæ fuerunt, donec à Ioanne Bontecor Gallo, anno 1405. inuentæ fuerunt, ad quas acquirendas Hispaniæ Regina misit classem, anno 1444. Si enim Gallus vir in primis nobilis, & Christianus illas reperit, & deinde classis magna ex parte, ex Christiana gente composita illuc missa est, sine dubio coniectandum est, illuc quoque fidem nostram cum armorum, & tubarum sonitu insonuisse. *Insula Fortunata.*

Quid cōmemorabo de Insula Madera in Atlantico Oceano collocata, quæ reperta fuit anno 1420 cuius Insulę caput est Ciuitas nomine Funcalia, in qua residet Episcopus, eiusdem Insulę Primas. *Insula Madera.*

Tandem in Insulis Noui Orbis iam Christiana fides radices agit, vt in Insulis, quæ Italicè appellantur Caribbi, & Boriquen, quæ partim habitantur à Christianis, partim ab Indis, atq; in Insula, quæ Hispanica dicitur, inter alias Vrbes est Ciuitas Sancti Dominici, in qua residet Archiepiscopus. *Alia Insula.*

Hæc à nobis tradita sunt de illis regionibus, quæ partim sub Zona torrida sitæ sunt, partim ipsi finitimæ, vt nimirum compertum sit, Euangelicam religionem ibi vna cum Cęli ardore humana pectora inflammare.

Antequam ad Zonam Australem, seu Meridionalem, vel Polum Antarticum sermonem conuertam, aliquid breuiter dicendum est de Sinarum regione, quæ vulgò dicitur China, in qua clarissimum est superioribus sęculis Lusitanorum præ- *China audiit Euangelium.*

scitum

sertim nauigatione ita sinum, & aditum apertum esse, ut illuc inferri Christiana fides facilè potuerit. An verò antiquioribus sæculis ante Lusitanorum nauigationes Christiana Religio ad Sinas penetrauerit, incertum aliquibus videtur Scriptoribus; Ego tamen adstipulor ijs, quæ à Maffeo tradita sunt lib. 2. & 6. hist. Indic. *Thomas Apostolus.* nimirum Thomam Apostolum ad Sinas penetrasse, ibique Euangelicam legem promulgasse, & cum multa à Maffeo afferantur argumēta, ad probandum D. Thomam apud Sinas commoratum fuisse, ego quoque obseruo id suadere dogmata à Sinensibus obseruata, Nam, vt de ipsis referunt historiæ, & præsertim Epist. Patrum ex Soc. Iesu, Animorum Immortalitatem constituunt, admittunt locum, in quo animæ post corporis obitum luunt pœnas peccatorum, & deinde purgatis sordibus ad beatas euolant sedes. Fundunt preces pro Defunctis, & eleemosynas, & alias expiationes; Quæ omnia indicant ante nouam Christianæ fidei introductionem primum Sinas Christi Euangelium nouisse. Et tandem illud conuincere videtur, Tomam in India fidem prædicasse, quia cū India sit Sinis finitima, probabile est, vsque ad Sinarum regnum apud antiquos *India accepit euangelium à Thoma Apostolo.* celeberrimum penetrasse; In India verò Thomam Euangelicam legem promulgasse notius est, quam demonstretur; Id enim Sacra Scriptorum caterua vnanimi tradit consensu; & in primis Gregorius Papa Homil. 17. in Euang. Greg. Nazianzenus orat. contra Arianos; qui Thomas deinde claro martyrio in Calaminia Indiæ Vrbe occisus est, ibique sepultus.

Hinc certissimum est Christiana Sacra *Insulæ Philippinæ acceperunt euangeliū.* in Insulas Philippinas, à Philippo 2. ita appellatas, & sua classe subiugatas, illata esse; Nam Philippinis victricibus armis inuictis, & superatis faciliori negotio Sinarum gentes clarius apertæ, & patefactæ sunt, apud quas cum nunciatum sit Euangelium in ipsis quoque Philipinis Insulis iam celebratum esse perspicuū est. Sed vt ad Sinas reuertar, earum conuersionem putant aliqui indicatam fuisse à verbis Isaiæ cap. 11. vers. 11. quæ ita se habent. Et erit in die illa: Adijciet Dominus secundò manum suam ad possidendum residuum populi sui, quod relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto, & à Phetros, & ab Aethyopia, & ab Aelam, & à Sennaar, & ab Emath, & ab Insulis maris. Etenim *Sensus nominis Sennaar.* nomine Sennaar aliqui interpretati sunt Sinarum regionem, & putarunt hoc Prophetæ oraculum Sinarum conuersionem ad fidem significare. Sed hęc verba Cornelius à Lapide interpretatur de Iudæis, *Expositio Cornely.* quarum prima vocatio, & possessio fuit, quando Deus per Moysen ipsos euocauit, & eduxit ex seruitute Aegyptiaca. Indicat verò Propheta Israelitas colligendos esse à præconibus Euangelij in fine Mundi, vt ad Christum conuertantur, & fidelium Cōgregationi aggregentur. Ideò primò inquit Relinquetur ab Assyrijs, & ab Aegypto ad significandum Prouincias Assyriacas, & Aegyptiacas, per quas ob bella, & clades diuersas dispersi fuerunt Israelitæ, quorum plurimi in Aegyptum cum Rege Ioachaz à Pharaone Nechao abrepti fuerunt, vt loquitur Scriptura 4. *Fuga Israelitarū.* Regum cap. 23. Qui Israelitæ fugerunt etiam in Phetros, idest in Arabiam petreā, quæ ita appellatur, quia eius Metropolis erat Vrbs Petra; nomine verò Aelam si- *Sensus vocabuli Aelam.* gnificantur Persæ, Medi, Sogdiani, & Bactriani, & Aelam significat Aelamitarum regionem, quæ supra Eulæum flumen si- *Sensus vocabuli Sēnaar.* ta est; Sennaar autem non pro Sinis, sed pro Babylonia exponitur, & nomen Emath ad Libanum spectat, non longè distans à Damasco. Tandem Insulæ maris, de quibus loquitur Propheta significant Græciam, Italiam, Hispaniam, & totam Occidentalem plagam, quæ quasi clauditur Oceani ambitu, & sensus Prophetæ est; quod vbilibet locorum, & gentium dis- *Iudæi dispersi vbiq; locorum.* persæ fuerint reliquiæ Iudæorum, inde à Deo euocabuntur, & ad Christum conuertentur, atque ita hoc Prophetæ oraculum interpretatur D. Hieronymus. Quare non est, quod hæc verba ad Sinarum populos retorqueantur.

Hac præstita occasione, obiter dicam Isaiæ verba, quæ traduntur cap. 8. non esse intelligenda de noui Orbis conuersio- *Quomodo intelligenda verba Isaiæ.* ne ad fidem Christi, vt aliqui ex recentioribus exposuerunt. Væ inquit Propheta, terræ cymbalo alarum, quæ est trans flumina Aethyopiæ, qui mittit in mare legatos, & in vasis papyri super aquas. Ite Angeli veloces ad gentem conuulsam, & dilaceratam, ad populum terribilem, post quem non est alius, ad gentem expectan-

tem, & cõculcatam, cuius diripuerunt flumina terram eius. Et quamuis hæc verba Ludouicus Legionensis, & Montanus interpretentur de Indijs, ac nouo Orbe, subiugando, & conuertendo, tamen satius est asserere Prophetam prædicere cladem Aethyopum instantem per Sennacherib, & futuram per Nabuchodonosor, quam enim inchoauit Sennacherib, compleuit Nabuchodonosor. Ideò ipsos Aethyopes ad Dominum conuertendos esse, prædicit Propheta, qui simul significat Aethyopes afflicturos esse Iudæos, quoniam cum Sesac Rege Aegypti contra ipsos Iudæos coniurarunt, vt legitur 2. Paralipom. 12. & Zaram Aethyopem cõtra Iudæos venisse cum exercitu decies cētena millia continente, & currus trecentos traditur 2. Paralipom. cap. 14. quamuis Asa, qui tunc Tēporis regnabat, ipsos Aethyopes, auxiliante Domino, vsque ad internecionem fugauerit, & Domino cædente contriti sint in exercitu illo præliante. Illa verba, quæ est trans flumina Aethyopię, confirmant hanc expositionem, quia nō significant Aegyptum, quæ propriè nō est trans, sed intra riuos Nili, Aethyopia verò est trans ipsos Nili riuos. Subiungit Propheta: Et in vasis papyri super aquas, vt significaret naues ex papyro frutice compositas, quarum vsus est tum in Aegypto, tum in Aethyopia. Per cymbalum verò alarum, intelliguntur ipsæ naues Aethyopicæ, adeo veloces cursu, vt volitare videantur, & remigijs instar alis vti, iuxta illud Poetæ Remigio alarum; Cymbalum autem significat, Aethyopes inter nauigandum lituis concrepare, vt solent etiam Aegyptij. Vnde Plutarchus in vita Antonij describit nauē Cleopatrę, in qua remi ad tibię, fistulęq; modulos mouebantur, & personabant. Porrò illa verba: Populus, post quem non est alius, indicant Aethyopicas gentes, quæ quasi sunt in fine Orbis versus meridiem; pertingunt enim per regnū Gongi, & Monomotapæ ad promptorium Bonæ spei, in quo videtur terra terminare, & vltra, non nisi Oceanus transcurrere. Quare hæc Prophetæ verba sensu litterali nihil habent commune cum noui Orbis cõuersione: Inficiari tamen nequeo, Vatabli expositionē accusandam non esse, qui sensu potius allegorico, & symbolico, quam litterali interpretatur de gentibus maximè remotis, quæ vocandæ sunt ad Christi fidem, & ad eas mittendi Angeli, idest Apostoli, vt ipsæ iam à Dæmone conuulsæ infidelitatis, & Idolatriæ peccato, per Christi gratiam, & Euangelicam legem restaurentur, & saluentur. Itaque si litteraliter exponantur supradicta verba, non sunt accõmodanda conuersioni noui Orbis, si verò allegoricè, & symbolicè, nō est prorsus redarguenda interpretatio.

Expositio Ludouici Legionensis. *Sensus melior.* *Aethyopū conuersio ad Fidem, & eorum vexatio.* *Exercitus Zara.* *Confirmatio veræ expositionis.* *Explicantur nonnulla verba Prophetæ.* *Velocitas nauium.* *Nauis Cleopatræ.* *Monomotapa.* *Verus sensus verborum Prophetæ.* *Vatabli expositio.* *Sensus litteralis, allegoricus.*

Verum nostra iam tempus est, vt reuertatur tractatio ad Prouincias, & Regna, quę Christi nomen, & insignia receperunt in nouo Orbe; Et quoniam supra in America, Parte noui Orbis, lustrauimus Prouincias, quæ tum in plaga Septentrionali, & Zona rigente, tum in Zona torrida collocatæ sunt, reliquum est, vt illas percurramus oras, quæ in parte Australi, siue Mediterranea Americæ constitutæ sunt.

Propositio.

Si igitur loquimur de oris Australibus, iam motis vetustioribus sæculis, non est, quod multum immoremur in demonstrāda promulgatione Euāgelica in illis partibus, in quibus iam omnibus est notissima; Non prætermittam quidem breuiter examinare, an conuersio ad fidem illarū regionum prædicta sit à Propheta Abdia, cap. 1. vers. 2. vt aliqui sunt interpretati, Et Transmigratio Hierusalem, quæ in Bosphoro est, possidebit Ciuitates Austri. Hæc sunt Prophetæ verba, quibus Maluenda lib. 3. de Antichristo, cap. 17. contendit probare, Hebræos Hispanos, iam factos Christianos nouum Orbem Christianis doctrinis imbuisse; Nam vbi hebraica lectio ponit, Bosphorum, alij legunt Sepharad, quam vocem dicunt sonare Hispaniam, vt exponunt Lyranus, Burgensis, & Vatablus; Et pro transmigratione Hierusalem, iuxta hanc expositionem, intelliguntur Hebræi ex Iudęa in Hispaniam translati. Quod factum est, quando Nabuchodonosor ingenti exercitu ex habitatoribus terræ Hierusalem, & Chanaam cõflato venit in Hispaniam, teste Iosepho lib. 10. Antiquit. cap. 11. & Strabone lib. 15. de situ Orbis. Præterea Titus Vespasianus ita appellatus, quia Vespasiani fuit filius, ex clade Hierosolymitana multos Iudæos in Hispaniam captiuos extrusit, vt fidem facit Ma-

Conuersio ad Fidem regionum Australium. *Malachia expositio circa verba Prophetæ.* *Bosphorus.* *Iudæi in Hispaniā delati.*

ria-

riana lib. 4. de rebus Hispanicis cap. 4. Hadrianus quoque, confecto bello Iudaico, superstites Iudęos in Hispaniam transtulit; Et ex Philone habemus, tempore Christi Domini in Asiam, Aphricam, & Europam innumeras Hebręorũ colonias perrexisse, & vulgatissimum est Ferdinãdum, & Elisabetã, Catholicos Reges anno Domini 1492. expulisse ex Hispanijs 124. millia familiarum Iudaicarum, quæ nolebãt Christianam colere Religionem, cum tamen multæ remanserint, Christianam Religionem amplectentes.

Vbi fuerint Coloniæ Iudæorum.

Expulsio Iudæorum.

Itaque sensus Abdiæ est, ex Maluendæ, & aliorum expositione, Iudæos Hispaniam habitantes, postquam se Christianæ Religioni dederunt, peruenturos esse ad Ciuitates Austri; & ad nouum Orbem Australẽ, ibique Euangelium prædicaturos.

Sensus verborum Abdiæ.

Ego, qui hãc expositionẽ prorsus extortã, & dissonam agnosco, Lyrani expositioni ita interpretantis Prophetæ verba, libenter adstipulor. Vtiq; admittit hic Author, vocem, In Bosphoro, in hebræo haberi in Sepharad, & accipit pro Hispania, sed addit, oraculum Abdiæ impletum fuisse à Iacobo Apostolo, ac eius discipulis, in Hispania Christi fidem, primordijs Ecclesię, prædicantibus, & sensus est, Iacobum annunciasse Euangeliũ vsque ad terminum terræ; nam Sepharad D. Hieronymus obseruat Chaldaicè terminum significare.

Significatio vocabuli, Bosphorus.

Expositio Lyrani circa verba Abdiæ placent.

Itaque Iacobus Apostolus ex Hierusalem discedens, in Hispaniam profectus est, & peruenit ad oppidum, quod finis terræ vocatur, propè Vrbem Compostellæ, quo in loco Antiquitas orbem cognitum, & ad Occidentem positum desinere existimauit. Quocirca Prophetia impleta est per prædicationem, factam à D. Iacobo in extremis partibus Austri cognitis, & habitatis.

Iacobus Apostolus.

Compostella.

Non est igitur, quod hæc Prophetia ad partes Americæ Australes transferatur; Nihilominus si supradicta verba, Ciuitates Austri, Americanis oris accommodemus, dicendum est, per Ciuitates Austri intelligi regiones torridæ Zonæ, eò magis, quia alij transferunt ex hebræo, Ciuitates ariditatis, quales sunt illæ, quæ sub Torrida collocantur, sub qua, cum maior sit pars Americæ, forsasse Abdiæ vaticinium applicari potest cõuersioni factæ in illis partibus, ad quas cum peruenerint classes Hispanicæ primum ductæ à Christophoro Columbo, postea à Ferdinando Magalanes, iure meritò dicuntur Hispani illas Prouincias suauissimo Christi iugo subiecisse.

Prophetia malè intellecta.

Expositio Abdiæ.

Christophorus Columbus.

Legendus est tamen in hæc verba Abdiæ Franciscus Ribera, qui multis rationibus probat hebraicam vocem Sepharad Hispaniam non significare, maximè cum Septuaginta legant, Ephrata, & alij codices habeant Apharatha, & præsertim considerat D. Hieronymum hebræorum arcana optimè callentem, atque in Iudæa suam vitam agentem nũquam Hispaniam Sepharad appellasse;

Sensus vocis Sepharad.

Prætereà redarguit hic Author illos, qui putarunt, à Nabuchodonosor Hebræos in Hispaniam captiuos ductos esse, quoniam in vincula coniecti, non in Hispaniam, sed in Babyloniam extrusi fuerunt, vt patet ex 2. Paralipom. cap. supra memorato. Inficiatur etiam alios Hebræos, euersa Hierusalem, à Tito in Hispaniam missos esse; neque id asserit Iosephus testis oculatus lib. 7. de Bello Iudaico cap. 16. vbi narrat, latrones, & seditiosos omnes Hebræos Titi mãdato occisos esse, iuuenes electos, procero, & formoso corpore, triumpho seruatos, & maiores septem, & decem annis, vinctos ad Aegyptũ missos esse, laboriosis operibus deputatos, & plurimos tandem per Prouincias distributos, in spectaculis ferro, & bestijs consumendos. Proptereà ex Iosepho non constat, Hebræos à Hierusalem in Hispaniam translatos esse.

Quo abierint occisi Iudæi.

Error nonnullorum.

Iudæi occisi.

Itaque Ribera interpretatur, transmigrationem Hierusalem ad Ciuitates Austri, significare, illos captiuos, qui ex Hierusalem in Babylonia migrarunt, & illa verba, quæ in Bosphoro est, sonant, vt diximus in Sepharad, idest in extremis, & remotissimis Chaldęorum finibus, vbi detinebuntur Iudæi, qui tandem, fauente Deo, redibunt in Iudæam, & possidebunt Ciuitates Austri, nimirum tenebunt Vrbes suas, quasi antea possedebant, quæ vocantur Ciuitates Austri, quoniam Iudæa ad Australem plagam, vna cum terra promissionis posita est; Ideò illi captiui redierunt ad vrbes suas, cum Zorobabel, & Iesu, filio Iosedech, & cum Neemia. Cõfirmat Ribera suam interpretationem ex eo, quod Bosphorus, de quo loquitur Propheta, significat angustum mare, quale nũc est fretum Constantinopolitanum;

Sententia Riberæ circa Abdiæ verba.

Significatio vocis, Bosphor.

Reditus Iudæorum.

Bosphorus.

& quale est fretum propè Mæotidem paludē, quod Cimmeriū appellatur. Quamobrem sensus est, quod Iudæi relegati fuerunt in eam partem Babylonis, quæ erat in extremis Babyloniæ partibus, & propè fretum angustum. Itaque, ex interpretatione Riberæ, quam ego penitus approbo, nullatenus colligitur, ex ofsculo Abdiæ, Hebræos in Hispaniam traductos, & Christianos euasos, in partibus Australibus Euangelicam legem patefecisse.

Locus exili Iudæorum.

Neq; recipienda est, vt hæc obiter dicam, opinio Gilberti Genebrardi Episcopi Aquensis, viri cæteroquin eruditissimi, putantis, auolas Americæ esse ex tribubus Israel, & ex illis, quæ sub Oseę Rege Israel à Salmanasare Assyriorum Rege captiuæ in Assyriam ductæ fuerunt; ex qua regione, quanam via ad nouas Americæ oras transierint, non satis explicat. Propterea hæc opinio prorsus à veritate dissentire videtur, quoniam si Americani Iudaicæ essent prosapiæ, dubio procul apud illos aliqua recordatio Iudaicorum rituum seruaretur, & præsertim per aliquod tempus adhibita fuisset Circumcisio; Cæterum, cum apud Americanos nulla hebraicæ legis extet memoria, nullus Iudaicus ritus vigeat, explodenda est prorsus Genebrardi sententia; Neq; suffragatur, vt ipse obseruat, quod in Insulis Terriarijs hebraici characteres, sepulchris insculpti, aliquando lecti fuerint; Nam esto hoc verum esse, dicendum est, Insulas Tertiarias non ita à veteri orbe diuulsas, & remotas esse, vt Iudæi, vel ex Gallia, vel ex Hispania ad ipsas pertingere nō potuerint, eo tempore, quo continens Americæ erat ignota; Itaque hinc nō infertur, Americanas gentes ex supradicta tribu Hebraica progenitas esse. Fateamur tamen necesse est, Americanos homines verè ex Adamo satos esse, & progenitos, & quomodo illuc peruenerint, non est certum, & exploratum; Putandum tamen est, Nepotes Noe, viros peritissimos, totius Orbis, & sideralis scientiæ callentissimos, referente Iosepho lib. 1. Antiquit. cap. 2. illas regiones propriæ scientiæ auxilio cognouisse, atq; illuc se recepisse, vel medio aliquo continente, nostrum veterem Orbem cum illo coniungente, vel mari aliquo angusto, seu freto, cuius deinde continentis, vel freti memoria, cum ad habitatores nostri Orbis propagata non fuerit, interclusus remansit aditus ad illas extremas regiones Americæ, donec Columbus, & Magalanes ipsum aditum aperuerūt, & viam strauerunt; Vel satius affirmandum est, viros illos ex Noetica stirpe progenitos nō minus doctrina, quam sanctitate conspicuos ab Angelis illuc delatos esse, vt etiā in illis partibus humanum genus propagaretur; & quemadmodum, ex aliquorum mente, Apostolus Thomas ad illas ignoti Orbis Insulas se transtulit per mare, proprio pallio, tamquam nauigio, vectus, ita diuinitus Noe filij, & nepotes illuc se contulerunt ad humanam prolem multiplicandam.

Sententia Gilberti reiecta.

Soluitur obiectio.

Nepotes Noe adierunt Americam.

Columbus, Magalanes.

Alia expositio.

Thomas vsus pallio pro nauigio.

An verò in nouo Orbe, quem Americam vocamus, antequam Columbus ad illas ignotas plagas puppim dirigeret, & ad eas accederet, Euangelica veritas illuxerit, dubia prorsus, & incerta res est; Siquidem aliqui autumant, vt supra dixi, ex sententia Nicephori, & aliorum, tempore Apostolorum, vel Thomā Apostolum, vel aliqē ex discipulis prædicandi Euangelij causa ad illas Insulas profectum esse, vel Angelorum ministerio deuectum, & ibi ante Columbi nauigationem Christianam veritatem explicasse. Ita tradidit P. Iosephus à Costa lib. 5. Indic. hist. cap. 27. vbi obseruat multos Christianos ritus à Peruanis seruari, & antiquitus etiam seruatos esse. Hinc aliqui Indiearum terum scriptores memoriæ prodiderūt, apud Brasilios à maioribus traditam conseruari memoriam, S. Thomam Apostolum ad illas oras appulisse. Quid in hac re sit sentiendum, non habeo aliquid, quod tamquam firmum proferam, & inconcussum. Existimo tamen, ad regiones Americæ ignotas, ante Columbi, & Magalanis nauigationes nullum Euangelicum nūcium peruasisse; Atque in hanc opinionem me adducunt ingentes, quos adhibet Dominus Deus, Christi fidelium labores, & religiosorum hominum martyria, quibus in illis agris Christiana seritur religio; Etenim, si aliquando ibi radius fidei emicuisset, necesse non esset, vt tot martyrum sanguinem ager ille Domini irrigaretur; Si quidem sufficit, ad reddendas inanes excusationes illarum gentium, quæ antea fidem Christi receperunt, certum esse illas aliquando voces Domini excepisse,

America dicitur nouus orbis.

Incertū an in Americam peruenerit euangelium ante Columbi nauigationem.

Sententia nonnullorum.

Sententia scriptoris.

Ratio.

Non

Probabilior sententia. Non enim amplius propter ignorantiam inuincibilem suam infidelitas est culpanda. Quare probabilius arbitror ante aperitionem, & cursum Columbi illis regionibus à nostro Orbe penitus remotis, & diuulsis Euangelium non innotuisse. Neq; huic assertioni officiunt ea, quæ passim à scriptoribus noui Orbis enarrantur, vt à

Obiectio nonnullorum soluitur. Petro Martyre Anglerio, Ferdinando Cortesio, Francisco Gomara, Iosepho à Costa, & alijs, nimirum, Americanos vniuersale diluuium nosse, animam humanam immortalem declarare, præmia, & supplicia post hanc vitam bonis, & malis constituere, receptacula diuersa probis, & improbis in altera vita decernere, quandoquidem hæc ferè omnia à Gentilibus approbátur, & commemorata sunt à Platone pluribus in locis, cum tamen neque Plato, neq; cæteri Gentiles de Christiana religione notitiam haberent; multa enim vel naturæ lumine, & quodam afflatu diuino humanis ingenijs innotescunt, vel per maiorum traditiones ab hominibus excipiuntur; Quamobrem cum Nepótes

Nepotes Noe. Noe ad oras Americanas, & ad Antipodes, vt infra dicam peruenerint, ab ipsis Americanæ, & Antipodes gentes multas notitias antiquitus hauserunt, & præsertim vniuersalis Diluuij cognitioné, quam etiam illæ gentes experientia didicerunt, quando vniuersum Orbem ingens ille, & communis aquarum catachlysmus occu-

Conclusio. pauit. Quamobrem statuendum censeo, quod sicuti Christi fides per totum veterem Orbem diffusa fuit, nō quidem Apostolorum tempore, sed successiuis sæculis, in quibus multi summi Pontifices ad diuersas Orbis regiones verbi Diuini ministros miserunt, vt inter cæteros Innocentius Quartus, Nicolaus Quartus, Ioannes vigesimus secundus, Innocentius sextus, Gregorius nonus, & alij, quos longum est referre; ita veritati consentaneum puto, in illa noua Ecclesia, tamquàm in noua vinea Christianā doctrinam non egerminasse, ante Nauigationem Columbi, & tot Lusitanorum, & Castellanorum, qui per varios casus, per tot discrimina rerum Euangelicos præcones illuc deferendo, Catholica dogmata traduxerunt; In quo opere elaborarunt, & assiduè defatigant viri sanctitate, & doctrina præstantes, ex ordine S. Dominici, Francisci, Augustini, & præsertim Patres ex Societate Iesu, qui tamquam vasa pretiosa à Deo electa, D. Pauli æmulatores, ad illas barbaras, & immanes gentes nomē Iesu summa cum admiratione detulerunt. Quo-

Patres disseminantes euangeliū in America.

niam verò multæ regiones in America nondum patefactæ sunt, quæ ingentes, & vastissimæ creduntur, vt ea Continens, quę supra fretū Magellanicum ab Oriente in Occidentem excurrit, & illæ pariter terrarum tractus, qui supra Floridā in Aquilonem extenditur, & illa portio, quæ supra caput Mendozzinum, & Calephor-

Nonnullæ regiones adhuc ignotæ. nias versus Orientem, & Septentrionem diffunditur, cum inquam hæ amplissimæ terræ regiones, hoc sæculo adhuc ignotæ sint, statuendum est Euangelium nōdum per vniuersum terrarum Orbem diffusum esse; Quamuis enim superioribus annis

Iacobus Le Maire Iacobus Le Maire soluens ex Colao Limo Prouinciæ Peruanæ versus axem Antarticum prætergressus sit fretum Magellanicum in Australi Oceano ad quinquaginta sex gradus, quo nullus adhuc peruenerat, tamen illarum terrarum nulla ad nos de la 'a est notitia, & solum fretum illud à proprio Authore fretum Le Maire est nominatum. Cosmographi tamen opi-

Sententia Cosmographorum. nantur, cum supra fretum Magellanicum, tum supra fretum Lamairum latissimam extendi continentem; Nam quemadmodum extremę partes zonæ frigidæ septentrionalis sunt habitabiles, in quibus po-

Nomina nonnullarum Insularum. tissimum iacent Scandia, seu Scandinauia, Iurna, Corellia, Biarmia, Lapia, Philandia, Phinmachia, Stricphinia, Islandia, Groenlandia, sub ipso penè axe posita, similiter putandum est extremas partes Australes Poli Antartici habitari, & quoniam ad cingulum illud vltimum Australem non extat memoria, aliquem progressum esse, asserendum est Euangelium in illis partibus nunciatum non esse, & consequenter nondum impletum esse

Nondum euāgelium prædicatum in vniuerso orbe. oraculum Christi dicentis, Prædicabitur Euangelium Regni in vniuerso Orbe, in testimonium omnibus Gentibus, & tunc veniet consummatio. Matth. 24. si enim illæ gentes nobis ignotæ, ex morte ad vitam supremo Iudicij die reuocandæ sunt, & coram cælesti Iudice sistendæ, & de fide, vel ab ipsis non recepta puniendæ, vel pro Catholica religione excepta, & pro bonis operibus beatificandæ, nemo non

videt

Ante iudiciū prędicantur vbiq; euāgelium. videt illis gentibus primum annunciandum esse Euangelium. Quæ est ratio Soti in 4. Dist. 46. art. 1. cum enim gentes reprobari debeāt, quod Fidem Christi non receperint, iuxta illud Matth. 16. qui verò non crediderit, condemnabitur, oportet sine dubio, vt illis Christi fides innotescat, vt postea in rebelles, & infideles, iusta Iudicis sententia promulgetur.

Tametsi quę de America diximus, partim Antipodis conueniant, tamen aliqua breuiter de ipsis Antipodis adijcienda sunt, & quærendum, An ipsis exploratum sit Euangelium. Antipodes esse, hoc tempore ita notum est, vt nulla indigeat probatione, quamquam ipsos Lactantius, & D. Augustinus negauerint, vt à nobis adnotatum est in Disput. Philosophica. Qui negabant Antipodes hoc nitebantur fundamento. *Dantur Antipodes sententia nonnullorum negātium est, eorū ratio.* Quod Adam in hoc nostro Hemisphærio fuit creatus; Propterea, cum ab Adamo descendentes ad illam Mundi sphæram, in qua homines nobis aduersa premunt vestigia, nequaquam peruenire potuerint, ne daretur aliqua gens humana ab Adamo non genita, Antipodes negarunt. *Ratio negans Antipodes reijcitur.* Cæterum cum falsum sit immensum, interfusum Oceanum inter nostrum Hemisphærium, & illum permeari non posse, dicendum est, homines ab Adamo progenitos ad illas nobis contrarias oras, migrasse, ibique sedem fixisse. Hinc Magaliaues ad quasdam Insulas, quæ Desertæ vocantur, perrexit, quas Italiæ Antipodes esse Cosmographi tradiderunt, & Prouincia Florida longitudinis quattuorcentum milliarium, quæ Florida dicitur, vel quia tēpore Paschatis Floridi fuit inuenta, vel quia máxima gaudet amænitate, omni genere fructuum opulentissima, dicitur iacere sub paralello Mauritaniæ, ipsi simillima, & Antipoda; *Magnitudo Prouincia Floridæ.* Neq; obstat negatio Augustini, & Lactantij terræ figuram sphæricam, & rotundam negantium, quæ etiam fuit opinio aliquot veterum Philosophorum, referente Plutarcho de Placit. Philos. lib. 2. *Ratio S. Augustini, et Lactātij soluta.* Nam Peripatetica, & Mathematica doctrina exploratissimū est, Cælum, & quattuor Elementa esse sphæricæ figuræ; Quare, cum vniuersa terra, vt alias dixi, sit magna Insula, Oceano circumfusa, & ad omnes ipsius partes nauigatione pertingere homines possint, *Antipodes tum perui.* asserendum est, ad supradictas oras Antipodum homines peruenisse, sed non ad omnes, ad quas consequenter nondum traductum est Euangelium, absque cuius notitia Antipodes in finale Iudicium non sunt vocandi.

Iam verò nostra oratio, vniuerso terrarum Orbe emenso, ex tam longo itinere defatigata, in hac demonstrata veritate conquiescat, nimirum, Euangelium vbique terrarum nondum esse prædicatum, neq; impletum Christi Domini oraculum de futura sæculi consummatione; *Corollariū.* Ideo, hoc expleto Quæsito, postremum aggrediemur, quod est de bellis, & cæteris infortunijs supremam Mundi diem præcedentibus. *Transitus.*

CAPVT QVINTVM.

Continet hoc Caput tria Quæsita per tres lectiones diuisa; nimirum quæritur, An destruenda sit Roma, ante Mundi consummationem; Num euertendum sit Romanum Imperium, ante eumdem Mundi finem; & quænam sint bella Gog, & Magog, antecedentia Mundi occasum. Omnia ex sacra Scriptura, & ipsius Interpretatione disputantur. *Quæsita discutiēda.*

SECTIO PRIMA.

Quæritur an Romana Vrbs, ante Mundi interitum sit deuastanda subeat Lectorum animos recordatio, nostrum institutum in hac suscepta scripturali Disputatione esse inuestigare, num ex sacris literis signa aliqua colligantur, ex quibus Vniuersalis rerum consummatio certo tempore *Scopus cōtinens scriptoris.*

pore deſignari poſſit. Quoniam verò inter cæteras coniecturas, ſeu ſigna, approximationem ſupremæ diei præcedentia, Chriſtus Dominus Luc. cap. 21. his verbis, prælia, & ſeditiones enumerat (Cum audieritis prælia, & ſeditiones, nolite terreri, oportet hæc primum fieri, ſed nondum ſtatim finis) incumbit nobis onus diſquirendi, de quibus prælijs, & ſeditionibus Redemptor noſter loquatur. Et quidem conſtat ipſum verba non facere de bellis, quæ præceſſerunt euerſionem Hieruſalem, quæ bella recenſentur à Toſtato, in cap. 24. Matth. vbi per Quæſtiones 59. 60. & 61. conatur omnia à Chriſto prænunciata referre ad euerſionem Hieruſalem; quæ certè, ſi rectè conſiderentur, non applicantur appoſitè Hieruſalem deſtructioni, ſed Mundi conſūmationi; Etenim Luc. 21. & Marc. 13. præmittit Chriſtus hæc verba. Videte ne ſeducamini; multi enim venient in nomine meo dicentes, quia ego ſum, & tempus appropinquauit. Venire autem in nomine Chriſti; aliud certè non ſignificat, quam aduentum Antichriſti, qui ſe Chriſtum, & Meſſiam iactabit. Vnde verba, quæ ſequuntur cum audieritis prælia &c. ſunt referenda, non ad Hieruſalem, ſed ad Mundi conſummationem.

Prælia sũt ſigna vniuerſalis interitus.

Expoſitio circa verba S. Scripturæ.

Opinio Toſtati reyicitur.

Neque Chriſtus ſermonem habet de ſeditionibus excitatis aduerſus Chriſtianos, & contra ſummos Romanos Pontifices, quia loquitur Chriſtus Dominus de prælijs, & ſeditionibus, quibus erit proxima vltima dies, vt indicatur illis verbis. Sed nondum ſtatim finis. Perſecutiones verò, quibus Romani Imperatores, Eccleſię primordijs, Chriſtianę fidei ſectatores acerbiſſimè afflixerunt, non ſunt hoc loco recenſendę, quia cum jam retrò multis ſæculis ipſæ contigerint, & nondum poſtrema dies appareat, de illis non loquitur Dominus, neque minus de perſecutionibus, quibus aliquando in ſummos Pontifices ſæuitum eſt, quæ à Cardinale Baronio in ſuis Annalibus explicantur. Hæ ſiquidem jam tranſactæ ſunt, & nondum ſæculi finis acceſſit.

Expoſitio nonnullorũ reyicitur.

Alia expoſitio reyicitur.

Neque Chriſti ſermo eſt de bellis, quę per vniuerſum orbem retrò exactis ſæculis, & etiam præſenti tempeſtate circumſonant, etenim cum hæc, vel ſimilia bella ſemper Orbem vexauerint, nec tamen adhuc Mundi interitus aduenerit, patet ipſa non eſſe ſigna Mundanum exitium præcurrentia. Quare loquitur Chriſtus de ſeditionibus, & bellis, adeò ſæuis, & atrocibus, vt nũquam talia fuerint, & meo quidem iudicio, ad tria bellorum genera reuocantur, ſcilicet ad bellum, quo, ex aliquorum ſententia, Vrbs Romana deſtruenda eſt; ad bellum, quo Imperium Romanum eſt euertendum, & tandem ad bella Gog, & Magog, quibus Antichriſtus dicitur pugnaturus aduerſus Chriſtianos; Propterea de his tribus bellis à nobis eſt inſtituenda tractatio.

Alia expoſitio reyicitur.

Sac. Scrip. intelligẽda de tribus bellis.

Fundamentum deſtructionis Romanæ Vrbis, euenturæ, ante Mundi finem, conſtitutum eſt in vaticinijs D. Io. in cap. 17. & 18. Apocalypſ. in quibus, ex communi SS. Patrum, & Interpretum placito, loquitur de aduentu Antichriſti, & de illis, quæ ipſum aduentum præcedent; Inter quæ eſt deſtructio Romæ, quæ ſignificatur, & repræſentatur imagine Meretricis magnæ, ſedentis ſuper aquas multas, imò ſedentis ſuper ſeptem Montibus, quę ſeptem capita à Ioanne appellãtur; Quæ Ciuitas Babylon dicitur, non quidem illa antiqua Chaldæorum Metropolis; nam cum in frõte ſua ſcriptum habeat nomen Myſterium, ſignificat myſticè, & allegoricè eſſe ſumendam. Hinc decem cornua, quæ apparent in beſtia à Ioanne viſa, quæ cornua pro decem Regibus exponuntur, Romam diuaſtabunt, quod indicat D. Io. his verbis: Et decem cornua, quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam faciẽ illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt; Quam deſtructionem proſequitur Io. cap. 18. atq; inter cætera ait: Cecidit cecidit Babylon magna, & paulò poſt. In vna die venient plagæ eius, mors; & luctus, & fames, & igne comburetur, quia fortis eſt Deus, qui iudicabit illam, & flebunt, & plangent ſe ſuper illã Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt.

Roma deſtructio.

Symbolum Romæ in S. Script.

Quid ſignificent, cornua decem, penes Io.

Excidium Romæ.

Quod Roma Babylonis nomine ſignificetur, perſpicuum eſt ex verbis Petri ep. 1. cap. 5. Salutat vos Eccleſia, quæ eſt in Babylone. Hinc Tertullianus aduerſus Iudæos cap. 9. & lib. 3. aduerſus Marcionem cap. 13. teſtatur, apud Ioannem Babylonem Romanæ Vrbis figuram præſeferre, & S. Hieronymus præfat. in libros

Roma ſignificat. nomine Babylonis, ex Tertull. & Hieron.

Di-

Didymi de Spiritu Sancto agens de ipsa Vrbe Roma hæc ait: Cum in Babylone versarer, & purpuratæ meretricis essem colonus, & iure Quiritium viuerem, & idē Quæst. 11. ad Algasiam sic habet. In Apocalypsi Ioannis in frōte purpuratę meretricis scriptum est nomen blasphemiæ, idest Romæ æternæ; Quamuis idem Hieronymus l b. 2. contra Iouinianum sit Romam alloquatur. Ad te loquar, quæ scriptam in fronte blasphemiam, Christi cōfessione delesti. Quare cum Ioannes de scribat Romæ deuastationem, aliqui, & præsertim Ribera, & Viegas inter recentiores Romam ante finem Mundi, & aductum Antichristi destruendam putarūt. Hinc Viegas in cap. 18. Apocalyp. sect. 4. asserit; Decem Reges Imperium Romanum euersuros, primum ab ipsa Romana Vrbe auspicaturos esse bellum, eique primum excidium, & vastitatem illaturos, tum conuersuros arma in omnes Imperij Prouincias.

Sententia Ribera, & Viega de vastatione Romæ.

Et animaduerto inter Riberā, & Viegam hanc esse differentiam, quod Riberā asserit, Reges, à quibus est Roma comburenda, in eius incendio præ animi sensu, & commiserationе lacrymas esse profusuros, sicut olim fecit Titus in Hierosolymæ ruina, & sibi persuadet non alios esse posse Reges, qui Vrbis excidium lamententur; Viegas verò affirmat, alios, præter illos decem, multos Principes in Orbe fore, qui Romæ vastitatem deplorabunt, tamquam sibi similem timentes destructionem. Quoniam verò supplicia, quibus Babylon, testimonio Io. afficienda est, in Vrbem Romanā non quadrant, Christianæ Fidei magistram, Catholicæ Religionis asylum, supremum Romani Pontificis, Christi Vicarij solium, existimant fautores huius opinionis Romam ipsam circa postrema Mundi tempora ad antiquam Idolatriam, & Imperij magnitudinem redituram esse, suum Pontificē expulsuram, & à Christiana fide penitus recessuram; Quin fideles dirissimè persecuturam, ac Martyrum sanguinem effusuram, quæ omnia mereri poterunt illa supplicia, quæ à Io. recensentur. Hoc igitur modo Romam spectatam affirmāt ante sæculi consummationem decem habituram Reges suo subiectos imperio, qui postmodum ipsam rerum potitem, è culmine fortunæ deijcient, funditus vastabunt, eiusq; Imperium inter se partibus diuisum rapient, & deripient.

Decē Reges flebunt in ruinis Romæ, ex Viega.

Discrimen inter Riberam, & Viegam.

Roma statūs circa finē Mundi ex aliorum sententia.

Diuisio Imperij, Romani.

Hæc sententia penitus improbanda est, cum improbabile, & à veritate alienum videatur, Vrbem à Deo electam, vt sit fidei columen, sedes Ecclesiastici Imperij, amplissimum Doctrinæ Catholicæ theatrum, sit Martyrum, & præsertim Apostolorum Principium Sāguine consecratam, tot Sanctorum reliquijs fultam, tot diuinis honoribus auctam, posse ante finem Mundi, Catholicam Religionem contemnendo, imò conculcando, & persequendo, ad Idolatriam reuerti, in Christianæ Religionis caput, quod est Christi Vicarius, acerbissimè grassari; Et quamuis clarissimæ notæ Theologi Sotus 4. Sentent. dist. 24. quæst. 2. art. 5. Bellarmin. de Romano Pontifice lib. 4. cap. 4. Suarez Tom. 2. Disp. 56. Sect. 2. tradant fieri posse, vt Sedes Apostolica, omnium suprema, ab Vrbe Romæ in aliam Vrbem, aut Ecclesiam transferatur, & sic, supremus Ecclesiæ Monarcha, successor Petri, amplius nō esset, nec vocaretur Romanus Pontifex, sed totius Ecclesiæ Catholicæ vniuersalis Patriarcha; tamen existimo id nunquam esse euenturum, neque ante Mundi finem Romam à fide Catholica defecturam; quod mihi potissimum persuadent testimonia Cypriani, & Hieronymi; Ille lib. 1. Epist. 3. ait: Ad Romanam Ecclesiam perfidia non potest habere accessum, & Hieronymus lib. 3. contra Ruffinum; Romana fides Petri auctoritate munita non potest mutari. Itaque eo, tempore non solùm Romana Ecclesia in fide non deficiet, sed erit firmissimum propugnaculum aduersus iniurias, & impetum Antichristi, qui cum in Babylone inchoaturus sit Imperium, omnes deinde neruos contendet, vt Iudæam aggrediatur, & possideat, & in Hierosolyma Vrbe regnet, ac dominetur, sedens in templo Hierosolymitano, cuius fabricam saltem inchoabit, se Messiam iacet, & venditet Hebræis. Ideò facili negotio non poterit per suos duces, & asseclas Romanam inuadere Ciuitatē, eamque non ad Idolatriam, à qua ipse abhorrebit, sed ad sui ipsius adorationem compellere. Verum cum à nobis statutū sit Babylonem, de qua loquitur Ioannes, Romanam Vrbem referre, & negatum pari-

Roma non redibit ad Idolatriā.

Sententia nonnullorum Theologorum, de Sede Apostolica.

Opinio Auctoris & ratio.

Fides Romana qualis circa finem Mūdi.

Quo loci incipiunt Imperium Antichristi.

Quomodo intelligendum vaticinia Ioãnis. pariter à nobis fit, à Ioanne pronunciata non esse intelligenda de Roma Christiana in fine Mundi euertenda, infra explicabimus, omnia illa dicta apposité, & concinnè Romę veteri Ethnicę, & Idolorum cultrici, adaptari.

Ad euadendam hanc interpretationem ab Authoribus clari nominis allatam de Vrbe Romana recessura à fide Catholica in fine Mundi, & à Dei vltrice institia destruenda, amplecti possem expositionem à nonnullis traditam, & præsertim à D. Augustino in Psalm. 26. à Ruperto in cap. 17. Apocalyps. per meretricem, quæ sedet super montes septem, & habet Regnum super Reges terræ, intelligi cętum impiorum, & Diaboli Ciuitatem, quæ in Scriptura vocatur sæpè Babylon, vnde septem montes totam superborum significant vniuersitatem: Sed quoniam, quę à S. Ioanne traduntur, non cohærent, imò pugnant cum impiorum multitudine, idcircò libenter persisto in expositione, quæ habetur de Vrbe Romæ, non quidem Christianæ, sed Ethnicæ, vt infra clarius explicabo. *Expositio nonnullorũ D. Patrum circa idem vaticiniũ Ioannis.*

Nolo hic prætermittere iucundam sanè, & ingeniosam interpretationem Ludonici ab Alcasar, qui exponens cap. 17. Apocalyps. longo, & eleganti sermone ostendit mysteria illa intelligenda esse de Roma Ethnica, quæ ex Idolorum cultrice conuersa est in magistrã Religionis; Ideò Roma Ethnica dicitur fornicata cum Regibus terræ, qui de vino prostitutionis eius inebriati sunt, quia Idolatria in sacris litteris fornicatio dicitur, & terræ Principes, & Reges, quos Romæ exemplum in eadem Idolatria illectos, & implicatos detinebat; magnæ meretricis amasij appellantur. Reges terræ vocantur ab hoc Authore Romani Senatores, qui Mundum suo imperio gubernabant, vel etiam intelliguntur illi Reges, & Principes, qui cum Romano Imperio fędus inierant. Dicitur mulier ebria de sanguine Sanctorum, & Martyrum Iesu, ad indicandas persecutiones, quas Romæ præsertim Ethnici Imperatores in Christianam Ecclesiam commouerunt, qui Martyrum sanguini adeò sitienter inhiabant, vt crudelissima tormentorum genera molirentur. Per capita septem, quæ habet bestia, exponit Author Imperatores, & per cornua decem Senatores Romæ, putans vtroque numero definitò indefinitum significare. Quocirca considerans multos Senatores primum Christianæ Religionis acerrimos hostes, postea Christianos effectos, eiusdem Christianę fidei propugnatores, interpretatur ea verba. Hi cum Agno pugnabunt, quatenus illi dum Gentiles erant, aduersus Christum bella, & persecutiones excitarunt, sed Agnus vincet illos, inquit Ioannes, quando nimirum suaui Catholicæ Religionis iugo illos subijciet. Porrò decem cornua, quæ visa sunt in bestia, odient fornicatiam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igne concremabunt, quæ sunt verba Ioannis, Odient, inquam, fornicariam, quia Romani Christianæ Religioni dediti Idolatriam odio prosequentur, & execrabuntur, quam desolatam facient, & nudam, quia Roma accepta Religione, vel ipsa Idolatria, vel Roma Ethnica sola, atque Inops derelinquetur; carnes verò dicitur mãducasse Roma Christiana, quia fornicaria illa meretrix infidelitatis membris composita, per nouam Christi Religionem discerpta, & dilacerata est, & tandem igne concremata, nimirum eo incendio, & igne amoris, & charitatis, quem Dominus Christus venit mittere in terrã. Prosequitur Author explicationem capitis 18. & nomine alterius Angeli descendentis de Cęlo habentis potestatem magnam, & terrã illuminantis à gloria eius, intelligit B. Petrum Apostolorum Principem, qui Ecclesiam Romanam fundauit, Idolatriã exterminauit, & ipsam Romam radio fidei illuminauit.

Expositio Ludouici ab Alcasar circa vaticiniũ Ioannis.

Roma Ethnica.

Reges terræ.

Ethnici Imperatores.

Septẽ capita, & decẽ cornua.

Expositio continua vaticiny Ioannis.

Expositio Alcasar circa alia verba Ioã.

Itaque vindicta, quæ in eo capite exprimitur à Deo sumenda, ab ipso Authore exponitur mysticè, scilicet pro illa vindicta, quam Deus erat de Roma sumpturus, ipsam de Ethnica in Christianam commutando, adeò vt iuxta ipsius interpretationem, mystica, & spiritalis, non materialis, & corporea sit euersio Romæ accipienda. Dum interpretatur verba Ioannis: Exite de illa populus meus, vt ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius non accipiatis, docet Deum præmonere fideles, vt ex Ethnicorum commercio, & societate euadant, non quidem, consulendo sibi corporea fuga,

Euersio Roma nõ materialis, sed spiritalis accipienda est.

Expositio Alcasar circa alia verba. sed seipsos manifestè prodendo, & Christi Religionem propalã profitendo. Verba: Reddite illi, sicut & ipsa reddidit vobis, & duplicate duplicia secundum opera eius, explicat, quod cum Tyranni vitam Christianis auferrent, ad Catholicã fidem destruendam, Prædicatores Euangelici ipsam Idolatriam extinxerunt, & duplo acrius bellum aduersus infideles parauerunt. *Expositio Alcasar circa alia verba.* Subdit Ioannes: Ideò in vna die venient plagæ eius, mors, luctus, & fames, & igne comburetur, & Author interpretatur, quod Roma Ethnica Idolatriæ peccato morietur, ecce mors. Pristina deplorabit peccata, ecce luctus; Esuriet, & sitiet iustitiam, ecce fames; Tandem diuini amoris igne flammescet, ecce igne comburetur. *Sensus vaticinij Io. de Roma euersione circa finẽ Mundi eũ mysticus.* Itaq; statuit Author Ioannem in vtroque cap. 17. & 18. mysticè loqui de Roma Ethnica in Christianam commutata. Propterea, inquit Propheta, Bestia, quam vidisti, fuit, & non est, quia Roma Idolatrix, excussa Idolatria, & Christiana Religione iam non est, idest non est amplius Ethnica, & Gentilis. *Expositio Alcasar circa alia verba Ioannis.* Ideò ascensura est de abysso propter falsam Idolatriam, & in interitum ibit, quando veram assequetur Religionem, & Doctrinam. Quo circa diuitiæ Babylonis quondam plurimi habitæ, idest in Roma Ethnica, per subitam Religionis mutationẽ desertæ, & derelictę remanserunt; Quod significat diuitias à Christianis fuisse despectas, & pro nihilo ductas, quia dum ab Idolorũ superstitione recedebãt, iacturam diuitiarum faciebant, quæ à Tyrannis, eorumq; ministris vsurpabantur.

Expositio Alcasar circa vaticinium Ioan. reijcitur. Hæc Authoris interpretatio, quantum noua, & ingeniosa est, tantum recusanda videtur, vtpotè aliena à communi Interpretum consensu, & non adæquata ijs omnibus, quæ à Io. in vtroque capite referuntur; Multa siquidem adeò extorta, & veluti quadam violentia ducta sunt, vt non Ioannem exponere, sed suę sententiæ Ioannem accõmodare videatur. Vtique verum est id, quod tradidit D. Paulus, in hominis flagitiosi conuersione veterem hominem emori, & nouum aliam condi. Sic etiam in Romæ conuersione concedendum est Romam veterem interijsse, & Romam nonam à Deo fuisse fundatam, Agni Sponsam, & Ecclesiarum omnium Reginam. Sed non est excludenda interpretatio de materiali, & corporea mutatione Romæ, de materialibus supplicijs ipsi illatis, de veris incendijs, quæ passa est, de veris Principibus, & Regibus, qui ipsam toties deuastarunt. *Expositio de excidio materiali Roma tenenda ẽ.* Solum Author hac re laudandus est, quod & ipse concinnè astruit Romam ad Idolatriam, in sæculorum fine non esse reuersuram, contra opinionem Riberæ, & Viegas, quos reprehendit. *Laus Alcasar.* Etenim exponens verba capitis 18. versic. 21. Hoc impetu mittetur Babylon Ciuitas illa magna, & vltra iam non inuenietur, existimat, quod mystica vindicta à Deo facta in Roma Ethnica erit æterna; propterea quod Romana Ciuitas numquam ad Idolatriæ vomitum reuertetur. *Expositio Alcasar circa sacrã Scripturã.* Ideò Angelus ingentem lapidem molarem arripuit, cumque in mare proiecit, nec aliquod illius superfuit vestigium, ad significandum nullam amplius futuram esse suspicionem, seu formidinem, quòd lapis inde emergat, idest Romana Ciuitas Idolatriã recipiat, quod omninò est consonum veritati, & illis, quæ à nobis supra tradita sunt. *Lapis molaris Angeli.*

Quibus addo, quæ docuit Card. Bellarminus lib. 4. de Pontif Roman. cap. 4. nimirum, non esse de fide negare, Apostolicam Sedem à Romana Vrbe diuidi posse, atq; alio transferri, adeò vt hæreticum sit affirmare, id contingere posse, sed pijssimum, inquit, est asserere, id numquã euenturum, & Ecclesiam Romanam numquam defecturam; *Bellarmini sententia de Sede Romana.* tum quia D Petrus cælesti afflatus Spiritu, & à Christo Domino, vel iussus, vel admonitus, Sedem suã ex Antiochia transtulit Romam, ibiq; semper permansuram fixit; tum etiam, quia si voluntas Dei esset, alio Apostolicam Sedem transferendam esse, haud dubiè id præstitissent Romani Pontifices, quando per multos annos ita à Romanis Ciuibus vexati fuere, vt sæpissimè ab Vrbe exulare coacti fuerint. Vel quando à Gothis, à Vuandalis, ab alijs Barbaris, quos infra referam, Roma capta, spoliata, & euersa fuit, vel quando, tempore Longobardorum, Romani Pontifices in summis calamitatibus versabantur; *Roma capta.* Nec tamen ærumnosis illis temporibus Sedem mutarunt. Quod si Romani Pontifices per septuaginta annos in Gallijs habitarunt, non tamen illùc Sedem transtulerunt, & Episcopatum Romanum cum Aueniononensi *Obiectio soluitur.*

coni-

commutarunt, sed per Vicarios, & Ministros Sedem Apostolicam Romæ rexêrant administrarunt. Ex quibus infert Bellarminus Ecclesiam Romanam, idest Populum, & Clerum Romanum non posse errore personali ita errare, vt omnes omninò errent, vt nulli sint in Romana Ecclesia fideles, & Pontifici adhærentes, quod est dicere, totam Romanam Ecclesiam Apostaticam effici non posse. Quod confirmat testimonijs à nobis supra allatis, D. Hieronymi, & Cypriani, addita authoritate Nazianzeni in carmine de vita sua, ante medium, ita scribentis. Vetus Roma ab antiquis temporibus habet rectam fidem, & semper eam retinet, sicut decet Vrbem, quæ toto Orbi præsidet, semper de Deo integram fidem habere.

Tota Romana Ecclesia non potest Apostatica affici.

Ratio ex Nazianzeno.

Quæ cum ita sint, perspicuum est, falsam, ne dicam erroneam, illorũ esse opinionem, qui censent, Romam ante finem Mundi ita à fide Christiana defecturam esse, & à Romani Pontificis potestate recessuram, vt pro tanto crimine Diuina Iustitia de ipsa sumptura sit dirã vindictam, quæ tot supplicijs exaggeratam à D. Io. Apoc. cap. 18. ante oculos exhibetur.

Error nonnullorum reijcitur.

Quare cò res adigitur, vt vaticinia Io. astruantur de Roma veteri, Sanctorum debellatrice, & Christianæ infensissimæ religioni, de qua cum impleta sint eiusdem Ioannis oracula, non est, quod illa ad extrema Mundi tempora, propè aduẽtum Antichristi, in dedecus ipsius Romæ referantur. Consideratur igitur Roma Ethnica, seruiens Idolis, nefando impiorum Deorum cultui mancipata, quæ iure meritò dicitur meretrix vniuersis populis prostituta, habens poculum aurium in manu, quia omnibus Gentibus, quibus imperabat, falsorum Deorum impurissimas superstitiones, quasi vinum è poculo propinabat. Hinc lapide pretioso, & margaritis ornata depingitur, propter luxum incredibilem, & diuitias, quibus affluebat. Dicitur ebria de sanguine Sãctorum, & Martyrum Iesu, quia quotquot per terrarum orbem Christi Martyres necabantur, ipsius Romæ Imperio, authoritate, & exemplo mactabãtur; Inò memoriæ proditum est, numerum Martyrum Romæ interfectorum, trecenta Martyrum millia continere, præter viginti septem Pontifices, qui martyrio occubuerunt. Vt igitur

Vaticiniũ Io. complementum.

Vera expositio vaticinij Ioannis.

Numerus Martyrũ Romæ interfectorũ, & Pontificum.

Deus nõ solum de Idolatriæ crimine, sed etiam de sæuissima persecutione Christianis Romæ illata, iustas pœnas sumeret, pluribus cladibus eamdem Vrbem afflixit. Et sanè æquissimo iure Diuinæ iustitiæ gladius in Romanam Vrbem excitatus fuit à nefando Deorum cultu Romæ longo tempore habito, postquã in ipsam Crucis Vexillum, & Apostolicam Sedem Princeps Apostolorum inuexit. Etenim sub Constantini Magni auspicijs Romæ Christiana Fides ampliore Theatro cœpit exultare; Non defuerunt tamen ibi Gentiles ritus, Patriæ superstitiones, & inania victimarum Sacrificia; Quo factum est, vt ea crimina senatui, & militibus Constantinus exprobrans, Senatorum indignationem incurreret, & coactus fuerit, primum inter Troadem, & priscum iliũ inchoare Vrbem, in qua Imperialem Sedem constitueret, postea augurijs admonitus ipsam Byzantium transferre. Hinc sub Valentiniano primo, & filijs Gratiano, & Valentiniano secundo aræ falsis Dijs erectæ frequentatæ sunt, & nefarij ritus repetiti, vt in Epistolis Symmachi Vrbis Præfecti, gentilitiæ superstitionis propugnatoris, legere est, qui tunc temporis, Imperantibus Gratiano, Valentiniano, & Theodosio, multos in Vrbe Romana Senatores Gentiles fuisse, non obscurè demonstrat. Quamobrem, cum à Constantino, vsque ad Honorium, superstitiosa turpitudo, Christianæ Fidei pulchritudinem fœdasset, & Diuinam contempsisset Maiestatem, ita vt ex vna parte Roma esset Babylon, propter abominanda Deorum, quæ in ipsa colebantur, simulachra, ex altera verò parte esset filia Sion, propter verum Dei cultum, cui multi fideles addicti erant, Deus non minus iustus, quam misericors, tot iniurias vlciscens, anno salutis 410. primam Romæ inuexit cladem, per Alaricum Gothorum Regem Arianũ, in qua obsidione pestis simul, ac fames Vrbem afflixerunt, vt elegãter describit D. Hieronymus Ep. 16. Propterea his primum Deus de Idolatria Romæ renouata pœnas sũpsit; Quod argumentum in libris de Ciuit. Dei prosequitur August. ostendens Romæ supplicia cœlitus illata esse, non propter veram, & Orthodoxam Fidem, vt Gentiles impiè blaterabant, sed propter Idolatriæ

Fides Romæ qualis Constantini tempore.

Vrbs inchoata a Constantino.

Varius status Romæ quo ad Fidẽ Catholicam.

Roma obsessa Alarico Gothorum Rege, sensit pœnas Idolatriæ.

Attalus Imperator creatus, & eius mors.

impietatem. Quod certè demonstrat Gentilium numerus eo tempore Romæ degentium, qui Attalum Imperatorem, constituerunt, Honorio legitimo Imperatore repudiato, quamuis breui tempore idem Attalus fuerit interfectus. Porrò, Vrbem ab Alarico inflammatam D. Hieronymus Ep. ad Gaudentium his eloquẽtibus lachrymis deplorat. Proh nefas! Orbis terrarum ruit, in nobis peccata non ruunt, Vrbis inclyta, & Romani caput Imperij vno hausta est incendio; nulla est regio, quæ non exules Romanos habeat; In cineres, & fauillas sacra quondam Ecclesiæ conciderunt, & nos studemus auaritiæ? Hæc Hieronymus. Eo verò tempore impleta sunt verba D. Ioannis. Exite de illa, populus meus, nã multi Christiani, ne tantæ cladis spectatores essent, & ne tantas in seipsis ærumnas experirentur, fugam arripuerunt; Quod Hieronym. his verbis describit Præfat. in Lib. 3. super Ezechielem. Quis crederet, vt totius Orbis extructa victorijs Roma corrueret, & ipsa suis populis mater fieret, & sepulchrum? vt tota Orientis, Ægypti, Africæ littora, olim dominatricis Vrbis, seruarũ, & ancillarum numero complerentur, vt quotidie S. Bethleem nobis quondam vtriusque sexus, atq; omnibus diuitijs affluentes susciperet mendicantes. Ita Hieronymus; Quamuis Deus, cui proprium est misereri, in Alarici animum induxerit lege cauere, ne aliquis offenderet eos Romæ Ciues, qui ad Sancta loca, & præsertim ad Basilicas Petri, & Pauli confugerent, ita referente Orosio, lib. 7. cap. 39. Ea clade (quæ fuit Dei miseratio) Roma deleta non est, sed se ipsam recuperauit, & resarciuit, contemnens tamen resipiscere, & pænitentiam agere, rursus Diuinam in seipsam prouocauit vltionem; Vnde exclamat Saluianus lib. 6. de Iudicio, & prouidentia. Obsessa est Roma, & expugnata; ergo desierunt blasphæmi, & furiosi esse Romani? Propterea Deus alio supplicio Romam contriuit, anno 455. per Gisericum Vuandalorum Regem, qui opes innumeras rapuit ex Romana Vrbe, & in Africam transtulit, vna cum Eudoxia Augusta, & duabus eius filiabus Eudocia, & Placidia captiuis, & Vrbem incendisset, nisi occursu Leonis Papæ retardatus esset, qui in octaua Apostolorum sermoni deplorat eas ærumnas, propter Idolatriam contigisse his verbis. Pudet dicere, sed necesse est non tacere. Plus impenditur Dæmonijs, quam Apostolis, & maiorem obtinent insana spectacula frequentiam, quam beata martyria.

Dolor Hieronymi in Roma conflagrata ab Alarico.

Vaticiniũ Io. impletũ.

Verba Hieronymi de Roma destructa.

Alarici reuerẽtia in loca sacra.

Vrbs Roma iterum vastata à Vandalis, seu potius spoliata.

Leo Papa de Roma Idolatriã scitante.

Mox anno 476. Odoacer Rex Herulorum, exuto Momulo Augusto, qui per cõtemptum Augustulus appellabatur, purpurea veste, & Imperio Romam inuasit; cæpit, deuastauit, & Augustulo in Lucullanum Campaniæ Castellum relegato, Imperium Occidentale extinctum penitus est.

Tertia Roma vastatio ab Herulis.

Denique anno Christi 547. Totilas Gothorum Rex Romam obsedit, & incendio, & ferro ipsam penitus demolitus esset, nisi a litteris Belisarij à tam prauo cõsilio reuocatus fuisset. Sed ab ipso repetita inuasione, anno 550. tam ingenti clade affecta est Roma, vt trucidatis Ciuibus, & alijs abire iussis, Roma per aliquot dies habitatoribus vacua permanserit.

Quarta destructio Romæ à Gothis.

His igitur opportunè prælibatis de Romæ excidijs, ad institutam materiam sermonem reuocantes pronunciamus apertè ea, quæ a Ioanne cap. 17. & 18. prophetico exarata sunt spiritu, de Roma Pagana, & de ipsius Idolatrico Imperio fuisse prænunciata; Siquidem præter ea, quæ Romæ apposité competere adnotauimus, septem Reges, de quibus loquitur Euangelicus Propheta, sunt, vt exponit Victorinus, & sequitur Maluenda lib. 4. de Antichristo cap. 20. septem Romani Imperatores, excepto Nerone, a quo duxit initium bestia coccinea, nempè tyrannica potestas, & dira Christianorum persecutio, nimirum Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus, Domitianus, Nerua. Quinque, inquit S. Propheta, ceciderunt, & hi sunt Galba, Otho, Vitellius, Vespasianus, Titus; Vnus est, scilicet Domitianus, quo imperante in Insulam Patmos relegatus Propheta has visiones exarabat. Pergit, alius nondum venit, & cum venerit, oportet illum breui tempore manere. Indicatur Nerua Domitiani successor, qui cum annum vnum, menses quatuor, & dies nouem imperauerit, dicitur breui tẽpore manere. Prosequitur his verbis. Et ipsa octaua est, & de septem est, & in interitum vadit. Significatur Traianus octauus post Neronem Imperator, qui in iuri-

Vaticiniũ Io. intelligendum de Roma pagana.

Septẽ Reges qui sunt in vaticinio Ioanis.

Expositiones verborum extrictium in vaticinio Ioannis.

Adoptatio vaticinij ad res præteritas.

teritum vadit, quia cum eo dominante, summo felicitatis apice opum amplitudine, gloriæ culmine, potestatis dilatatione Romanum potiretur Imperium, vt luculentissimè describit Plinius in Traiani Panegyrico, atque Dio, & Spartianus testantur, post Traianum maiestas Imperij labefactari, & ad diminutionem prolabi cepta est. Subdit S. Euangelista, & Propheta; Et decem cornua, quæ vidisti in bestia, hi odient fornicatiam. Pro quibus decem cornibus existimo, Ioannem non intelligere decem illos Reges, qui ex oraculo Danielis cap. 7. imò eiusdem Ioānis, vt aliqui sunt interpretati diuisuri sunt inter se Romanum Imperium, & illud penitus euersuri, de quibus mox differemus, sed denario numero plenitudinē, ac multitudinem in scriptura significante variarum nationum, ac gentium Reges proponuntur, qui diuersis temporibus, vt supra retulimus, Vrbem Romanam occuparunt, vastarunt, dilacerarunt. Tandem absoluit Io. cap. 17. his verbis. Deus enim dedit in corda eorum, vt faciant, quod placitum est illi, vt dent Regnum suum bestiæ, donec consummentur verba Dei, & mulier quam vidisti est Ciuitas magna, quæ habet Regnum super Reges terræ. Quibus verbis clarissimè indicatur Alaricum, Geisericum, Odoacrem, & Totilā sæuissimos Romæ demolitores fuisse Dei flagella, & ministros, quibus vti placitum est Deo donec verba Dei, idest ipsius æterna decreta, de Romæ deuastatione complerentur.

Expositio aliorum verborum Vaticinij.

Accommodatio Vaticinij ad res praeteritas.

Quamobrem ex dictis iam satis constare arbitror figmento simillimum esse asserere Romam circiter extrema Mundi tempora Ethnicam, atq; Idolorum cultricem euasuram esse decem potentissimos Reges sub suo dominatu habituram, qui tandem ipsam perræsi, igne, ferroque demolientur, primum Romano fugato Pontifice, Christianaq; extincta religione; Pro quibus flagitijs Deus in ipsam Vrbem aciter animaduertet; nam hæc nutanti prorsus, & infirmo iactantur sermone, atq; à Ioanne Prophetico stylo pronunciata, rectè, vt explicauimus, Romæ Paganæ conueniunt. Itaque, cum ferè eadem, quæ à Ioanne exarantur, primum ab Isaia cap. 47. & à Ieremia cap. 25. prædicta sint haud dissimili concepto sermone fateamur necesse est cum D. Hieronymo in cap. 7. Isaiæ de Vrbe Romæ ab Alarico deuastata prænunciata fuisse. Vnde culpanda est interpretatio Ludouici ab Alcasar, qui in exponendis versic. 10. 11. & 12. cap. 18. Apocalyp. existimat illas, quas ipse appellat Nenias, desumptas fuisse ex Ezechielis cap. 27. Tyri ruinam deplorantes, & tamquam per elegantes fictiones additas fuisse à Ioanne ad ornatum potius augendum, quam ad veritatem amplificandam, quoniam non tamquam res fictæ sunt à Io. allatæ, sed tamquam veræ narrationes illarum cladium, quibus Romanam Vrbem oppressam fuisse, & deuastatam litteris consignatum est. Cum igitur vaticinia Ioannis iam suum obtinuerint effectum, & sortita sint finem, Roma ante Mundi postrema tēpora non delebitur, sed quidem in communem Mundi exitiū postremum illabetur, atque ipsius destructio neutiquam esse potest signum, quod antecedēter Mundi interitum præsignet.

Reijcitur sententia de Roma Ethnica.

Debilitatio sententiæ oppositæ.

Reijcitur expositio Alcasari.

Destructio non est signum finis Mundi.

SECTIO SECVNDA.

An Romanum Imperium sit ante Mundi finem destruendum.

Concordibus SS. Patrum suffragijs firmatum est, Imperium Romanum proximo tempore Antichristi aduenturi destruendum esse, & à decem Regibus obtinendum, qui ipsum inter se diuident, cum nullus tamen eorum Imperator Romanus sit appellandus, atque ita re ipsa, & nomine Imperium Romanum delebunt. Hæc in primis est sententia Irenæi lib. 5. quam accepit à præceptore suo Polycarpo Episc. Smyrnensi, qui eamdem ab Euangelista Ioāne audire potuit, Cyrilli Catachesi 15. Chrysost. Hom. 4. in 2. Epist. Pauli ad Thessal. August. in eumdem Epist. locum, Anselmi, Bedæ, D. Thomæ, Lyrani, Bellarmini lib. 3. de Roman. Pontif. cap. 5. & tandem Riberæ, & Viegas in cap. 13. & 17. Apocalyp. Id deduxe-

Sententia nonnullorū de diuisione Imperij Romani.

Vaticiniũ Danielis expositum. duxerunt SS. Patres præsertim ex Daniele, cap. 7. narrante, se vidisse quattuor bestias, & bestiam quartam regnum quartum habuisse in terra, maius omnibus regnis; Porrò cornua decem ipsius regni, decem Reges futuros, & alius consurget, inquit, post eos, & ipse potentior erit prioribus, & tres reges humiliabit, & Iudiciũ sedebit, vt auferatur potentia, & conteratur, & dispereat vsque in finem. Quod vaticinium interpretes communiter exponunt de quattuor Regnis, quæ adumbrãtur per quattuor bestias, scilicet Regnum Assyriorum, Persarum, Macedonum, seu Græcorum, & Romanorum, & animaduertuor, quod huius quartæ bestiæ species, & nomen reticetur à Daniele, cum species, & nomina aliarũ bestiarum recenseantur, quia Romanum Imperium multiplex, & varium fuit; Siquidem primò Reges illud administrarunt, secondò Consules, tertiò Decemuiri, quartò rursus Consules, addito Dictatore, quintò Imperatores, Consulibus, & Tribunis remanentibus. Itaq; monstruosum illud Regnum ex Aristocratia, Monarchia, Democratia, conflatum fuit; Et bestia illa dicitur fortis nimis, dentes ferreos habens, ad indicandos magnos, & validos exercitus, quos Romana instruebat potentia, Bestiæ enim arma sunt dentes.

Qui administrauerit Imperium Romanũ.

Expositio vaticinij Danielis. Habet Bestia cornua decem, quia non decem quidem prædefinitè, sed multi Reges, indicati numero denario, subijciebãtur Imperio Romano, quos Romani, vel bello superarunt, vel beneficijs, & patrocinijs sibi deuinxerunt, quemadmodum eruditè edisserit Pererius in hunc locum.

Expositio Cornelij circa vaticinium. Propterea rectè putat Cornel. à Lapide comment. in cap. 7. Danielis, per decem Reges non accipi decem Imperatores Romanos, qui olim persecuti sunt Ecclesiã, scilicet Neronem, Domitianũ, Traianum, Antoninum, Seuerum, Aurelianum, Decium, Maximianum, Valerianum, & Diocletianum. Etenim hi decem Reges, de quibus loquitur Propheta, erunt in fine Mundi, & tres ex eis interficiet Antichristus, & reliqui septem perterriti Tyranno se subdent. Quare, vel dicendum est cum

Expositio S. Augusti. Augustino lib. 20. Ciuit. cap. 23. decem Reges vocari omnes Reges, vt numerus finitus ponatur pro indefinito, ne fortè, inquit ipse, in hisce decem Regibus cos expectantes falleremur, vel affirmandum est, ipsos decem prædefinitè futuros, vt infrà clarius explicabimus.

Expositio nonnullorũ circa verba Io. Qui igitur existimant Romanum Imperium à decem Regibus commemoratis à Daniele deuastandum esse, interpretantur bestiam coccineam descriptam Apocalyp. cap. 17. Romanam Vrbem, & mulierem sedentem super eam Romanam Imperialem potestatem, & quæ in eo cap. & sequenti traduntur, accõmodant Imperio Romano ab illis decem Regibus euertendo; Et consonant ea, quę scribuntur cap. 13. Apocalyps. quo loco narrant Ioannes sibi ostensum fuisse draconem habentem capita septem, & cornua decẽ; Nam primum erũt decem Reges, qui Romanum Imperium sibi diuident, postremis Mundi temporibus, sed septem remanebunt, quia tres ab Antichristo conterentur. Quod fuit clarissimè expressum à D. Hieronymo in præfatum 7. cap. Danielis; Ergo dicamus, ait ipse, quod omnes Scriptores Ecclesiastici tradiderunt, in consummatione Mundi, quando Regnum Romanorum destruendum est, decem futuros Reges, qui Orbem terrarum inter se diuident, tumque vndecimum Regem paruulum surrecturum, qui tres de illis decem superaturus est, scilicet Regem Aegypti, Regem Africæ, & Regem Aethyopiæ, quibus interfectis, etiam reliqui septem Reges illi victori colla submittent. Idem Hieronym. quæst. 11. ad Algasiam, explicans locum Pauli, 2. Thessalon. 2. hæc habet: Nisi venerit discessio primum, ac omnes gentes, quæ Romano Imperio subiacent, recedant ab eis, & nisi fuerit Romanum Imperium antea desolatum, & Antichristus præcesserit, Christus non veniet, tantum vt Romanum Imperium, quod nunc vniuersas Gentes tenet, recedat, & è medio fiat, & tunc Antichristus veniet.

Tres Reges necandi ab Antichristo.

Expositio Hieronymi.

Vaticiniũ Ioannis, & Danielis non probãt Romanum Imperium destruẽdum ante finem Mundi. Vt ingenuè fatear, hæc vaticinia Danielis, & Ioannis non me impellunt, ad assentiendum huic communi interpretum placito, quod Romanum Imperium, ante finem Mundi sit destruendum; Siquidem non me latet, oracula illa Prophetarum varias nancisci interpretationes, & in diuersas sententias deduci posse. Sed animum induxit meum ad id credendum testimonium efficacissimum Pauli 2. Thes-

sal. 2.

Verba Pauli probat euersionem Romani Imperij. sal.2. quod etiam à me supra explicatum fuit, vbi dicit Apostolus. Et nunc quid detineat scitis, vt reueletur in suo tēpore, tantum vt qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat, & tunc reuelabitur ille iniquus. Quæ verba Patres communiter exponunt de Imperio Romano euertendo, ante aduentum Antichristi; Ita Cyrillus Cathechesi 15. Veniet, inquit, prædictus Antichristus, cū impleta fuerint tempora Romani Imperij; Chrysostom. in hunc locum. *Auctoritates Sanctorum.* Quando, inquit, è medio sublatum fuerit Imperium Romanum, tunc veniet Antichristus; Augustin. lib. 20. de Ciu. Dei cap. 19. sic eadē verba exponit. Tantum, qui modo imperat, imperet, donec de medio fiat, idest de medio tollatur, & tunc reuelabitur ille iniquus, quem significare Antichristū, nullus ambigit. *Sēsus verborū Pauli.* Paulus igitur illis verbis non ausus fuit apertè scribere de euersione Romani Imperij, quod tamen illis populis oretenus apertè explicauerat, & sensus est. Vos scitis quid impediat Antichristi accessum, nā explicaui vobis Romanum Imperium id impedire, quia non sunt adhuc impleta eius peccata, & non ante veniet Antichristus, qui hoc Imperium propter sua peccata è medio tollat. Ideò qui nunc tenet Romanum Imperium, teneat, idest regnet donec de medio fiat, idest aboleatur, & tunc reuelabitur ille iniquus, scilicet Antichristus. Ita exponit sensum Pauli Bellarminus, loco memorato.

Vaticiniū Danielis. Congruūt cum his interpretationibus prędictę Epist. Pauli, quæ traduntur à Daniele cap. 7. his verbis: Considerabam cornua, & ecce conualida paruulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis euulsa sunt à facie eius, & ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia. Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. *Vaticinij expositio.* Ex quibus verbis primum colligitur ex decē cornibus nasciturum esse Antichristum, qui cornu paruulo indicatur, vt mox subijciam. Deinde apparet id euenturum esse propè finalem Iudicium, quod indicatur illis verbis; Donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit; Thronus siquidem significat regnum, & potestatem Iudiciariā, quæ data est Christo, & ab ipso exercenda in die postremo Iudicij; Quandoquidē mihi non probatur expositio Cornel. à Lapide, putantis, hic sermonem nō esse de vltimo Iudicio, quo Christus corporaliter, & visibiliter iudicabit viuos, & mortuos, sed de alio spirituali, & inuisibili, quo Deus Pater sub idē tempus Antichristum, omnesque eius asseclas Christi hostes conteret, & Christo subijciet. *Expositio Cornelij reijcitur.* Nam verba Danielis apertissimè describunt Christum Iudicem iratum, assimilatum fluuio igneo, qui à facie eius rapidus egreditur, & cui tot millia Angelorū assistunt, eò magis, quia prosequitur Daniel: (Iudicium sedit, & libri aperti sunt;) Quo loquendi modo vniuersale Iudicium à Christo faciendum repræsentatur.

Et de cornu paruulo equidem multa ab Interpretibus afferuntur, & aliqui illud exponunt de Pseudopropheta Mahomette, qui dicitur paruulus, quia gente Agarenus, Arabs patria, genere obscuro, & ignobili ortus est, & euellit tria cornua, quia tria viciniora Regna vexauit, & occupauit, Arabiæ scilicet, Assyriæ, & Aegypti, vel quia Turcæ trium Mundi partium magna ex parte Imperium possident, Asiæ, Europæ, & Africæ, & habet oculos hominis, quia Mahomettis solertissimus, & sagacissimus fuit ad fallēdos homines, vt animaduertit Pererius in hoc capur 7. Prophetæ; *Varia expositio vaticinij Danielis de Mahomette.* Tamen vt obseruat idem Author hoc cornu paruulum non est exponendum pro Mahomette, quia quando cornu paruulum regnabit, iam Romanū extinctum erit Imperium, & Mahomettes vixit circa annum Domini sexcentesimum, Romanum Imperium administrātibus Heraclio, & Honorio. *Expositio vaticinij reijcitur.* *Tempus, quo vixit Mahomettes.* Deinde, ait Propheta, cornu paruulum regnaturum esse per tempus tempora, & dimidium temporis, hoc est per tres annos cum dimidio; Clarissimum autem est Mahometti sectam, & Imperium non tantum tribus annis, & dimidio durasse, quin hoc quoque tempore Ottomanum Imperium suam tyrannidem exercere. Itaque cum cornu paruulum significet Antichristum, ex vnanimi Interpretum consensu, & vt cæteris expositionibus reiectis, demonstrat Cornelius loc. cit. apparet clarissimè euersionem Romani Imperij euenturam esse tēporibus proximis Antichristi aduētui, & consequenter sub finem, & consummationem sæculorum. *Euersio Romani Imperij erit circa finē Mundi.*

Ani-

Extinctio Romani Imperij nõ est proximum signũ finis Mũdi.

Animaduerto tamen, quod euersio Imperij Romani non erit signum proximum, vel coniunctum cum fine Mundi, adeò vt extincto Imperio, immediatè subsecutura sit vniuersalis cõsummatio, quia talis euersio multis ante temporibus contingere potest; neq; D. Paulus asserit immediatè, & coniunctim venturum esse Antichristum, Romano Imperio è medio sublato, vt obseruarunt Anselmus, & Caietanus, sed genuina mens Apostoli est, significare Antichristum venturum non esse, nisi primum Imperium desinat Romanum, nihil indicans de præfinito tempore, quo post euersionem Imperij regnaturus sit Antichristus; Et quamuis Daniel affirmet, de medio decem cornuum, idest decem Regum, qui sibi inter se diuisuri sunt Imperium Romanum, surrecturum esse cornu paruulum, idest Antichristum, tamen ex ipso non infertur, quod statim ac Reges illi Imperium Romanum inter se partiti fuerint, Antichristus surrecturus sit, quia contingere potest, vt per multum temporis decem illi Reges dominentur, & fruantur Romani Imperij Prouincijs inter se diuisis, & deinde de medio eorum; idest eo tempore, quo ipsi regnabunt, consurgat Antichristus. Quare tametsi firmum, & inconcussum sit, Imperium Romanum prosternendum esse ante aduentum Antichristi, & ante Mundi finem, nihilominus hoc non est signum proximum, & immediatum, neque aduentus Antichristi, neque vltimæ consummationis. Quare omnia concinunt ijs, quæ à Christo dicta fuere Luc. 21. Surget gens contra gentem, & Regnum aduersus Regnum; Quę potissimum significant Regnum decem Regum, quos commemorauimus, surrecturum esse aduersus Regnum, & Imperiũ Romanorum, prælia excitans, & seditiones; Sed inquit Christus Dominus, oportet primum hęc fieri, sed nondum statim finis. Ergo, ex ipsius testimonio, colligi non potest tempus præfinitum, & certum Mundani excidij ex prælijs, & seditionibus, quæ ante contingent, & præsertim ex bellis, quibus Romanum Imperium contereretur.

Ratio ex Paulo.

Sẽsus verbõ Pauli

Expositio vaticinij Danielis.

Tempus præfinitum finis Mũdi non habetur ex bellis præcedentis: excidium Romani Imperij.

Et antequam huic sectioni finẽ imponam, animaduerto me nullum reperisse Scriptorem, neque antiquum, neque recentem, qui huic priscæ sententiæ de Romano Imperio, ante finem Mundi destruendo libenter non adhæreat. Solum Dominicus Soto 4. Sentent. dist. 46. art. 2. interpretans verba Pauli epist. 2. ad Thessalonic. cap. 2. (Ne quis vos seducat vllo modo, quoniam nisi venerit discessio primum, & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis) considerat duplicem esse discessionem, quarum alteram ciuilem, alteram spiritualem appellat. Ciuilem asserit iam aduenisse, quia amplius non extat ciuile Romanum Imperium, & fortasse voluit significare, in Augustolo extinctum fuisse, & per trecentos vigintiquinque annos deuastatum reuixisse, quando à Carolo Magno Regem Galliæ renouatum fuit, qui à Leone 3. anno Christi 801. inauguratus, & declaratus fuit Imperator. Spiritualis verò potestas, in quam commutatum fuit Imperium Romanum, nondum cessauit; Sed tunc eueniet, inquit Author, quando Orbis à Christiana Fide discedet.

Dominicus Soto de euersione Romani Imperij.

Duplex discessio Romani Imperij ex Soto.

In vtroque decipitur Soto; In primò, quia falsum est, Ciuilem Imperij Romani potestatem aliquando defuisse; Nam quamuis Imperium Occidentale penitus abolitũ fuerit in Augustolo, tamen Oriẽtale remansit. Neque officiunt verba D. Hieronymi Pręfat in primum librum supra Ezechiel. ita loquentis. (Postquam verò clarissimus terrarum omnium lumen extinctum est, imò Romani Imperij truncatum est caput, & vt verius dicam, in vna Vrbe totus Orbis interijt;) nam loquitur de clade ab Alarico Romæ illata, quam Romani Imperij caput appellat, nõ autem significat Imperium Romanum penitus fuisse deletum.

Error Soti rejicitur.

Solutio obiectio desumpta ex S. Hieronymo.

Neque opus est, vt Imperium Romanum sit coniunctum cum Romę dominio, quoniam olim diuulsum, & separatum fuit, quandoquidem Arcadius, Theodosius iunior, Zeno, Valens, Anastasius, Iustinus, Imperatoria dignitate, & potestate insigniti fuerunt, & tamen Romana Vrbe non potiebantur, donec Iustinianus Imperator vtrumque Imperium Orientale, & Occidentale administrauit; Orientale nimirum per seipsum, & Occidentale per Exarchas Rauennæ degentes. Nunc verò temporis in Germania dominantur Imperatores, absque eò, quod Romæ dominentur, in qua Romanus Pontifex, tot ab hinc

Romanum Imperium diuulsum Romæ dominio.

Exarcha Rauennæ.

hinc sæculis temporalem, & spiritualem obtinet principatum. Præterea in secundo dicto decipitur Soto, quia numquam ab Ecclesia fiet talis discessio, & apostasia Christianorum, vt tota spiritualis potestas deficiat, licet enim in fine Mundi propter sæuissimas Antichristi persecutiones multi fideles, vel bonis temporalibus ab ipso Antichristo profusè iactatis allecti, vel nimio timore examinati à Christiana Fide desiscere cogentur, tamen multi præsertim in Arabiæ desertis latitantes se Christi asseclas profitebūtur, vel martyrio Christianam Fidem tuebuntur, adeò vt Christiana Religio labefactata quidem, & pessuudata futura sit, numquā tamen desitura, iuxta pronunciatum Redemptoris: Rogaui pro te, Petre, vt non deficiat fides tua. Quod non solum de fide Petri, & Successoribus eius, sed de tota fidelium congregatione, quæ est Ecclesia Dei, intelligendum est.

Alter error Soti reijcitur.

Numquā penitus desinet Christiana Religio.

Afferamus igitur, Romanū Imperium semper permansisse, vel in Oriente, vel in Occidente. Etenim, quando in Oriente defecit, sub Constantio Vndecimo, propter captam Constantinopolim à Mahomette 2. anno Salutis 1453. 29. Mai, extabat in Friderico 3. Imperium Occidentale. Siquidem, extincta Caroli Magni sobole, auctoritate Summi Pontificis Io. XII. ad Germanos, seu Saxones Imperiū Romanū trāslatū est, & primus ex hac gēte Imperator fuit Otho primus, & deinde à Gregorio 5. tribnta fuit potestas Germanis Principibus Romanum Imperatorē deligendi, vt inter cæteros testatur Bellarminus de trāslatione Imperij l. 3. c. 1. & 2.

Constantinopolis capta à Mahomette 2.

Quando Imperium Romanum trāslatum ad Germanos.

Potestas Veardi Imperatorem penes Principes Germaniæ.

Statuamus igitur, quod Romanū persistet Imperium, donec decem potentissimi Reges in Orbe existant, qui partiantur inter se Romani Imperij Prouincias, non illas, quas olim habebant Imperatores Romani, & quæ hoc tempore possidentur à Regibus Galliæ, Hispaniæ, Britanniæ, à Turcarum Imperatore, & ab Italiæ Principibus, siquidem hę non sunt propriè Imperij Romani Prouincię; Vnde hallucinatur Maluenda lib. 4. cap. 14. de Antichristo, putans supradicta regna à decem Regibus diuidēda esse; Sed potius putandum est, diuisionem fore illarum Prouinciarum, quas hoc tempore Imperator possidet Romanus, cuius, vt dixi, potestas delebitur.

Imperium Romanum diuidetur à decē Regibus.

Error Maluēda.

Non admitto, rogata venia, interpretationem D. Augustini lib. 20. de Ciuit. Dei cap. 23. docentis decem Reges à Daniele, & Ioanne indicatos non significare verum numerum denarium, sed potius numero denario multitudinem indicari, quando solemne est in Sacris Litteris hoc numero multitudinem repræsentari, vt in Genes. 31. Mutauit mercedem meam decem vicibus. Iob 19. En decies confundistis me. Ecclesiast. 7. Sapientia confortauit Sapientem super decem Principes Ciuitatis. In his enim locis vox decem significat multos, & plures; Nam verba vaticiniorum Danielis, & Io. perspicuè significant, decem Reges in præfatis locis, pro numero definito decem tantum sumi, nec plures, nec pauciores intelligēdos esse. Quod sanè demonstrant verba de tribus interficiendis ab Antichristo, & de septem eidem victori spontè manus daturos. Quoniam verò futuri sint isti decem Reges Romani euersores Imperij, prorsus ignotum est, & obscurum, & aliquid certi de hac re afferri nō potest; Vnde non approbo Rabani sententiam, opusculo de Antichristo asserētis, quod vnus ex Francorum Regibus Imperium Romanum vltimus obtinebit, id enim absque vllo fundamento asseritur, sed potius putandum est Principes, & Reges Christianæ Religioni infensissimos ipsum esse destructuros, quemadmodum, & anteactis, & præsentibus temporibus, aliqui hæretici Principes moliuntur, oppugnantes quidem, sed non expugnantes Imperialem potestatem; Pro cuius conseruatione Ecclesia S. in die Sācto Parasceues preces ad Deum effundit; Quod etiam consueuerunt præstare antiqui Christiani pro diuturnitate Imperij Romani orantes, referente Tertulliano in Apologetico cap. 32. quod sciebant illo Imperio euerso summam calamitatem vniuerso Orbi imminere. Quod etiam deplorat Lactantius lib. 7. cap. 15. Romanum, inquit, nomen, quo nunc regitur Orbis (horret animus dicere, sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & Imperium in Asiam reuertetur, & rursū Oriens dominabitur, atq; Occidens seruiet. Ex quo infertur iuxta mentē Lactantij, Orientis Principes Romanum Imperiū deuastaturos; At de re prorsus incerta non est, quod plura disputemus.

Sententia S. August. reijcitur.

Quid significet numerus denarius in sacra Script.

Sensus verus decem, penes Danielem.

Reges decē futuri euersores Romani Imperij, ignoti sunt.

Sententia Rabani reijcitur.

In die Parasceues Ecclesia peccatorū pro conseruatione Romani Imperij.

Sententia Lactantij non approbatur de Regibus Orientis.



DISPVTATIO THEOLOGICA.

CAPVT PRIMVM.

Beatus non videt in Deo tempus, quo Mundus deficiet. Hunc non cognoſcit Beatus, quemadmodum Anima Chriſti, omnia ad ſcientiam viſionis ſpectantia, quæ tamen cognoſcet poſt diem Iudicij. Beatus cognoſcit finem Mundi, vt contingens, non in ſe ipſo, ſed in ſua cauſa, quæ eſt Deus. Illa, quæ à Beatis temporis progreſſu cognoſcuntur, non viſione beatifica, ſed reuelatione Diuina innoteſcunt. Affertur cauſa, ob quam Beati tempus definitum finis Mundi ignorant.

Qualis cognitio Beati circa finem Mundi.



Ntellectus Beati vniuerſa nō videt in Deo, neque intuetur ea omnia, quæ Deus, ſuam eſſentiam intelligendo, cognoſcit; Non enim videt omnia, quæ Deus facere poteſt, & numquam faciet, neque videt rerum omnium factarum rationes, & habitudines omnes, quas habent ad Diuinam Bonitatem, & Sapientiam; Nam hoc modo comprehenderet Sapientiam, Bonitatem, & Potentiam infinitam Dei, ſi ipſa intelligetur à Beato ſub omnibus rationibus, quibus poteſt diffundi, vt docet D. Thomas 3. contra Gent. cap. 59. Neq; videt ea, quæ à ſola Dei voluntate dependent, qualia ſunt Prædeſtinatio, Electio, Iuſtificatio, & huiuſmodi; Videt tamen omnia genera, & ſpecies, & ordinē rerum in Diuina Eſſentia ſibi repræſentatum; Propterea Beati cognoſcunt quidditates ſpecierum perfectè, & ipſarum virtutes, & proprietates, & totam naturā Vniuerſi. Hinc cognoſcunt defectibilitatem ſpecierum, & Mundi occaſum, cum ſit intrinſeca proprietas rerum mundanarum, & præſertim inferiorum, vt tandem deficiant.

Quæ videantur à Beatis in Patria, & quomodo.

Animaduertēdum tamen eſt cum meo Ferrarienſi Comment. in Summam contra Gent. loco ſupra allegato, Intellectum Beatum cognoſcere vtique rationes rerū, has autem eſſe in duplici diſcrimine; Quędam enim ſunt, quæ naturam rei, & quidditatem neceſſariò concomitantur, vt ſunt naturales virtutes, & proprietates rerum; Quædam verò ſunt rationes, quæ rebus conueniunt, prout Diuinæ Prouidentiæ ſubſtant, & tales non cognoſcuntur omnes, cognita natura, & quidditate rei; Inter iſtas enumeratur tempus Mundi deficientiæ, quæ ſubiacet immediatè Diuinæ Prouidentiæ; Quare, cum dicuntur Beati videre omnia ad perfectionem Vniuerſi ſpectantia, intelliguntur ea, quæ ex naturalibus cauſis dependent; Nam quamuis Mun-

Rationes rerum ſunt in duplici differentia.

Mundus, vt in 2. parte huius Tractatus disputabimus, post suum finem in perfectiorem formam sit redigendus; Tamen quia talis perfectio non orietur à causa naturali, sed à suprema Dei Potestate, & voluntate, ideò talem Mundi perfectionem non cognoscit Beatus in Deo.

Consentanea huic veritati est doctrina D. Thomæ 3. sent. distinct. 14. quæst. 1. art. 1. quia constituit differentiam inter Animam Christi, & aliorum Beatorum Animas. Etenim Anima Christi omnia cognoscit, vt infra latius dicemus, quæ scit Deus scientia visionis; Nimirum cognoscit omnia, quæ in aliqua differentia temporis habent esse, siue ad esse gratiæ, & ordinē Diuinę Prouid. & Prędestinationis; Beati verò cognoscunt tantū ea, quæ spectant ad ordinem Vniuersi, & ipsorum statū; Quare cum Beatus non attingat ea omnia, quæ Christus cognita, à Christo Domino præ cæteris Beatis intelligit Scientia visionis, inter quæ dubio procul est Mūdi exitium, & tempus finis eiusdem, sanè conficitur, tale tempus à Beatis neutiquam cognosci.

Differētia animæ Xp̄i ab animabus Beatorum in cognoscendo.

Imò Ferrariēsis loco supracitato refert ex D. Thoma Beatos post diem Iudicij cognoscituros omnia prædicta, quæ Christus scit scientia visionis; Quare si Beati nunc tēporis ea nō percipiūt, quæ percipit Anima Christi, inter quæ est dies definitus finis Vniuersi, planè sequitur, quod hoc tempore Beati diem illum ignorent.

Cognitio Beatorum post diem Iudicij.

Præterea Mundi finis considerari debet, vt est futurum contingens; Quod dupliciter spectari potest, vel vt est in sua causa, vel vt est in se ipso. Ita tradit D. Th. prima parte quæst. 14. art. 13. & 3. contra Gent. cap. 67. Causa finis Mundi nulla alia esse potest, nisi solus Deus, qui quamuis in Mundi destructione vsurus sit Elemento Ignis, & Angelorum opera, vt suo loco dicemus, tamen istæ erunt causæ instrumentales, ipse verò Deus causa principalis; Itaque, ratione causæ, potest Beatus cognoscere, imò de facto cognoscit Mundi finem in Deo, scilicet in Diuina essentia Mundi finem intellectui beato repræsentante, & Beatus cognoscit Deum, tanquam causam hunc effectum operaturam; Atque ita dicendum est, Beatum cognoscere Mundi finem, vt contingens est; Quamuis enim talis finis ad Deum, Causam principalem relatus, non sit contingens, quia supposito decreto Diuino de Mundi destructione, & pręsupposita Scientia Dei, qui ab æterno suo intellectu fertur in talem destructionem, infallibiliter eueniet; Attamen comparatus hic finis ad Mundum, & ad causas proximas instrumentales, quæ concurrent ad ipsum destruendum, dicitur effectus contingens, tum ratione subiecti, in quod cadet destructio, tum ratione causæ proximæ destruentis; Docet enim D. Tho. loco prænotato, quod quamuis contingens respectu scientiæ Diuinæ, cui subiacet, sit necessarium, & vt relatum ad causam remotam, quæ est Deus; Tamen in ordine ad causas proximas dicitur contingens. Hinc cum Deus cognoscat contingentia, etiam eum habitudine, & relatione ad proximas causas, dicitur contingens cognoscere, etiam vt contingens; Quare Beatus cognoscit finem Mundi in sua causa, quę est Deus, & cognoscit ipsum, vt contingens; Non autem cognoscit hoc contingens, vt est in se ipso; Nam hoc modo cognosceret etiam tempus, quo debet contingere. Illud enim, quod cognoscitur in se ipso, debet esse actu, iuxta illud Philosophicū pronunciatum, Res cognoscitur, quatenus actu est. Quamobrem, si tale contingens cognosceretur in se ipso à Beato, esset actu præsens intellectui ipsius Beati, & propterea ipse Beatus apprehenderet tanquam præsentem differentiam temporis, in qua Mundi occasus eueniet; Ex quo sequitur, quod intellectus Beatus comprehenderet æternitatem, quæ continet in se, & ambit omnes temporum differētias, & ipsas habet, tanquam præsentes, cum in ipsa æternitate nulla sit successio, sed sit mensura tota simul; Quare hæc cognitio finis Mundi in se ipso, si actu haberetur ab intellectu Beato, supponeret infinitum æternum, & talis notitia mensuraretur æternitate, quæ est propria Dei mensura. Quocirca docet Caiet. in Comment. quæst. supra citatæ, Quod ad cognoscenda futura contingentia in se ipsis, duo requiruntur, Intuitus æternus, & plenitudo rationis repræsentatiuæ, Vtrumq; verò includit infinitatem, cuius non est capax intellectus creatus Beati; Quo fit, vt ipse nequeat Mūdi finem cognoscere, vt est contingens in se ipso, & propterea tempus definitum finis

Futurū contingens duplex est.

Causa duplex.

Quomodo Beatus cognoscat finem Mundi.

Rei cōtingens est necessaria simul.

Quid sit eo gnoscere in sua causa, & in se ipso.

Cognitio comprehensiua.

Æternitas mensura Dei.

Quid requiratur ad cognitionē futurorum contingentium in se ipsis.

Beatus nō cognoscit finē Mundi.

finis Mundi ignotet.

Obiectio de visione Beatorum, & solutio. Objicies: Beati multa futura cōtingentia vident in Deo, Ergo etiam vidēt diem Iudicij, Vel assignanda est ratio, ob quam inter ea futura contingentia, dies Iudicij, & finis Mundi non enumeretur. Respondendum est, Beatos non videre aliqua futura contingentia, ex vi visionis beatificæ, sed potius per reuelationem ipsis à Deo factam; Etenim ex Doctrina D. Thomæ, aliorumque Theologorum, Beatorum visio non est talis à principio, vt quædam nō videant, quæ postea progressu temporis videant, & cognoscant in Deo, Igitur, si id *In visione Beatorū nō fit alteratio.* proueniret à visione Beata, in ipsamet visione fieret alteratio, quod non est admittendum, quoniam Beati, tam clarè vident Deum à principio Beatitudinis, quam post multa sæcula. Quinimò contingere potest, vt ille, qui est minus Beatus, idest minus Deum videt, plura tamen sciat, & cognoscat spectantia ad suum statum, quam ille, qui est magis Beatus, & magis videt Deū; Ille enim, qui fuit fundator alicuius Ordinis Religiosi, si sit Beatus, plura scit spectantia ad ipsum, tamquam caput, de regimine, & cōseruatione sui Ordinis, quam *Vnde triatur, quod vnus Beatus quandoq; plura videt, quā alter.* sciat Beatior illo, qui Religiosam familiam non instituit. Quare asserendum est, quod in Beatis videre ea, quæ sunt extra Deum, non oritur ex visione beata, neque ex vi visionis, sed ex reuelatione, quam Deus prò sua voluntate facit Beatis potius de his futuris, quàm de alijs. Et hæc est Ratio potissima, ob quam cum Beati multa contingentia futura cognoscant, tamen ipsos latet definitus dies Iudicij, & finis Mundi, scilicet, quia Deus nō vult illis talem diem ob sua occulta arcana, & imperscrutabilia iudicia reuelare; Et si aliquam innuere placet causam, proptet quam Deus huiusmodi mysterium temporis occasus Mundi deneget intellectibus Beatis, hæc fortasse afferri potest, quæ ex communi Thologorum consensu petita est. Beati vident omnia singularia, quæ pertinent ad ipsorum statum, vt tradiderunt D. Thomas 3. parte, quæst. 10. art. 2. Caiet. 2. 2. quæst. 83. art. 4. Sotus in 4 sent. distinct. 49. quæst. 3. art. 3. conclus. 10. Ideò cum ad statum *Ad statum Beati non pertinent cognitio finis Mūdi.* Beati non videantur pertinere circumstantiæ finis Mundi, & præsertim tempus, affirmandum est ipsi Beato Deum non reuelare circumstantiam temporis de fine Mundi.

Quomodo singularia, quæ accidunt, cognoscuntur à Beatis. Statuendum igitur est, Beatos singularia, quæ accidunt, non cognoscere in Verbo ab initio suæ Beatitudinis, sed temporis successu illa cognoscere, alia visione, ac reuelatione peculiari, vt inter cæteros affirmant Vasquez in primam partem disp. 50. cap. 1. & Becanus quæst. 13. de Visione Dei. Quare cum Beati ab exordio suæ Beatitudinis cognoscant quidem, Mundum aliquando defecturum, & ad exitium à Diuina Potentia perducendum esse, attamen non cognoscunt multas circumstantias ad finem Mundi spectantes, & præsertim definitum tempus, quo destruenda est *Ignotæ sunt Beatis circumstantiæ finis Mundi.* hæc rerum Vniuersitas cum Arcanum hoc in Thesauris Diuinæ sapientiæ, in Christo habitantis, delitescat.

CAPVT SECVNDVM.

Quę futura contingentia cognoscat Angelus; Finis Mundi quomodo ignotus sit Angelo. Demonstratur proportio Mysterij Incarnationis, & finis Mundi in ordine ad cognitionē Angelicam, & primus Aduentus Christi cum secundo comparatur; Declaratur quomodo naturaliter Angelus Mundi occasum cognoscat, & quomodo supernaturaliter. Diluitur dubitatio de notitia Angelorum, quoad tempus mundani excidij; & ostenditur ipsos illud tempus ignorare Dauid, D. Ioan. D. August. & Gregorij sententiæ explicantur de numero Electorum ab Angelis cognito, & de reparandis Angelorum ruinis per Electos. Beatam Virginem scire diem Iudicij esse probabile, statuitur. *Series rerū tractādarū proponitur.*

Futura contingentia in triplici differentia.

FVtura Contingentia, quæ ab Angelis cognoscuntur naturaliter, tũ Beatis, tum Damnatis sunt in triplici differentia; Aliqua enim dependent à causis naturalibus necessariò operantibus, vt Eclypsis Lunæ proueniens ab interpositione Terræ inter Solem, & Lunã, & Eclypsis Solis proueniens à tali coniunctione Lunæ cum Sole. Hos effectus naturaliter contingẽtur perfectiori modo sciũt Angeli, quam omnes simul sapientes. Et quamuis Mundi finem præcedere possint Eclypses, & alij effectus naturaliter producti; Tamen cum finis Mũdi à causis naturalibus necessariò operantibus non dependeat, quia nulla est causa naturalis, quæ possit Mundum euertere, conficitur sanè, quod Mundi finis secundum hanc rationem ab Angelis certitudinaliter non cognoscatur.

Futurum contingens à causis necessarijs.

Futura contingentia, quæ sæpè eueniũt.

Vel futura Contingentia sunt ea, quæ vt in pluribus eueniunt, de quibus maiorem cognitionem habent Angeli, quam homines; Nam cum Angeli cognoscant perfectius causas impedientes effectum, possunt de ipso effectu certius prænũciare, quam homines. Propterea cum Mundi finis non enumeretur inter ea, quæ vt in pluribus eueniunt, profectò ab Angelo nequit cognosci certa cognitione, quamuis possit suo Intellectu per coniecturas felicius procedere, quam homo ad Mundi finis notitiam assequendam.

Futura contingentia, quæ rarò eueniũt.

Vel tandem futura Contingentia sunt illa, quæ rarò eueniunt, & sunt casualia, vel fortuita, v.g. quod aliquis effodiendo sepulcrum inueniat Thesaurum; Angelus enim antequam ille fodiat terram, nescit illum hominẽ inuenturũ esse Thesaurum, cum verò Terram fodit, scit Thesauri repertionem, quoniam notum est Angelo in eo loco absconditum esse Thesaurum. Itaque Contingentia futura casualia, vel fortuita latẽtia in suis causis fortuitis latent Angelos; Et quamuis finis Mundi relatus ad Deum nõ sit fortuitus, sed summus suæ Diuinæ Prouidentiæ effectus; Tamen relatus ad Creaturas, quæ concurrent ad destructionem Mundi, erit vel casualis, respectu Creaturæ irrationalis, vel fortuitus, respectu Creaturæ rationalis, iuxta illud pronunciatum Arist. 2. Physic. Fortuna est Causa per accidens eorum, quæ agunt per electionem, ad differentiam casus, qui est in ijs, quæ agunt sine electione.

Finis Mũdi fortuitus respectu creaturæ, nõ Dei.

Definitio Fortunæ.

Quomodo cognoscat Angelus.

Neque prætermittendum est, quod cognitio naturalis, quæ conuenit Angelo, habetur ab ipso per speciem intelligibilem in ipsius intellectu impressam, per quam speciem non potest certo cognoscere, nisi præsentia, & actu in rerum natura existentia. Et ratio est, quia id, quod cognoscitur ab Angelo, vt præsens, habet naturam similem suæ speciei intelligibili ipsum repræsentanti; Illud autem, quod non est actu, non potest talẽ habere similitudinẽ. Quare cum Mundi finis nunc non existat, nullamque propterea habeat similitudinẽ cum specie intelligibili Angelorum, planè constat, ab Angelis naturaliter non cognosci. Nam hæc potissima intercedit differentia inter cognitionem Contingentium respectu Dei, & notitiam eorumdem respectu Angeli; Quod futura Contingentia coexistunt Deo; quia rationes rerum omnium præsentes habet apud se, siue ratione Idearum in Mente Diuina repræsentantium res cum conditionibus existentiæ, siue ratione Diuinæ essẽtiæ repræsentatis, prædicta in ratione speciei intelligibilis; Hinc Diuinus intuitus fertur ab æterno supra omnia, vt sunt in sua præsentialitate; Quæ est Doctrina D. Thomę p. parte q. 14. Art. 13. & Caiet. ibidem. Cum autem Angelo futura Contingentia præsentia non sint, nisi quatenus actu sunt, propterea Angelus certa naturali sua cognitione nequit attingere nisi ea, quæ actu existunt. Nam futurum Contingens certa cognitione non est scibile; & quando scitur, non ratione futuritionis, vt sic dixerim, scitur, sed ratione præsentialitatis.

Cur finis Mundi nõ cognoscatur ab Angelo.

Discrimen inter cognitionẽ Dei, & Angelorum respectu contingentium.

Futurum Contingẽs non est scibile certa cognitione.

Addendum est, Angelos non cognoscere naturaliter effectus proximè, vel remotè à libero arbitrio humano dependendentes, quamuis per coniecturas, & per diuturnam experientiam conijcere possint, quid probabilius sit in tali casu euenturũ. Neque Angeli cognoscũt cogitationes alterius Angeli, ex voluntate ipsius dependentes, vt docet D. Thomas 1. p. q. 57. art. 5. Multò minus poterunt cognoscere ea, quæ à sola Dei voluntate dependent, vt est finis Mundi, & ipsius tempus. Quod est consonum Apostoli pronunciato prima ad Corint. 2. Quæ sunt hominis nemo nouit nisi spiritus hominis, qui in ipso est. Ita dicendum erit, quæ sunt Dei, nemo

Quæ ab Angelis nõ cognoscuntur.

nouit

nouit, nisi spiritus Dei.

Cognitio Angelis circa finem Mundi, & temporis.

Animaduertendum est diuerso modo ratiocinandum esse de Mundi fine relato ad cognitionem Angelicā, & de tempore, quo Mundus finem sortietur. Etenim ex dicendis constabit, Mundi finem notum esse Angelis cognitione supernaturali, tēpus autem ignotum esse. Existimo enim de notitia finis Mundi in ordine ad Angelos eo modo philosophandum esse, quo discurrunt Theologi de cognitione mysterij Incarnationis, quod asserunt Angelis ab initio suæ creationis, dum adhuc erant in via, fuisse reuelatum, vt tradit D. Thomas 1. p. q. 64. art. 1. ad 4. Caietanus in 3. p. q. 7. art. 1. & fuit sententia Ruperti in dictum Ioan. cap. 8. Ille homicida erat ab initio, & Catharini lib. de eximia Christi prædestinatione; Et ratio potissima est, quoniam huiusmodi cognitio fuit impertita Adamo, ex D. Thoma 2. 2. q. 2. art. 7. & 3. p. q. 1. art. 3. ad primum; Cui consonat August. lib. super Genesim cap. vltimo; Nam primus Parens in statu innocentiæ habuit fidem explicitam Christi, & mysterij Incarnationis, & colligitur ex illo dicto Genesis cap. 2. Hoc nunc os ex ossibus meis; Quæ verba D. Paulus ad Ephes. 5. interpretans ait, Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & Ecclesia; Tum quia maximè consonum erat statui Angelorum, vt tale mysterium in via perciperent, quoniam Angeli sunt administratorij spiritus, Teste Paulo, propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Cognouerunt igitur Angeli in via mysterium Incarnationis, non quidem quatenus hoc mysterium ordinādum erat ad redemptionem generis humani, quia Adamo non fuit cognita in statu innocentiæ ipsius ruina, ergo nec Angelis; Sed quatenus ordinandum erat ad consummationem gloriæ, & Christus debebat esse Caput hominum, & Angelorum, conueniens erat, vt Angelis in via Christus verus Dominus reuelaretur. Imò sunt nonnulli Theologi, qui asserunt Luciferū, & eius sectatores ex reuelatione Incarnationis sumpsisse occasionē rebellandi contra Deum, per superbiam, & inobedientiam, ægrè ferentes Verbum, & filium Dei, non de Angelica, sed de humana natura sumpturum fuisse carnem. Quod si Angeli in via tale mysterium cognouerunt, clariorem deinde hauserunt notitiam de eodem mysterio Angeli, qui confirmati in gratia Beatitudinem sunt assecuti; Itaque à principio suæ Beatitudinis cognouerunt mysterium Incarnationis, & Christum filium Dei constituendum esse Regem Gloriæ, Caput hominum, & Angelorum.

Mysterium Incarnationis reuelatum fuit Angelis.

Incarnatio nota fuit Adamo, & ratio assertus.

Expositio D. Pauli circa verba Scripturæ.

Consonum fuit Angelis cognitio Incarnationis.

Vnde sumpsit occasionē peccādi Lucifer.

Corollarium

Verum quidem est, quod ipsis Angelis tum in via, tum Angelis Beatis in Patria ignotæ fuerunt quædam Incarnationis circumstantiæ, vt Locus, Tempus, Mater, Modus, atque alia, quæ ex illo ineffabili mysterio deriuata sunt, vt reparatio generis humani, institutio Sacramentorum, Modus vocationis Gentium, atque alia, quæ temporis progressu cognouerunt; De quibus Paulus ad Ephes. 3. ait, Quæ sit dispensatio Sacramenti absconditi à sęculis in Deo, qui omnia creauit, vt innotescat Principibus, & Potestatibus in cęlestibus per Ecclesiam multiformis gratia Dei; Quare Angeli per ea, quæ facta sunt in Ecclesia, acquisiuerunt claram notitiā illorū, quæ in Verbo de mysterio Incarnationis antea non viderunt; Non enim ex verbis D. Pauli colligitur, Angelis tunc innotuisse mysterium Incarnationis, quando prædicatum est, sed quia ea prędicatio fiebat in conspectu Angelorum, clariorem tunc obtinuerunt notitiam, & quemadmodum deinde, labentibus sæculis, Deus reuelauit Archangelo Gabrieli Locum, & Tempus, & Matrem, in cuius sinu eius filius erat concipiendus; Ita etiam potuit alia Angelis reuelare circa idem mysterium, quæ ab initio ipsismet Angelis ignota prorsus fuerunt.

Quamuis Angeli cognouerunt Incarnationem, non tamen cognouerunt omnes circumstantias.

Quomodo Angeli cognouerint circumstātias Incarnationis.

Quibus positis dico, quod quemadmodum de primo Christi Aduentu multæ circumstantiæ perspectæ non fuerunt Angelis, neque in via, neque in principio Beatitudinis; Ita dicendum est, quod Angelis in via compertum non fuit Christum futurum esse Iudicem in secundo Aduentu in fine Mundi, quia hoc supponit notitiam culpæ Adami, & aliorum actualium peccatorum, de quibus notitiam nō habuerūt Angeli in via, cognoscentes mysterium Incarnationis. Secus autem dicendum est de Angelis Beatis, qui quantumuis ab initio Beatitudinis omnia ad Christum spectantia non cognouerint, cognouerunt tamen, post quam Adam peccauit, Christū redempturum esse Genus humanum, Iudicem

Angelus in via non cognouit Christum futurū Iudicem.

Cognitio Angeli post peccatum Adā.

dicem

dicem supremum in fine Mundi futurum, & consequenter de fine Mundi notitiam habuerunt, vel in Verbo, per extensionem visionis, vel per reuelationem, & species à supremo lumine effluxas.

Obiectionis solutio, & sacra Scriptura expositio. Neque obstat Angelos apud Isaiā cap. 63. & apud Dauid psalm. 23. quasi ignorantes mysterium Incarnationis interrogate Christum ad Cęlum ascendentem. Quis est iste Rex gloriæ? ait Dauid. Quis est iste, qui venit de Edom? inquit Isaias; Nam ea verba non ex ignoratione mysterij, sed ex stupore insoliti spectaculi profecta sunt, & sunt argumenta admirantis, & exultantis spiritus, & ex animo magnificantis Christum; Vel dicendum est, quod fuerunt conceptus non Angelorum, & Christi, sed ipsorum Prophetarum.

Qualis cognitio Angeli circa primū aduentum Christi, & secundum. Quemadmodum igitur Angelis fuit reuelatus primus Christi Aduentus, secundum suam substantiam, sed non secundū omnes circumstantias; Ita dicendum est; Aduentum secūdum Verbi Incarnati Angelis reuelatum esse, nō secundum omnes circumstantias, præsertim temporis, sed secundum substantiam tantum; Qui Aduentus, cum importet finale Iudicium, & connotet finem Mundi, asserendum est Angelis quoque innotescere finem Mūdi, sed non tempus definitum, quo Mundus, ex occulto Dei decreto, terminare debet;

Angeli multa cognoscūt decursum tēporis. Et quemadmodū Beati decursu temporis ex D. Thoma parte 1. q. 18. art. 7. multa cognoscunt, quæ in principio suæ Beatitudinis non viderunt; Ita affirmandum est posse Angelos habere, successu temporis, reuelationem etiam de tempore exitij Mundi.

Quomodo Angelus non cognoscit naturaliter finē Mundi, & quomodo dicendus est naturaliter cognoscere. Sit igitur conclusio, Angelos cognitione naturali finem Mundi non cognoscere; Quod ita intelligendum est, scilicet in Intellectu Angelico non esse speciē inditam præcisè, ac formaliter Mundi finem repræsentantem; Dicendum est tamen ipsum Angelum finem Mundi naturaliter cognoscere, quatenus per species rerum naturalium sibi congenitas cognoscit rerum defectibilitatem, vnaque cognoscit causam potentem Mundum destruere, quæ est Diuina Omnipotētia; Angelus verò, vt Beatus, sua Beata cognitione cognoscit; quemadmodum cęteri Beati in Verbo, Mundi finem clarissima cognitione; Nam si ex oraculis Prophetarum, ex dictis Saluatoris nostri, ex testimonijs Apostolorum nos habemus, & amplectimur, vt Articulum fidei, Mundi finem; Multò clarius, & perspicacius vident Beati in Deo mysteria fidei, iuxta illud Pauli, Videmus nunc per speculum, & in ænigmate, tūc autem facie ad faciem;

Quomodo Beati vidēt mysteria gratię. Verum quidem est, quod Beati vident mysteria gratię in Verbo, non quidem omnia, neque ęqualiter omnes, neque simul, sed prout Deus voluerit eis reuelare, & eo tēpore, quo placuerit reuelare. Ita D. Thomas 1. p. q. 57. a. 5. Quare superiores Angeli perfectius diuinam essentiam videndo, plura cognoscunt mysteria, quam Angeli inferiores, quibus manifestant, eos illuminando.

Sententia D. Thomæ de cognitione Angelorum. Et animaduertit D. Thomas, quod maximè nostro deseruit proposito, & supra indicatum est, scilicet Angelos à principio suæ creationis, & Beatitudinis quædam mysteria cognouisse, & quædam postea successu temporis comperta habuisse, iuxta ipsorum officiorum congruētiam. Quocirca videtur asserendum, Angelos, ab initio suæ Beatitudinis post cognitum peccatum Adæ cognouisse quidem hoc mysterium de finali Iudicio faciendo à Christo, & consequenter cognouisse finem Mundi, tamen multas circumstantias, & præsertim tempus ignorasse, quia hoc deinde reuelabitur ipsis à Deo, quando erit proxima Mundi destructio, in qua Angelorum ministerium adhibebit.

Cognitio Angeli circa finem Mūdi post lapsū Adæ.

Sententia Riccardi, & Augustini circa cognitionē Angelorū. Occurrendum est difficultati, quæ excitatur à Riccardo in 4. sent. referente Soto in 4. distin. 43. q. 2. art. 3. Existimat enim Riccardus Angelos diem Iudicij per spectū habere; Nam quamuis id non pertineat ad ipsorum gloriam essentialem, spectat tamen ad eorum gloriam accidentalem, quia res est dignissima scitu. Videtur fauere D. August. in Enchiridio cap. 36. vbi asserit Sanctos Angelos numerum prædestinatorum hominum cognoscere; ex quo dicto inferri potest, quod cum homines prædestinati sint ad reparandas Angelorū ruinas, quibus impletis, cessabit Mundus, si ipsis notus est numerus prædestinatorū, videtur etiam notum tempus postremi termini ipsius Mundi.

Illatio ex superiori sententia.

Confirmatio ex Dauide. Verum quod absoluto implemento Angelicæ ruinæ, terminare debeat Mundus, apparet ex verbis Dauid coniungentis Iudicium

dicium finale cum implemento ruinarum Angelicarum, dum ait; Iudicabit in nationibus, implebit ruinas, conquassabit capita in terra multorum.

Ex Ioane. Consonat D. Ioan. Apoc. 6. Et dictum est illius, vt requiescerent, adhuc tempus modicum donec compleantur conserui eorum.

Ex Gregorio. Confirmat D. Gregorius Homil. 24. his verbis; Superna illa Ciuitas, & Angelis, & hominibus constat, ad quam credimus tantis generis ascendisse, quantos illic contigit Angelos remansisse.

Solutio obiectionis, & expositio. Nihilominus ex dictis non colligitur, electos illos solum, euehendos esse ad Cælum, qui sedes, & loca ab Angelis derelicta implere possunt; Nam esto, quod Angeli cognoscant tertiam partem stellarum cum Dracone, idest tertiam partem Angelorum cum Lucifero cecidisse; Tamē quia nesciunt numerum prędestinatorum, quo completo, finire debet Mundus, fit, vt diem Iudicij, ac finem Mundi ignorent.

Exponitur D. Augustinus. Neque id intelligitur ex D. August. qui in Enchiridio cap. 61. asserit, Angelos non absolutè cognoscere numerum hominum electorum, sed solum quot homines assumantur ad reparandas Angelorum ruinas;

Verba D. Augustini. Et ipsius concepta verba hæc sunt. Ex ipsa hominum retentione ruinę illius Angelicę detrimenta reparantur. Subdit; Et vtique nouerūt S. Angeli docti à Deo, cuius veritatis æterna contēplatione beati sunt, quāti aūt, quāti numeri supplementū de genere humano integritas illius ciuitatis expectet.

Sententia Suarez de Beatis. Cęterum, vt animaduertit Suarez Tom. 2. in 3. p. q. 59. disp. 13. sect. 4. Homines nō solum assumuntur ad Beatitudinem, vt suppleant Angelorum ruinas, sed etiam per se, ac ex primaria Dei Intentione; Quare plures fortasse erunt homines prædestinati, quam ad reparandas Angelorū ruinas assumpti; Ideò quamuis numerus talium hominum electorum, & reparantium ruinas Angelicas cognitus esset Angelis, non tamen absolutè cognoscunt numerum omniū hominum prædestinatorū,

Numerus omnium prædestinatorum ignotus Angelis. maximè cum ille solum dependeat ex libera Dei Voluntate; Quamobrem, supposita deficientia Mundi, quando numerus prædestinatorum completus erit, hoc numero ab Angelis ignorato, ignoratur pariter definitum tempus finis Mundi. Neque testimonia Dauid, D. Ioan. & D. Gregorij demonstrant, quod dumtaxat impletis ruinis Angelicis, faciendum sit Iudicium, & renouandus sit Mundus;

Obiectio ex Scriptura solu tā. De Beatissima autem Virgine, cum idem Suarez, ex aliorum Theologorum sententia affirmet, ipsam videre scientia visionis, quæ videntur ab Anima Christi exceptis

Sententia Suarez de cognitione B. Virginis circa finē Mundi. quibusdam, inquit Suarez, quod fortasse à Beata Virgine cognoscitur illa dies; Et mirandum non est, Angelorum Reginæ concedi, quod Angelis denegatur.

Ratio ex Scriptura, cur Angelus non cognoscit finē Mundi. Angelos autem diem Iudicij, & finem Mundi nescire testatur ipsemet Christus, Matthæi cap. 24. dum ait; De Die illa nemo scit, neque Angeli Cęlorum, nisi Pater solus; In quibus verbis explicandis obseruat Tostatus, id quod etiam supra à nobis indicatum fuit, nimirum, quod post diem Iudicij, quando consummata erit felicitas cuiuslibet Beati, & nihil ei addetur, quilibet Beatus sciet pręterita, pręsentia, & futura;

Ante diē Iudicij auget cognitio Angelica. Ante diem verò Iudicij, cum possit semper augeri notitia, ac Beatitudo, nō est incōueniens, quod Beati, & Angeli aliqua ignorent, inter quæ est Dies Iudicij; Et animaduertendum est cum eodem Tostato, particulam illam, Angeli

Qui sint Angeli Cælorum. Cęlorum, addere emphasim, significat enim Angelos non solum ministrantes id ignorare, sed etiam Angelos assistentes, qui dicuntur Angeli Cęlorum, quia in Cęlis semper manent, & semper Deo deseruiunt. Confirmat id Cardinalis Bellarminus Tomo 1. lib. 4. cap. 5. de Anima

Ratio, cur Angeli nō cognoscunt finē Mundi. Christi §. Respondeo, vbi asserit, Angelos nescire vllo modo diem Iudicij, tum quia non est eis necessaria hæc cognitio, tum quia, inquit ipse, nunquam legimus, Angelos omnia nosse. Adhæret Suarez Tomo 1. disp. 25. art. 2. §. solum potest obijci. Et hæc de cognitione Angelorum circa Mundi finē, & Tempus dicta sint satis.

An Dæmones cognoscunt finem Mundi. Quoniam verò hucusque actum est de cognitione finis Mundi, & eius temporis, præsertim in ordine ad cognitionem Angelorum Beatorum, proximum est, vt breuiter perquiramus; An Angeli praui, idest Dæmones notitiam habeant de occasu Mundi, nec non de ipsius tempore.

Cognitio naturalis Dæmonis. Pro cuius rei explicatione afferenda est doctrina D. Thomæ 1. p. q. 64. art. 1. in resp. ad 5. docentis Dęmones multipliciter aliquam cognoscere veritatem. Primo modo subtilitate suæ Naturæ, siue intelle-

tellectus, quoniam cognitio naturalis in Dæmonibus per peccatum, neque ablata, neque diminuta est, iuxta illud D. Dionysij, Dona naturalia in eis integra remanserunt; Præterea habere potest ab ipsis cognitio, quæ versatur circa secreta Diuina Dæmonibus reuelata; Atque hæc notitia, non est quidem ab eis totaliter ablata, sed quidem diminuta; Nam de secretis diuinis, tantum Dęmonibus reuelatur, quantū conuenit, vel mediantibus beatis Angelis, vel per effectus temporales diuinæ virtutis Illa verò cognitio per gratiam, quæ dicitur affectiua, producens Amorem Dei, & quæ propriè appellatur Donum Sapientiæ, non participatur à Dæmonibus, qui vti charitate, ita hac cognitione orbati sūt. Alia quidem cognitio competit ipsis per experientiam longissimi temporis, non quia à sensu cognitionem rerum accipiāt, vt homines, sed quia in rebus singularibus ab ipsis spectatis toties cōpleta est, & vt sic dixerim, exercitata, similitudo illius speciei intelligibilis, quam sibi naturaliter inditam habent. Hinc D. August. lib. de Diuinatione Dęmonū testatam reliquit hanc veritatem his verbis; Accessit etiam Dęmonibus per tam longum tempus, quo eorum vita protēditur rerum longe maior experientia, quàm potest hominibus propter breuitatem vitæ prouenire.

Cognitio Dæmonis per reuelationem.

Cognitio Dæmonis per gratiā.

Cognitio Dæmonis per experientiam.

Per primam cognitionem Dæmonibus conuenientem, & à subtilitate ipsorum intellectus profectam ipsos cognoscere finem Mundi, patet, quia proprio Intellectus acumine cognoscunt rerum defectibilitatem, & vt dictum est supra de Angelis beatis, cognoscunt etiam Deum esse Causam potentem Mundum destruere, quemadmodum ipsum cognoscunt Creatorem Vniuersi. Insuper conuenit asserere Dæmonibus reuelatum fuisse Mundi finem, non vt acrius pro temporis augustijs vexarent homines, sed vt sciant, se randem omnes in Tartareos carceres perpetuo esse conijciendos, ibique maiori supplicio post Mundi finem plectendos, iuxta sententiā à Iudice supremo in damnatos atque in Dæmones inferendam. Accedit, quod Dæmonibus nota sunt sacra testimonia secundum Christi aduentum, & Mundi occasum annunciantia, quemadmodum notæ sunt prædicationes quæ toties hac de re habitæ sunt, & habentur, Quinimo notandum est cum Angelico Doctore 1. part. q. 46. a. 1. ad 4. Dæmones cognouisse in via, vt cognouerunt cæteri Angeli, ex supradictis, mysterium Incarnationis; Quod clarissime repetit idem Doctor in 2. sent. distinctione 11. q. 1. art. 4. Obseruandum quidem est, quod talis cognitio de filio Dei carnem assumpturo Dæmonibus tradita, non satis fuit, vt ipso adueniente, Dæmones eum certo cognoscere possent, quia multa sanè cognouerunt de Christo, & Messia, sed ante ipsius mortem non eam perfectam notitiam habuerunt de illo, vt verè ipsum cognoscerent Deum, & hominem. Propterea magna Dæmones inuadebat suspicio, & formido, vel quia ipsi pro malitia propria, coram tot miraculis, quæ Christum Dei Filium prædicabant, se ipsos excæcarent, vel quia Deus illis cōcursum generalem denegaret, nec multa clarè perspiciētes mysterium Redēptionis impedirent, iuxta illud D. August. 9. de Ciuit. Dei cap. 21. Christus tantum innotuit Dæmonibus, quantum voluit. Quamobrem dicendum est, quod sicut Dæmonibus primus Verbi incarnati Aduentus notus fuit, ita etiam compertus sit secundus; Sed quemadmodum ille non quoad omnes circumstantias notus fuit; Haud secus iste, quoad multas conditiones ignotus est, & præsertim quoad temporis circumstantiam.

Dæmones cognosc. finē Mūdi cognitione naturali.

Dæmones cognoscunt finē Mūdi per reuelationem.

Nota sunt Dæmonibus sacra testimonia.

Dæmones cognouerūt in via mysteriū Incarnationis.

Qualis fuerit cognitio Dæmonis circa Incarnationem.

Dæmon cognoscit finē Mundi, sed non tempus.

Objiciet aliquis; Tempus finis Mundi Dæmonibus per prophetiam innotescere potest; Etenim cum Dæmones multa prędicant, quæ futura sunt, videtur ipsis concessa Prophetia. Hæc difficultas excitata est à D. August. lib. supra allegato de Dęmonum Diuinat. vbi ita loquitur; Hac, & huiusmodi facultate multa Dæmones futura pronunciant, cum tamen ab eis longe sit altitudo illius prophetiæ, quā Deus per Angelos Sanctos suos, & Prophetas operatur. Nam si quid de illa Dei dispositione prænunciant, audiunt, vt prænuncient, & cum ea prædicant, quæ inde audiunt, non fallunt, neque falluntur, veracissima enim sunt Angelica, & Prophetica Oracula. Sic non indignanter accipiatur, quod aliqua etiam talia Dæmones audiant, & prædicant, quasi aliquid indignum sit, vt quod ideò dicitur, vt hominibus innotescat, hoc non solum boni, verum etiam mali non taceant; Cum in ipsis

Obiectio soluitur.

Nō est indignū Dæmones prædicere aliquod futurum.

ipsis hominibus, etiam vitæ bonæ ptæcepta videamus pariter à iustis, & peruersis cantari, nec obesse aliquid, imò etiam prodesse ad maiorem notitiam, famamq; veritatis, cum de illa etiam hi, quicquid nouerunt, dicunt, qui ei peruersis moribus contradicunt. In cæteris autem prædicationibus suis Dæmones plerumque, & falluntur, & fallunt. Falluntur quidem, quia cum suas dispositiones pronunciant, ex improuiso desuper aliquid iubetur, quod eorum consilia cuncta perturbet. Hucusque August. Proprerea asserendum est prophetiam, quæ propriè, & simpliciter fit per solam Dei reuelationem, non propriè afficere Dæmones; sed cum aliqua reuelatio fiat per Dæmones, potest secundũ quid, & impropriè illa reuelatio appellari prophetia; Quare illi, quibus aliqua per Dæmones contingit reuelatio, non appellantur simpliciter Prophetæ, sed pseudoprophetæ, seu falsi Prophetæ, & Idolorum Prophetæ. Videatur D. Thomas 2.2.q.72. a.5.& 6. Quamobrem cum Prophetię non possit subesse falsum, quia prophetia est cognitio intellectui Prophetæ impressa ex reuelatione Diuina, & cum scientia diuina neque falli, neque fallere possit, planè sequitur, prophetiam non posse decipere. Itaque licet Dęmones aliquando vera dicant, vt sua mendacia, inquit Chrysostomus, rara veritate commendent, tamen quia veris falsa intermiscent, quia fallunt, ait August. studio fallendi, & inuida voluntate, qua hominum errore lætantur, nõ possunt verè esse Prophetę, neque tempus finis Mundi cum veritate enunciare; Et quamuis Dominus Deus possit tale tempus alicui Prophetę reuelare, id tamen nõ faceret Dęmonibus propter multas rationes, quas referre supersedeo, sed ob hanc potissimum, ne maiori sęuitia, prę temporis angustijs, homines, & rerum vniuersitatem turbarent. Inconcussum igitur, & firmum sit, Dęmonibus tempus excidij Mundani ignotum prorsus esse, & ab ipsis nullatenus firmiter, & certò posse prenunciari.

Quando Dæmones fallunt, & falluntur in prædicendo futura.

Prophetia non propriè conuenit Dæmonib.

Quid sit Prophetia.

Dæmones licet quandoq; vera pronunciẽt non sunt veri Prophetæ.

Cur Deus non reuelet Dæmonibus finẽ Mundi.

CAPVT TERTIVM.

Affertur error hæreticorum Christi ignorantiam blasphemantium. Ostenditur Christum scientia infusa occasum quidem Mundi cognoscere, sed non tempus, vtrumque autem, & Occasum, & Tempus cognoscere Scientia visionis, de qua multa in ordine ad Scientiam Christi indicantur. Variæ expositiones afferuntur de verbis Christi, Matthæi cap. 24. & explicatur quomodo Pater solus dicatur nosse diem Iudicij.

Contextus verum tractãdarum hoc capite.

FVerunt Hæretici, qui Christo tantam ignorantiam tribuerunt, vt putauerint ipsum didicisse alphabetũ sub ferula Præceptoris; Qui Hæretici dicti sunt gnostici, idest scientes, per antiphrasim ita appellati, eo quia essent ignari; De quibus narrat Irenæus lib 1. aduersus hęreses cap. 17. cuius hęresis habetur etiam mentio à Cyrillo Alexandrino lib. aduersus Antropomorphitas cap. 14. Qui Hęretici non distinguuntur ab Agnoitis, seu Ignoitis, qui ignorantes dicuntur à verbo Græco Ἀγνοῶ, quod ignorare significat, siue à verbo latino ignoro. De quibus Agnoitis fusè scribit Nicephorus lib. 18. Historiæ cap. 50. testaturque dictos fuisse Themistianos à quodã Themistio, à quo originem traxere, & de quo Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus mentionem habet in Epist. ad Sergium, quæ est in Concilio 5. Constantinopolitano. Act. 11. vbi inter alios hæreticos anathematizat Themistium de eo sic loquentem; Themistius, qui fuit ignorantiæ Pater, qui Christum verum Deum nostrum diem Iudicij nescire delirabat. Quod tamen intelligebant hi hæretici de Christo, non secundum propriam naturam, & Diuinitatem Verbi, sed secundum humanitatem ei vnitam; Quibus hæreticis accesserunt Erasmus, Melanchton, & Lutherus, qui non solum impiè opinãtur Christum ignorasse diem Iudicij, sed etiam in pueritia communem cum alijs pueris ignorantiam habuisse,

Hæretici circa sciẽtiam Christi.

Hæretici Agnoitæ vnde dicũtur.

Themistij hæresis.

Erasmi Melãchton, Lutheri Hæresis.

buisse, & vt corpore, ita scientia, & Animi dotibus creuisse. Quorum impia errata refert, & refellit Canisius lib. 3. de Virgine Deipara cap. 22.

Locus difficilis Sacrę Script.

Difficile hac in re esse fateor Testimonium Seruatoris nostri, Matthæi cap. 24. & Marci cap. 13. De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli Cęlorum, nisi solus Pater; Adeò vt aliquis ex Sanctis Patribus ignorantiam Christo de illo die, secũdum ipsius humanitatem adscripserint, inter quos fuisse Athanasium, & Cyrillum contendit ostendere Vasquez Tomo 1. in 3. p. disp. 51. c. 1. & Toletus in caput 2. Lucæ annot. 86. quamuis Suarez in bonũ sensum trahat hac de re sententiam Cyrilli, & Athanasij, vepotè conformem Nazianzeno, Basilio, Damasceno, & alijs;

Quid senserint Sãcti Patres de scientia humana Christi circa finem Mundi.

Sententia maioris partis Sãctorum Patrum.

Proptereà contra sentiunt ferè omnes Patres asserentes Christũ perfectam habuisse de die Iudicij notitiam. Hieronymus in illum locum Matthęi cap. 24. Chrysostomus homilia 68. in eadem verba Matthæi, Ambrosius lib. 5. de Fide cap. 7. Nazianzenus Orat. 36. Basilius lib. 4. contra Eunomium; Bernardus homilia 4 super Euãgelium Missus est, Augnst. lib. 1. de Trinitate cap. 12. Gregorius lib. 7. epistolarũ epist. 42. affirmantes vnanimiter nullam Christo, neque secundum humanitatem, attribuendam esse ignorantiam, & diuerso modo explicantes verba D Matthæi, & Marci; Quorum verborum explicationẽ infra accuratè afferemus, & expendemus. Primum autem necesse est, vt nonnullis conclusionibus firmetur hæc veritas, quod Christus de die Iudicij habuerit cognitionem perfectam.

Christus secundum humanitatem nullã habuit ignorantiã.

Christus nõ cognoscit, vt homo, finẽ Mundi per scientiam increatam.

Sit igitur prima Conclusio: Christus non cognoscit diem Iudicij, & finem Mũdi, vt Homo per scientiam increatam; Nã hæc, quæ est communis tribus Personis, non potest communicari Animæ Christi, & Ratio est, quia scientia diuina est actus vitalis suppositi intelligentis; At scientia increata non potest esse actus vitalis Animæ Christi, nec actio vitaliter ab ipsa procedens; Ideò per scientiam increatam Chistus non cognouit diem, & horam finis Mundi; Et colligitur ex D. Thoma 3. p. q. 9. art. 1. ad 1. vbi docet Animam Christi nihil potuisse formaliter intelligere per scientiam increatam.

Probatio.

Confirmatio ex S. Thoma.

Secunda Conclusio. Christus cognoscit diem, & horam finis Mundi scientia visionis, qua clarius, & perfectius videt diuinam Essentiam, quam vllus hominũ, & Angelorum; Imò perfectius videt, non solum quam singuli Beati, sed quam omnes simul sumpti, ex D. Thoma 3. p. q. 10. art. 4. Ratio verò potissima, ob quam Christus diem Iudicij hac scientia cognoscit, est quia, cum scientia visionis amplectatur omnes temporum differentias, itaut feratur hęc scientia in præterita, pręsentia, & futura, conficitur sanè inter futura contentum diem, & horam finis Mundi à Christo tali scientia cognosci.

Christus sciẽtia visionis cognoscit horam finis Mundi.

Probatio.

Ad confirmandam hanc Thesim adduci possunt ea, quę à Theologis docentur; nimirum Christum scire quodãmodo infinita, quia scit omnia, quæ sunt in potentia Creaturæ, quæ sunt infinita, non autem scit omnia, quæ sunt in potentia Dei, & quæ spectant ad scientiam simplicis intelligentiæ, ex D. Thoma 3. p. q. 10. art. 2. ad 2. Et quamuis Christus sciat ea omnia, quę sunt in potentia Creaturæ, quæ sunt infinita, tamen Anima eius non comprehendit infinitum, quia infinita, quæ scit, non sunt talia, secundum rationem essentiæ, itaut eorum essentia sit infinita; Quemadmodum si essent infiniti homines, non tamen qui illos sciret, cognosceret infinitum simpliciter, sed secundum quid, quia essentia illorum hominum esset finita; Ita quamuis Christus cognoscat infinita in numero, non cognoscit tamen, & comprehendit Essentiam infinitam, quæ sola in Deo est. Propterea Anima Christi Deũ non comprehendit, & tale infinitum à Christo cognitum dicitur infinitum, non omnibus modis, sed in aliquo genere. Quare non repugnat ab ipso cognosci; Et rectè asseuerandum est, Christum quadam scientia simplicis intelligentię cognoscere ea, quæ sunt in potentia Creaturæ. Verum quia finis Mundi, & ipsius tempus nullatenus dependent à potestate creaturæ, sed solius Dei, consequitur Christum, hac scientia imperfecta, vt sic dixerim simplicis intelligentiæ non attingere Diem termini Mundi.

Confirmatio conclusionis.

Quæ sit scientia simplicis intelligentia.

Infinitum aliud simpliciter, aliud secũdum quid.

Christus sciẽtia simplicis intelligentia nõ cognoscit horã finis Mundi.

Ratio verò potissima à posteriori deducta, propter quam Christus sciẽtia visionis hoc tempus compertum habere debeat, hæc est. Beati, vt supra diximus, vident ea, quæ spectant ad ipsorum statum. Igitur

Ratio, qua Christus cognoscat sciẽtia visionis horam finis Mundi, adducitur.

cum Christus sit caput Angelorum, & hominum, cum futurus sit omnium Iudex, eumomnia subiecta sint pedibus eius, debet omnia nosse, quæ ad ipsius statum pertinent, inter quæ cum sit hora Iudicij, quę est finis Mundi, hæc quoque comperta sit ipsi necesse est, non solum quantum ad Diuinam Naturam, sed quantum ad humanam. Nam vt argumentatur Chrysostomus; Si Christo homini datum est, vt sciat qualiter oporteat iudicare, quod est maius, multò magis datum est ei scire, quod est minus, scilicet diem Iudicij. Tandē asserendum est, quod cum per Verbū diuinum facta sint omnia, & sine ipso factum sit nihil, etiam tempora per ipsum sunt facta; Inconueniens autem est, Authorem temporum nescire tempus, & hotam Iudicij. Si verò Christus perfectissimè nouit Patrem, vt ipse toties clarissimè testatus est, potiori iure diem nouit Iudicij. Et si Pater reuelauit Filio mortem, qua multis iniurijs erat afficiendus; Certè denegare non debebat notitiam Filio diei Iudicij, quo erat ipsemet Filius glorificandus.

Alia ratio affertur eiusdē visionis circa horā finis Mundi.

Christus scientia infusa nō cognoscit diē determinatū finis Mundi.

Tertia Conclusio. Christus per scientiam infusam non cognoscit diem Iudicij definitè; Cognoscit quidem futurum esse finem Mundi, ac diem Iudicij, sed non definitum tempus, quo eueniet. Nam Christus scientia infusa cognoscit obiecta naturalia, quæ virtute intellectus agentis per scientias humanas cognosci possunt. Cognoscit, quæ pertinent ad naturalem scientiam Angelorum. Cognoscit occultas Cordium cogitationes; Omnia Mysteria supernaturalia creata, & etiam futura contingentia, quę comperta sunt Angelis, & quæ Prophetis nota fuere. Quare dicendum est, Christum scientia infusa cognoscere hoc futurum contingens, scilicet fore Mundi finem, ac diem Iudicij, sed definitè tempus finis Mundi neutiquā cognoscere; Etenim per species infusas Animæ Christi non repræsentatur tempus finis Mundi, quia tales species infusæ, vt euenit in Angelis, reprę́sentant tantum res existentes, quoniā repræsentant per assimilationem; Ideò res existentes assimilantur illis speciebus, & per ipsas repræsentantur; Res verò non existentes non possunt assimilari. Quare cum finis Mundi nondum habeat existentiam, non potest

Probatio 1.

Probatio 2.

Christus per species infusas talem cognoscere finem sub sua existentia, idest sub temporis differentia, in qua eueniet. Præterea huiusmodi species non repræsentant, nisi ea, quæ sunt necessariò coniuncta cum suo termino, vt species Socratis repræsentat Socratem risibilem, quia risibilitas est necessariò coniuncta cum Socrate, non autem repræsentat Socratem sedentem, quia sessio potest inesse, & non inesse Socrati. Ita cum occasus Mundi tali tempore euenturus, sit accidens Mundo contingens, & necessariò cum ipso non coniunctus, sed ex sola Dei voluntate, & decreto dependens, species infusæ Mundi Vniuersitatem intellectui Christi repræsentantes, non repræsentant tale accidens, sub tali temporis conditione. Ideò dicendum est, Deum vtique infudisse Animæ Christi speciem, quæ finem, & exitium Mundi repræsentabat, sed non cum ea temporis differentia, qua Mundus finire debet, tum quia species ex se non repræsentant tēpus maximè futurum; tum etiā, quia superuacaneum erat infundere speciem de ea temporis conditione, quæ ipsi Christo per scientiā visionis innotescebat.

Probatio 3.

Quid sit necessariū, quid contingens.

Christus nō habet speciem infusam determinatā temporis circa finē Mundi.

Neq; obstat, quod cum Christus fuerit Propheta, & Prophetis videatur notum fuisse hoc tempus, Christum etiam per prophetiam illud sciuisse; Propterea que Saluatorem nostrum in hac re cognoscenda, alia scientia fuisse vsum, præter scientiam visionis. Etenim supposito, & non concesso, hoc tempus reuelatum fuisse Prophetis, de quo in disputatione Scripturali disseruimus, dico, quod Prophetia, quæ fuit in Christo, non fuit per reuelationem, sed per cognitionem claram beatificam Animæ Christi, fuit enim Propheta, quia fuit Comprehensor, & Viator; Ideò fuit Propheta excellentiori modo, quam cæteri Prophetæ; Alij siquidem cognouerunt futura per reuelationem, Christus autem per clarā in Verbo visionem, quod est perinde ac dicere per scientiā visionis, vt explicat D. Thomas 3. p. q. 7. art. 9. Ideircò non sequitur, Christum alia notitia distincta à scientia visionis diem Iudicij cognoscere.

Obiectionis solutio.

Quæ Prophetia fuerit in Christo.

D. Thomas in quæstionibus disputatis quæst. 5. de conseru. rer. in esse à Deo art. 6. affert pulcherrimam rationem, propter quam congruum est, Deum solum reuelare

lare

lare diem Iudicij homini Christo, quia videlicet finis Mundi non erit nisi completo numero electorum, cuius completio est quasi quædam executio totius diuinæ prædestinationis. Vnde non competit reuelationem fieri de fine Mundi, nisi ei, cui fit reuelatio de tota prædestinatione Diuina, scilicet homini Christo, per quem tota diuina prædestinatio humani generis quodammodo adimpletur, vnde dicitur Io. 5. Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.

Sententia S. Thomæ de fine Mundi.

Præterea ibid. D. Thom. affert pulcherrimum testimonium Augustini Epist. 80. ad Esychium. Ille, qui dicit se ignorasse, quando Dominus sit venturus, vtrū ad breue tempus, vel ad magnum, Euangelicæ sententiæ concordat. Inter duos autem, qui scire se dicunt, periculosus errat, qui dicit in proximo Christum venturum, vel finem Mundi instare; quia hæc potest esse occasio, vt omninò desperaretur esse futurum, si tunc non erit, quando futurum esse prædicetur.

Quomodo discurrendum de fine Mundi sine errore ex D. Augustino.

Quarta conclusio. Christus non cognoscit Diem Iudicij scientia experimentali, vel acquisita, quia talis scientia comparata fuit à Christo ab obiectis sensibilibus per species sensibiles, & intelligibiles; De qua scientia intelliguntur illa Verba Lucæ 2. Iesus proficiebat sapientia, & ætate. Propterea dicitur scientia experimentalis, quia experimento comprobabat multa ex ijs, quæ per scientiam tum beatam, tum infusam cognouerat. Quæ scientia experimentalis cum aliquando negata fuerit Christo à D. Thoma in 3. sent distinctione 14. quæst. 5. tamen 3. parte quæst. 9. art. 4. & quæst. 11. art. 2. retractans suam sententiam, admittit in Christo talem scientiam; Qua non cognoscit finem Mundi, cum nondum aduenerit, sed cum aduenerit, tunc dicetur hac scientia, & finem, & tempus finis cognouisse, quia opere experietur, quod iam per supradictas scientias cognoscit. Ex quibus patet falsitas, & impietas hæreticorum, quos supra nominauimus, Christi sapientiam probris proscindentium, quoniam in ipsomet Christo non solum adest perfecta notitia temporis definiti occasus Mundi, sed etiam in ipso, iuxta D. Pauli pronunciatum ad Colos. 2. sunt omnes Thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei absconditi.

Christus nō cognoscit diem Iudicij scientia acquisita.

Quæ sit scientia acquisita.

Thomas retractans suam sententiam.

Error conuictus hæreticorum.

Nunc autem explicanda sunt verba supra allata D. Matthæi cap. 24. De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli Cælorum, nisi solus Pater. Multæ quidem sunt interpretationes à sacris Doctoribus adhibitæ circa præfata Matthæi Verba.

Explicatur locus difficilis S. Script.

Aliqui dixerunt sensum ipsorum esse, quod Filius sumatur pro Filio adoptiuo, Quod non est admittendum; Tum quia ipse Christus non est Filius adoptiuus, sed naturalis, & vnigenitus Dei Patris, & cum hoc modo se excuset, non potest in illum talis cadere interpretatio; Tum quia etiā Filij adoptiui includuntur sub eo verbo, Nemo scit.

Expositio nonnullorum, & cōfusio.

Eadem responsione repellitur interpretatio affirmantium, quod hic Filius ponatur pro membris Ecclesiæ, cuius Pater cum sit Christus si Filij Ecclesiæ nesciunt, idest Fideles, videtur & ipse Christus nescire; Etenim cum Fideles contineantur sub illa particula, Nemo scit, superuacaneum erat addere, Neque Filius, cum includeretur in illa particula; Nemo scit.

Expositio aliorū, & confutatio.

Alij dixerunt, quod Christus scit diem, & horam Iudicij, quantum ad Diuinitatem, non quantum ad humanitatem; Sed hoc est omninò improbandum, tamquam falsum, & hæreticum, quia quemadmodum id compertum habet, quantum ad Diuinitatem naturaliter, quia scientia est eius essentia, & natura, ita quantum ad humanitatem scit, ex communicatione, qua per vnionem Animæ Christi cum Verbo, communicata est eius humanitati scientia.

Tertia aliorū expositio reijcitur.

Neque dicendum est, quod Christus, quantum ad Deitatem id sciat, quia accipit scientiam à Patre, à quo habet essentiam, iuxta verba Christi Ioan. 7. Doctrina mea non est mea, sed eius, qui misit me. Nam vtique verum est, quod omnia scit Filius à Patre, sed hæc interpretatio non congruit Christi dicto; Nam omnia, quæ scit, eodem modo dicere poterat, se nescire, eo quia accipit omnem scientiam à Patre, sed cum de Die Iudicij hoc specialiter affirmet, existimandum est in alio sensu Christum negasse, se Diem Iudicij ignorare.

Obiectionis solutio.

Alij dixerunt sensum fuisse, Christum nescire practicè Diem illum, scientia nimirū experimentali, de qua supra dictum est,

Quarta expositio reijcitur.

est, quia scilicet nondum talem diem, & horam expertus erat, sed iuxta hanc scientiam, neque Pater sciebat, præterquàquod Apostoli non cupiebant scire practicè, sed theoricè; Propterea responsio non quadrat interrogationi Apostolorum; Ideò hanc interpretationem reprehendit Cardinalis Bellarminus Tomo primo lib.4.cap.5. de Christi Anima.

Verus sensus expositio Sacra Scriptura. Sensus tandem illorum verborum, Neque Filius hominis scit, est, quod nescit Filius ad dicendum, vel reuelandum alijs; Aliquando enim dicitur Deus cognoscere aliquid, cum facit, vt cognoscatur. Hinc Genes. 22. Abrahæ dixit. Nunc cognoui, quod timeas Deum, idest cognoscere te feci; Ita è contra dixit, se nescire, quia facit, vt aliqui nesciant. Et quamuis omnes supradicti sensus, & interpretationes grauissimos Authores inuenerint fautores, vt videre est apud Gregorium de Valentia Tomo 4. quæst. 10. disp. 1. Puncto 2. & apud Suarez Tomo 1. in 3. partem Disp. 25. Sect. 1. Attamen hic vltimus verborū sensus est multorum Patrum, & ferè ab omnibus receptus, & præcipuè à D. Thoma 3. p. quæst. 10. art. 2. in Resp. ad primum, & approbatur à Cardinale Bellarmino loco prænotato; quo afferr testimonium Ioan. 15. vbi Christus air Discipulis; Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audiui à Patre meo, nota feci vobis; Et tamen non omnia simpliciter eis indicauerat. Nam cap. 16. ait, Adhuc habeo multa vobis dicere, sed non potestis portare modò; Igitur Christus dixerat Apostolis, quæcumque audiuerat à Patre ordinata ad dicendum illis, & reuelandum, & multa tacuit, quę non erant ordinata ad reuelandum ipsis Apostolis. Pari ratione dixit, se nescire diem, & horam Iudicij, quia id sciebat quidem, sed non ad reuelandum Apostolis.

Omnes quattuor expositiones habent suos Auctores grauissimos, quinta expositio probabilior.

Probatio quinta expositionis.

Tostati expositio. Et sanè hic fuit sensus Christi, vt etiam animaduertit Tostatus p. 6. in Matthæum in cap. 24. Matthæi Quæst. 209. S. Aliter ergo dicendum; Scilicet, quod Christus verè hoc sciebat, sicut cętera futura, dixit tamen, se nescire, quia ad reuelandum nō sciebat. Hinc post Resurrectionem interrogatus ab Apostolis de hac die, non dixit, se nescire, sed retulit omnem scientiam in Patrem illis verbis. Non est vestrum nosse tempora, & momenta, quæ Pater posuit in sua potestate; Quorum sensus est, Dies Iudicij non me latet, sed quidem expedit vos, ipsum ignorare, vt semper incerti de aduentu Iudicij sic quotidie viuatis, quasi illa die iudicandi sitis. Verum quidem est, quod Apostoli audientes hæc verba ab Ore Christi, non intellexerunt ipsa eo modo, quo nos interpretati sumus, nempè, quod Christus nesciret ad reuelandum, quia si animo ita concepissent, numquam cessassent rogare Christum, vt tandem illum diem ipsis reuelaret, & fortasse indignati essent, & ægrè tulissent Christi silentium, sed putarunt Christum simpliciter nescire diem Iudicij, & cum multa ab eodem Christo prolata non intelligerēt, neque hoc ab eo pronunciatum rectè perceperunt. Hinc Christus Ioan. 2. dixit; Soluite templum hoc, & in triduo suscitabo illud, quod dicebat de templo Corporis sui; Tamen Discipuli hoc non intellexerunt, nisi post Resurrectionem, & multa alia ignorarunt, ante Aduentum Spiritus Sancti, & quamuis errarent ignorantias, non tamen peccabant, quia nondum satis edocti erant à Christo circa ea, neque planè erat ipsis declarata veritas fidei, quam perfectissimè cognouerunt per Aduentum Spiritus Sancti.

Expositio verborum Christi.

Apostoli non intelligentes verba Christi.

Apostoli errantes ignorantia non peccabant.

Consonat huic expositioni cōsideratio Theophilati affirmantis, Christum dixisse, se nescire diem, & horam Iudicij, ad effugendam importunam Discipulorum interrogationem. Nam cum Christus iam enarrasset signa Aduentum suum præcedentia, remanebat Diem Iudicij definire, de quo cognouit, ipsum interrogaturos esse Discipulos, sed ad impediendam eorum interrogationem dixit, se nescire.

Expositio Theophilati circa eandē Sacrā Scripturam.

His ita explicatis, satis, ni fallor, remanet declarata particula, Neque Filius, hūc autem remanet explicare illam particulam, Nisi solus Pater, qua Christus affirmat, solum Patrem nosse diem Iudicij, non quia excluderet Filium, & Spiritum Sanctum, quia in Diuinis ea, quæ sunt essentialia, cōmunia sunt tribus Personis; Ideò cum scientia inter essentialia sit, æqualiter tribus Personis conueniat; Propterea particula ea exclusiua, Solus, distinguit solum à creatura, & non à Personis diuinis, ita ut sensus sit, diem Iudicij ignorare creaturas, non autem Deum. Itaque ibi nomen Patris non supponit personaliter, sed essentialiter,

Expositio vocis exclusiuæ, Solus, in Sacra Scriptura.

Sensus veri Patris.

tialiter, & totam ſignificat eſſentiam diuinam; Ita enim accipit Chriſtus Matthæi 6. cum dicit; Pater noſter, qui es in Cælis, vbi nomine Patris, non intelligitur ſolus Pater perſonaliter, ſed tota Eſſentia Diuina in tribus Perſonis ſuppoſita, quoniam non ad ſolum Patrem, ſed ad tres Perſonas Diuinas, quę ſunt vnus Deus], funditur oratio.

Toſtati expoſitio reyciur. Hic animaduertendum eſt, ſalſum illud eſſe, quod tradidit Toſtatus in capit. 24. Matthæi quæſt. 211. ſcilicet, quod per ea verba, Niſi Pater ſolus, excludatur Spiritus Sanctus, quia verè ex rigore ſermonis Suppoſitum Patris non dicit Suppoſitum Spiritus Sancti; Tum quia, vt aſſerit idem Toſtatus, hæc fuit Chriſti intentio, excludere nimirum Spiritum Sanctum; Etenim quamuis Suppoſitum Patris ſit diſtinctum à Perſona Filij realiter, tamen, vt diximus, ibi nomine Patris Chriſtus accepit totam Deitatem; Propterea à Toſtato perperam dicitur, Chriſti intentionem fuiſſe excludere ab hac ſcientia Spiritum Sanctum, cui conuenit eadem ſcientia, quæ Patri, & Filio attribuitur. *Alia expoſitio Toſtati reyciur.* Ratio autem, propter quam non ſubiunxit Chriſtus Dominus, Niſi ſolus Pater, & Spiritus Sanctus, Multiplex eſt. *Cur Chriſtus loquens de ſcientia diei Iudicij non dixit, niſi ſolus Pater, & Spiritus Sanctus. Primò. Secundò. Tertiò.* Prima, quia viſus fuiſſet tacitè excludere ab hac ſcientia ſecundam Perſonam, nimirum Verbum, & ipſum facere minorem dignitate Spiritus Sancti. Secunda, cum Diſcipuli eo tempore, quo ad ipſos protulit Chriſtus hæc verba; non haberent niſi imperfectam notitiam de Spiritu Sancto, erat inconueniens aliquid ipſis innuere, quod omninò non percepiſſent. Cum verò Chriſtus multa Diſcipulis prædicaſſet de præſtantia Patris, ſcilicet, quod Pater maior ipſo erat, Ioã. 14. Quod Doctrina ſua non erat ſua, ſed Patris, qui eum miſerat, Ioan. 5. Quod ipſe non quærebat gloriam ſuam, ſed Patris, Ioan. 8. Quod id, quod ei Pater dederat, maius omnibus erat, Ioan. 10. Quod Patrem orauit, ſuſcitando Lazarum, Ioan. 11. æquiſſimum erat animis Diſcipulorũ ingerere hanc opinionem, quod Dies, & hora Iudicij ſciretur à ſolo Patre, à quo Filius profitebatur accipere ſcientiam, & Doctrinam; *Quartò.* Verum incõueniens fuiſſet, ſi Chriſtus dixiſſet, quod Spiritus Sanctus etiam ſciret diem, & horam Iudicij, quia, vt dixi, indicaſſet ſe minorem Sp. Sanc. Atq; ita interpretati eſſent Diſcipuli, quod profectò videbatur contrariũ iis, quę pronũciata ſunt à Chriſto de Sp S. Ioã. 16. ſcilicet, Cũ venerit Spiritus veritatis, docebit vos omnẽ veritatẽ, non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quęcũq; audiet, loquetur. Omnia quæcũq; Pater habet mea ſunt; Propterea dixi vobis, quia de meo accipiet, & annunciabit vobis. Ex quibus verbis colligebant Diſcipuli Filiũ non eſſe minorem Spiritu Sancto.

Contrarium tamen putaſſent, ſi exclusa ſcientia à Filio de die, & hora Iudicij tributa fuiſſet Patri, & Spiritui Sancto; *Obiectionis tacitæ ſolutio.* Et quamquam illa, quæ proferebat Chriſtus ſupra relata intelligenda eſſent ſecundum Diuinitatem de Filio, à quo, & à Patre ſimul Spiritus Sanctus procedit, non autem ſecundum humanitatem; Attamen Diſcipuli, qui ante Spiritus Sancti in ipſos Aduentum rudes erant, & tantam myſterij dignitatem non percipiebant, non erant tali locutione, difficultatibus, & æquiuocationibus detinendi. Quare iuremerito Chriſtus non dixit, Spiritum Sanctum id ſcire; *Cur Chriſtus non dixit, Spiritus Sanctus ſolus cognoſcit finẽ Mundi.* & multò minus debuit dicere, quod ſolus Spiritus Sanctus ſciret, quia, vt notat Toſtatus loco citato quæſt. 115. Spiritus Sanctus in opinione Diſcipulorũ fuiſſet maior Patre, & quod ipſe ſciret, quod Pater neſciebat, quod omninò eſt abſurdum, & impium; *Primò.* Nam cum Pater à nullo ſit, & Filius, & Spiritus Sanctus ſint à Patre, facilius Diſcipuli exiſtimaſſent, ipſum Filium minorem eſſe Spiritu Sancto, quam Spiritum Sanctum eſſe minorem Patre. Addo, quod ſi de Patre Chriſtus mẽtionem non feciſſet, indicaſſet, hoc arcanũ prorſus ſciri non poſſe, *Secundò.* quia ab ipſo Chriſto ſæpè omnis ſapientia Patri attributa eſt, & re vera ſi Pater id neſciret à ſe, numquam poſſet ſcire, quia non accipit aliquid à Filio, neque à Spiritu Sancto, ſed potius Filius, & Spiritus Sanctus accipiunt à Patre; Perfectiones enim in Diuinis communicantur Perſonis per hoc, quod vna Perſona eſt ab Altera. Pater verò non eſt ab alio, ſed eſt Fons, & Principiũ totius Deitatis; Ideò innaſcibilitas, & prioritas originis ſunt ipſius Patris peculiares notiones. Propterea rectè dixit Chriſtus, ſolum Patrem id ſcire.

Pauca hic deſiderantur, quia Auctor morte præuentus, non potuit, quæ in mente erant, calamo perficere.

INDEX

RERVM, ET VERBORVM

In hoc Opere contentorum,

ORDINE ALPHABETICO DIGESTVS.

Numerus Paginam; Littera, a, Columnam primam; Littera, b, Columnam secundam indicant.

B

C

D.

Ele-

tis

Kalen-

K

L

per

M.

N.

O

P.

Phan-

Plu-

Q.

R.

Regio-

S

 effe-

T.

V

S. Vin-

Z

FINIS.

Pag.	Lin.	Menda	Emenda
II a	32	*finem*	*finem*
III a	48	*oritum*	*oritur*
IV a	8	*ad hoc*	*ab hoc*
VI b	14	*Dens*	*Deus*
VI b	34	*Hunc*	*Nunc*
VI b	50	*maiorem*	*maiore*
VIII b	16	*disentiendi*	*disentienda*
IX b	25	*in talem*	dele *in*
5 b in post. 2. l. 5		ex nihilo	in nihilum
9 a	54	*elambico*	*alembico*
9 b	1. & 4	*elambic.*	*alembic.*
33 b	29	*comeßabatur*	*comeßabar*
57 b	38	*antea*	*ante*
74 a	12	*arit*	*areis*
80 a	12	*qui a*	*quia*
89 b	13	*eniter*	*euitar*
ibid.	20	*stipasse*	*stillasse*
91 a	32	*genarationem*	*generationem*
91 b	27	*alternationum*	*alterationum*
96 a	11	*possuerunt*	*posuerunt*
98 b	25	*Triades*	*Trias*
100 a	42	*Matriales*	*Martiales*
104 a	4	*salubile*	*solubile*
106 a	17	*conuinciantur*	*conuitiantur*
106 b	18	*arbitrantur*	*arbitratur*
107 a	29	*Ephesi*	*Ephesia*
109	22	*Quo*	*Quod*
110 b	23	*Itaq;*	*Itaq*
ibid.	38	*contigat*	*contingat*
111 b	1	*comrrumpetur*	*corrumpetur*
113 b	32	*partes*	*parte*
115 b	20	*liberam*	dele *liberam*
119 a	28	*euersuros*	*euersuros*
127 a	48	*Thoma*	*Thomas*
132 b	5	*in postilla 2. rei*	*Dei*
135 b	28	*Epitecti*	*Epicteti*
136 a	1	*conflictatos*	*conflictatus*
140 b	19	*somnum*	*somnium*
141 b	4	*consument*	*consumant*
142 a	10	*somnum*	*somnium*
144 b	8	*screntia*	*scientia (barēt*
147 b	2	*nō solū cobarēt*	*nō solū non co-*
148 a	29	*caulales*	*casuales*
ibid.	34	*causalis*	*casualis*
154 a	2	*Ptolamao*	*Ptolomao*
155 a	31	*anomalia*	*anomaliam*
ibid.	48	*fertatur*	*ferietur*
155 b	26	*veri*	*verti*
ibid.	44	*firmamentū nō quiescere*	*firmamentum quiescere*
159 a	11	*inflāmaturam*	*suffāmaturum*
161 b	41	*retrogradi*	*retrograda*
162 b	33	*complet*	*compleat*
ib. in 3. post. l. 3		*Ececentricum*	*Eccētricorum*
163 a	17	*eidem*	*eisdem*
167 a	3	*depixit*	*depinxit*
168 b	53	*obscuratam iri*	*obscuratum iri*
169 a	18	*Dens*	*Dominus*
177 a	52. 53	*Scheineri. Existimatis*	*Scheineri existimantis*
183 b	13	*gutti*	*guttis*
185 b	13	*tenuim*	*tenuem*
185 b	27	*Atloris*	*Auctoris*
187 b	12	*transcribi*	*adscribi*
190 a	1	*ademptam iri*	*ademptum iri*
195 b	49	*eueniat*	*eueniant*
208 b	45	*patandi*	*potandi*
ibid.	46	*confirmato*	*confirmat*
209 b	7	*die*	*diei*
ibid.	9	*bemisphaericum*	*bemisphaerium*

Pag.	Lin.	Menda	Emenda
212 a	17	*Et quo*	*Ex quo*
214 a	6	*quali*	*quasi*
216 a	32	*positie*	*positionibus*
216 b	3	*Lunis*	*Luna*
218 b	22	*quare*	*quàm*
ibid.	43	*in hanc*	*in hac*
ibid.	48	*Arologica*	*Astrologica*
221 b	35	*suscitandum*	*sciscitandum*
227 a	44	*prater sydera*	dele *prater*
ibid. b	10	*si ista*	*sit ista*
228 a	43	*oculis*	*occultis*
228 b	43	*aliquam*	*aliquem*
230 b	27	*indicant*	*indicant*
232 a	2. & 3	*malum*	*malam*
233 a	3	*pates*	*pares*
234 a	44	*virtutem*	*virtutem*
235 a	30	*aliqua*	*aliqua*
235 b	43. 44	*sthomacis*	*stomachis*
237 a	23	*agritudinis*	*agritudines*
237 a	49	*eumdem*	*eandem*
239 b	53	*occultationes*	*occultationis*
240 b	4	*Animaduerso*	*Animaduerto*
242 a	15	*nullus*	*nullis*
242 a	26	*Effimera*	*Ephemera*
243 b	3	*alter*	*alterum*
247 a	17	*admirandum*	*admirandam*
247 b	11	*rotar*	*rotatur*
247 b	43	*obtineba*	*obtinebat*
248 a	20	*mentibus*	*montibus*
248 a	38	*insula*	*insulam*
248 b	48	*tractationem*	*attractionem*
248 b	49	*Quare magnes*	*Quare si magnes*
250 b	48	*seipsum*	*seipsam*
254 a	19	*efficatiore*	*efficaciore*
ibid.	27	*de primi*	*deprimi*
ibid.	49	*calo*	*ferro*
254 b	48	*quidem*	*quidam*
256 a	36	*ferrum*	*ferreum*
258 b	24	*frustrum*	*frustum*
259 b	10	[illegible]	*Sena*
262 b	37	*quinque remc*	*quinqueremem*
262 b	52	*digna;*	*dignam;*
264 a	53	*somniamur*	*somniamus*
268 b	12	*attribuunt*	*attribuuntur*
ibid.	32	*magna*	*magna*
ibid.	43	*oritur*	*oriuntur*
269 b	21	*nati prasset*	*nocti praessent*
270 a	27	*ipsa*	*ipsas*
272 b	5	*diminitatione*	*diuinatione*
272 b	43	*rationes*	*ratione*
276 b	11	*exculset*	*exultet*
ibid.	22	*aliquo*	*aliquibus*
ibid.	23	*consideratio*	*consideratis*
278 b	40	*infinitus*	*infinitos*
279 b	9	*verturum*	*venturum*
280 b	34	*Sigittary*	*Sagittarij*
282 b	50	*Arologis*	*Astrologis*
284 b	10	*adouauit*	*adnotauit*
286 a	26	*quidam*	*quidem*
288 a	1	*Arca*	*Arca*
ibid.	10	*pracississe*	*pracessisse*
ibid.	42	*ipsimet*	*ipsemet*
ibid.	43	*naturalis*	*naturales*
290 a	31	*contingit*	*contigit*
290 b	32	*computus*	*computos*
291 b	9	*impartiatur*	*impartitur*
292 a	2	*follere*	*pollere*
293 a	47	*diuersos mores*	*diuersos mores*
294 a	5	*ob*	*ab*

venti

Pag.	Lin.	Menda	Emenda
295 *a*	9	*venti*	*Veneri*
ibid.	19	*grados*	*gradus*
298 *a*	19	*angulos*	*angulus*
302 *b*	17	*quum*	*quam*
305 *b*	51	*statuendam*	*statuendum*
306 *a*	3	*annos*	*dies*
307 *b*	31	*rubent*	*nubent*
311 *b*	3. & 4	*congregata*	*congregatio*
312 *a*	in 2. post. l. 2	*cum*	*est*
312 *a*	37	*toto*	*tot*
325 *a*	6	*declarat*	*declarata*
327 *a*	in 1. post. l. 1	*Homeri*	*Numeri*
328 *a*	34	*ego*	*ergo*
332 *b*	52	*calculus*	*calculos*
333 *b*	53	*noluerit*	*voluerit*
337 *a*	in 2. post. l. 4	*mos eum*	*mos est*
338 *b*	35	*intelligendam*	*intelligenda*
340 *a*	in 6. post. l. 1	*Homerus*	*Numerus*
341 *b*	41	*rationes*	*Nationes*
342 *a*	6	*rationes*	*Nationes*
343 *b*	in 4. post l. 1	*Mons*	*Mors*
344 *a*	in 3. post.	*inusum*	*inussit*
345 *a*	6	*Euangelijs*	*Ecclesijs*
345 *b*	in 1. post l. 3	*via*	*circa*
345 *b*	24	*factum*	*factam*
347 *a*	5	*filium*	*filum*
ibid.	14	*filium*	*filum*
ibid.	29	*filium*	*filum*
349 *b*	43	*Patrio*	*Patritio*
349 *b*	in 4. post. l. 3	*Orationes*	*Nationes*
352 *b*	5	*Iaponius.*	*Iaponias*
354 *a*	48	*Promptorium*	*Promontorium*
354 *b*	in 4. pos. l. 1	*Malachia*	*Malacenda.*
360 *b*	9	*fit*	*tot*
ibid. *b*	10	*Principium*	*Principum*
ibid. *b*	12	*possit*	*posso*
ibid. *b*	47	*iacet*	*tacitet*
363 *a*	26	*exaggeratam*	*exaggerata*
366 *b*	14	*narrant*	*narrat*
367 *a*	49	*finalem*	*finalo*
368 *b*	16	*Regem*	*Regnum*
368 *b*	32	*clarissimus*	*clarissimum*
369 *a*	in 4. post. l. 2	*Voardi*	*croandi*
371 *a*	3	*disputabimus*	*disputauimus*
373 *a*	10	*contingentur*	*contingentes*
ibid.	35	*causalia*	*casualia*
376 *a*	6	*illius*	*illis*
379 *a*	49	*Chistus*	*Christus*
382 *b*	24	*ignorantiae*	*ignorantia*
ibid. *b*	33	*effugendam*	*effugiendam*

Hæc sunt grauiora Menda, Lector Beneuole; leuiora, quæ, velut vmbra corpus, amanuensium sequuntur manus, propria tua humanitate corrige.

REGISTRVM.

✠ a b A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff.

Omnes sunt Duerniones, præter b, quæ est fol. simp.



BONONIÆ, Typis Io. Baptistæ Ferronij M.DC.LVIII.
Superiorum permissu.